H. eccl. 154. 2

<366045181000 14

<366045181000 14

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

Digitized by Google

METROPOLIS
ECCLESIAE TREVERICAE,

QUAE

METROPOLITANAE ECCLESIAE

ORIGINEM, JURA, DECUS, OFFICIA;

TUM

SUBJECTORUM ILLI EPISCOPATUUM, REGIONUM, URBIUM, ECCLESIARUM, ABBATIARUM

ET

MONASTERIORUM

ORTUS PROGRESSUSQUE

PER

ARCHIDIOECESIN TREVIRENSEM

COMPLECTITUR.

BROWERI ET MASENII S. J. OPUS

EMENDAVIT, AUXIT, EDIDIT

CHRISTIANUS DE STRAMBERG.

TOMUS II.

CONFLUENTIBUS,

SUMPTIBUS ET TYPIS RUDOLPHI FRIDERICI HERGT.

1856.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

Digitized by Google

BAYERISCHE STAATS-BIBLIOTHEK MUENCHEN

METROPOLIS TREVERICAE

LIBER IV.

CAPUT I.

DE ABBATIIS PRAEMONSTRATENSIUM PROLOGUS.

De praemonstratensis et cisterciensis instituti religiosis acturus, illud hoc loco Roberti de Monte elogium, quo utriusque ordinis incunabula ad annum 1131 in suis ad chronicon Sigeberti additamentis describit, praemitto. »Sub his,« inquit, »temporibus ordo canonicus praemonstratensis et monasticus »cisterciensis, quasi duae olivae in conspectu Domini, pietatis »lumen et pinguedinem devotionis mundo ministrabant, et »quasi vites fructiferae religionis palmites circumquaque pro»pagabant, et per omnes fere christiani orbis terminos bonae »opinionis paulatim odore diffuso, novas abbatias, ubi antea »Dei cultus non erat, instruebant.

»Eratque circa haec tempora pulchra et decora facies »ecclesiae diversorum ordinum ac professionum circumdata »varietate, dum hinc praemonstratenses, hinc cistercienses, »inde cluniacenses monachi, tum et diversi habitus et pro-

Digitized by Google

»fessionis sanctimoniales, et mulieres Deo devotae, in con»tinentia atque paupertate, sub obedientiae jugo regulariter »viventes, fervore religionis invicem provocarent, et nova »certatim, diversis in locis monasteria fundarent &c. Sed prae»sules ecclesiarum ac principes saeculi promptissime annuebant, »vel etiam sponte offerebant, terras, prata, nemora, et caetera, »quae monasteriis aedificandis necessaria erant.«

PRAEMONSTRATENSIUM ABBATIAE ET MONASTERIA.

Praemonstratenses S. Bernardi scholam et discipulos vestigio sequuti, canonicis legibus vitam instituere S. Augustini regulam amplexi, autore et institutore S. Norberto. Formam vivendi eam Calixtus II. pontifex anno circiter 1120 probarat: ipseque Norbertus honesto claroque genere oppido Sanctorum apud Clivios editus, cum Belgicam omnem, caeteramque Galliam et Germaniam, tum innocentia morum, tum flagranti de rebus divinis populos hortandi studio ad salutis acriorem curam accendisset, in Laudunensem denique provinciam penetrans, locum a Bartholomaeo episcopo, quem Praemonstratium dicebat, impetravit, atque ab eo toti familiae nomen mansit.

Abbatia et monasterium Arensteinium.

Jam ad Magdeburgensis ecclesiae pontificatum Norbertus gradum fecerat, cum in Saxonia multos pulchritudine novi exempli pellectos, instituti sui legibus devinxit. In his Otto fuit diaconus, locuplete ac nobili stirpe, qui avitas opes facultatesque in Christi cultum conferens, quo expeditius iter ad salutem haberet, ecclesiam B. Victori ad Salam amnem coenobium instituit, quam Gratiae Dei (Gottesgnade, in archidioecesi Magdeburgensi) nomen ferre placuit. Hujus exemplum aemulatus Ludovicus comes Arensteinius, qui Ottonem sanguine contingebat, seque omniaque sua et Arensteinium, apud Loga-

Digitized by Google

nam fluvium, comitatus sui sedem, quam ab Aurae rivo, qui e regione monasterii miscetur Loganae, potius, quam ab aquila volunt habere nomen, Deo religionique consecravit, et e monasterio Gratiae Dei hujus familiae propagatores ac satores adduxit, quorum antesignanus et primus abbatum,

1. Godefridus, qui scholastici se functione, quam Magdeburgi apud D. Mauritii templum honeste expleverat, abdicans, in S. Norberti disciplinam concesserat. Hinc pietatis et meritorum insigni gratia duodecim canonicis et totidem conversis praelucens, Adalberone archiepiscopo laudante, coloniae novae institutis et legibus exordia dedit ordinatio primi P. abbatis Godefridi ab Alberone archiepiscopo, qui venit de Gratia Dei. Anno 1139 Ludovicus comes Arensteinii, quod in templum et coenobium converterat et SSS. Trinitatis ac gloriosae et intemeratae Virginis Mariae et magnifici confessoris Nicolai honore dicandum curaverat, cum Marquardo capellano et notario, Swickero dapifero, et militibus sive nobilibus aliis quinque, saeculo renuncians, sanctae professionis habitum induit, resque monasterii pro viribus ampliavit. Guda conjux sinistro montis latere exstructa mansione inclusa, mutataque veste, sancte vitam ibidem transigit, cujus tamen exemplo plures e nobilitate collectas virgines in Vallem S. Mariae Ludovicus transtulit, unde coenobium nobilium dominarum in Nuhrenbach ortum trahit.

Ejusdem Ludovici de Are Castro, ut vocat, conversionem Caesarius Heisterbacensis ad sanitatem divinitus collatam, refert; memorat enim in desperatae valetudinis morbo, abbatem (quem ipse sui ordinis, cisterciensem fuisse, arbitratur) invisisse, spemque aegro sanitatis recipiendae fecisse, si conceptis Deo verbis ordini sese religiosum addiceret. Nec tergiversatum acquievisse, modo uxor, cui obligatus tenebatur, assensum non negaret. Advocata deinde mulier cum indulsisset, voto religionis edito, repente faciem ejus immutatam, pallorem-que in niveum candorem, lividum consumptumque vultum grato rubore perfusum, omnibus, qui aderant, stupore occupatis, sanum vegetumque surrexisse, nec moram Deo

Digitized by Google

sese totum, atque ex asse se suaque consecrasse, magna vitae ad omnem sanctitatem conformatione, quam propagavit usque ad annum Christi 1185 octavo calend. decembris, post Gudam XVI. calend. septembris morientem defunctus. Hoc ejus epicedium superest:

Messuit hunc florem, non mors sed vita dolōrem,
Praefert umbra brevis spem vitae non gleba quaevis:
Sed rosa vernalis, seraphin, quae plena sub alis
Majestate Dei tenet ecce locum requiei.
Annus ut M. cum C.. rotat octoginta quinque
Vita magnificus metit astra comes Ludovicus.

Ejus vitam in Sideribus SS. Germaniae P. Browerus vulgavit, qua singularem ipsius in pauperes miserationem, in religiosas familias profusionem, in vita conversi demissionem extollit.

Caeterum Godefridus, cum duodecim annis in Domini sui tuenda familia praeclare vigilasset, Praemonstratium, majorum nutu, profecturus, in itinere carnis ergastulo solutus est IV. idus octobris 1151, sepultusque apud Wandegoriam, inde ossa ipsius intervallo translata, Arensteinii honorifice ante BB. apostolorum Petri et Pauli altare condita sunt. Godefridi abbatis hoc epitaphium extare scriptum comperi:

Aspice flos ubi sit flos quem Saxonia misit;
Non homo, sed fidus pater hic pausat Godefridus,
Quem tuba nectarea vitae claustralis idea
Annis bis senis templi praefecit habenis.

2. Eustachius, quem merito ob virtutis et gratiae dotes eximias curae dominici ovilis admotum meminerunt acta Ludovici.

Besselich ecclesia, archidiaconatus Dietkirchensis, accipit virginum domicilium, praemonstratensis ordinis, Hillino archiepiscopo loci tutelam promittente, Alexandro archidiacono approbante, cujus etiam archiepiscopi authoritate Ludovici comitis Arensteiniana donatio stabilitur. Literas hoc loco producere visum est, ut appareat, quantum injuria temporum deperierit.

»In nomine Sanctae et individuae Trinitatis Hillinus Tre»virorum archiepiscopus et apostolicae sedis legatus. Si in

Digitized by Google

»sacrosanctis evangeliorum libris mulier vidua in gazophylacium »duo minuta mittens a Domino, eo quod nihil sibi retinuerit, »plus aliis, qui etsi majora, non tamen omnia sua obtulere, lau»data est, multo magis nos eos, qui se suaque fideli devotione »relinquentes divinis per omnia mancipaverunt obsequiis, hono»rare et diligere, atque ex injuncto nobis divinitus pontificatus »ac legationis officio, manutenere debemus, et contra omnes »injuriosorum incursus defensare et communire, quantum pos»sumus, ut nos quoque bonis eorum operibus studio nostro »cooperatores remunerationis perpetuae cum ipsis participare »queamus. Quapropter notum facimus tam futuris quam prae»sentibus, quod illustris comes Ludovicus una cum praeclara »conjuge sua Guda temporibus venerandae memoriae praede»cessoris nostri Domini Alberonis castrum suum quod dicitur »Arenstein una cum omni allodio suo, pro caelestis regni amore »abdicantes B. Dei genetrici Mariae Sanctoque Nicolao prompta »voluntate obtulerunt, et ut ibidem vita canonica secundum »regulam S. Augustini et ordinem Praemonstratae domus in »perpetuum servetur, disposuerunt, procedente vero tempore, »ordinatis jam inibi fratribus locum ipsum cum omnibus per»tinentiis suis ecclesiae B. Petri, cui nos Deo authore praesi»demus, hortatu ejusdem praedecessoris nostri, absque omni »census pensione contradiderunt, et ab eo pro recompensatione »tantae devotionis quaedam bona, quae prius ipse Ludovicus »ab archiepiscopatu Trevirensi in feudum habuerat, jure pro»prietatis perpetuo possidenda receperunt. Nos igitur justis »eorum petitionibus annuentes sub nostra tuitione et sedis »apostolicae, cui legationis gratia in Teutonico regno sub»ministramus defensione, eundem locum cum omnibus praediis »et possessionibus vel quibuslibet bonis hactenus sibi contra»ditis, vel deinceps justa ratione tradendis defensandum sus»cipimus. Has itaque possessiones praefatae ecclesiae in Arn»stein privilegii nostri authoritate communimus. Videlicet »Bubenheim (1) quod est in pago Wormaciensi cum ecclesia,

(1) Amissum.

»decimis et hominibus cunctisque redditibus ejus, ita quod »nulli saeculari potestati subjaceat, in archiepiscopatu Moguntino »in villa Wisze (1) triginta mansus et claustrum in Gommers»heim (2) cum omnibus appendiciis ejus, item in archiepis»copatu nostro in villa Hattenhusen octo mansus, in Weltroidt »quatuor mansus et villam Gozemerode (3) cum omni jure »praeter duos mansus, in Bronnenbach (4) unum mansum, et »curtim Holdenruck (5) cum omni jure et Salscheidt cum omni »decima, in Singhoben tres mansus, in villa Newe (6) et »Breme (7) vineas, agros, sylvas et decimam selectae terrae, »in Campe (8) curiam et vineas. Item ecclesiam S. Marga»rethae in Arenstein legitima donatione contradidit. Praeterea »curtim Sellbach, ecclesiam de Kirchdorff (9), quae praefatus »praedecessor noster piae memoriae Albero eidem ecclesiae »in Arnstein contulit. Nos quoque pro remissione peccatorum »nostrorum, et omnium successorum nostrorum archiepiscopo»rum ad usus fratrum inibi Deo servientium contradimus, cum »omni jure et integritate cum hominibus scil. ac decimis uni»versis ad ecclesiam Kirchdorff pertinentibus, ipsamque eccle»siam sicut et illam B. Margarethae in Arenstein a jure syno»dali et ab omni servitio archiepiscopi, archidiaconi vel decani »penitus emancipamus, et omnem decimam utriusque parochie »ex integro concedimus, et sicut ab antecessore nostro indultum »esse cognoscimus, si quae bona fratrum infra nostrum epis»copatum de loco ad locum transferri contingerit, ab omni

(1) Amissum.

(2) Amissum.

(3) Amissum.

(4) Modo Bremberg.

(5) Hollrich.

(6) Amissum.

(7) Amissum.

(8) Amissum.

(9) Modo quatuor viri, duo principes, et totidem comites jus gladii cum religione eversa occuparunt. Praedicantes tamen in Kirchdorff nonnisi consentiente praelato admittuntur.

»telonii vel vectigalis onere esse absoluta statuimus, hoc quo-
»que confirmamus, ut nullus aliquo tempore supra praedicta
»bona constituatur advocatus, sed solummodo sub nostro pro-
»tectionis munimine, sive successorum nostrorum tuta consis-
»tant. De caetero sancimus, ut nullus unquam abbas ibi con-
»stituatur, nisi quem communiter libero consensu fratrum con-
»ventus elegerit. Si quis igitur, quod absit, contra hujus nos-
»trae constitutionis paginam temerario ausu venire tentaverit,
»severissimam Divinae indignationis ultionem persentiat, et
»timendi anathematis sententiae subjaceat, donec condigna
»satisfactione resipiscat, conservatoribus autem hujus nostrae
»confirmationis vita, salus, pax et gaudium permaneat amen.
»Testes hujus rei sunt Godefridus majoris domus praepositus
»diaconus. Rudolphus decanus et archidiaconus. Alexander
»archidiaconus. Bruno archidiaconus, et S. Florini in Confluentia
»praepositus. Joannes archidiaconus. Conradus praepositus S.
»Paulini. Baldricus majoris domus scholasticus et S. Simeonis
»praepositus. Rupertus de Palatiolo praepositus. Eustachius
»abbas in Arnstein. Sigerus abbas de S. Maximino. Bertolphus
»abbas S. Eucharii. Ludovicus de S. Maria veteri abbas. Gode-
»fridus abbas S. Martini. Richardus abbas de Springirsbach.
»Wichmanus abbas de Luneche. Wolfranus abbas de Waden-
»gozinge. Henricus abbas de Rommersdorff. Hildelinus abbas
»de Schonaugia. Wichmannus abbas de Grunawe. Henricus comes
»de Luzelenburch. Albertus comes de Chiny. Sigfridus comes de
»Vianda. Arnoldus de Sercha. Cuno de Maelberg. Wilhelmus
»Marschalcus. Gerhardus de Hasch. Hermannus de Palatio.
»Fridericus de Marceto. Fridericus Aureus. Acta sunt haec
»Treveris 4. calend. novembris, anno Divinae incarnationis
»MCLVI. indictione IV. epacta VII. concurrente, VII°. anno
»pontificatus venerabilis Hillini Trevirorum archiepiscopi et
»apostolicae sedis legati IV°. feliciter amen.«

Ex quibus literis diversis illius aetatis praepositi praelati-
que nobis cum insigni favore tutela et benefico Trevirensium
archiepiscoporum in hoc monasterium innotescunt, quantumque
ex illorum bonis sensim haeresis, temporumque iniquitas de-

cerpserit, ex aliis ejusdem archiepiscopi literis, quas subjicio, magis idem innotescet.

»In nomine sanctae et individuae Trinitatis ego Hillinus »Dei gratia Trevirorum humilis minister et servus, apostolicae »sedis legatus, dilecto in Christo filio Eustachio abbati de »Arnstein, omnibusque successoribus ejus ibidem ex proposito »Deo famulantibus in perpetuum. Notum fieri volumus omnibus »tam futuris, quam praesentibus, quod Hartardus de Meren»bergh et uxor ejus Ermengardis consensu liberorum et haere»dum suorum, allodium de Overdiefenbach in Einriche cum »ecclesia (1) et viris ad ecclesiam pertinentibus cum integritate »decimae ejusdem villae, omnibusque ad eam spectantibus »appendiciis tam in agris, quam in pratis, totaque decima de »Bettendorff, et media parte decimae de Schura (2) et quandam »forestem, quae dicitur Kamervorst (3), quae spectat ad ean»dem villam et silvam totam, quae Brustenbach dicitur, preter »quintam arborem, quae pertinet ad Catzenelenboge (4), eccle»siae de Arnstein pro salute animae suae contulit, et ad ma»jorem facti firmitatem praedicta omnia in manus nostras re»consignavit, eo scilicet tenore, ne aliquis deinceps advocatus »praedictae villae praeter archiepiscopum Trevirensem prae»ponatur. Nos ergo authoritate nobis a Deo concessa, quid»quid juris in praedicta ecclesia habuimus, archidiacono nostro »Alexandro jus suum in eadem ecclesia praedictis fratribus »concedente, ad commodum et utilitatem ecclesiae et honorem »sanctae Dei Genitricis contulimus &c. Acta sunt haec Treviris »anno incarnationis dominicae MCLXIII. indictione X. epacta »XXV. concurrente I. rogatu et petitione Ludovici comitis in »Arnstein, qui ejusdem loci ecclesiam a fundamento construxit,

---

(1) Quatuor viri, id est, duo principes, totidemque comites, qui jus gladii cum religione mutata occuparunt, praedicantis tamen constitutio penes abbatem relicta est.

(2) Amissum.

(3) Amissum.

(4) Quod jus inter se partiti sunt.

»et se ab hujus mundi illecebris ad eandem ecclesiam, ad »serviendum Deo viventi transtulit.«

Vidit igitur se etiamnum superstite Ludovicus, et piorum hominum liberalitate et Trevericorum episcoporum benevolentia Arensteinium efflorescere.

At Eustachius (verba praeit antiquus codex) felicis memoriae, cum annis 29 in castris Domini strenue militasset, reddit animam Deo, apud quem mortuorum spiritus requiescunt, V. cal. martii 1179, successitque ei

3. Richolfus, cujus multa in procuratione domus Dei scriptor ait superfuisse pietatis insignia. Richolfus autem XV. calend. martii 1196 humana reliquit.

4. Herbordus subinde ex Joannis archiepiscopi Trevirensis literis praefuisse intelligitur, octennii praesulatu perfunctus.

5. Herdenricus veteri chronico anno demum Christi 1204 scribitur electus. Ecclesia Arnsteinia afabre crucis in morem, augustiore tum specie exstructa, a venerabili Joanne Trevirorum archiepiscopo dedicata est 1208. Nec multo post, aõ 1247, bona monasterii in Lanstein ab Henrico Nassoviae comite ab omni tributorum onere exempta sunt, Dietherõ, archiepiscopo Treverensi, 60 post annis probante.

6. Anselmus, qui praefectura posita sponte cessit anno Domini 1226.

7. Theodoricus I. substitutus, sub quo aõ 1248 III. idus augusti, indict. VI. consecrata est capella S. Michaelis in Arnstein a venerabili Dño Theodorico Virdunensi episcopo, et quia interest novatores suas etiam recognoscere origines, eodem anno IV. non. octobris consecrata est ecclesia in inferiore Diffenbach ab eodem; IV. non. octobris eodem anno altare in Singouve (Singhoben) in honorem S. Paulini.

Sub hoc abbate illustris domina Mechthildis, quondam comitissa in Sayn, parochiale territorium Winden cum ecclesia et jure patronatus omnique ad se spectante jurisdictione, Theodorico abbati coenobioque Arensteiniensi duplici titulo contulit, tum ut comitis Henrici viri suique a morte et consanguineorum anniversariam in sacrificiis precibusque memoriam recolerent,

tum ut 353 marcas Coloniensis monetae praesente aere refunderent, adeoque partim donationis, partim emptionis titulo omni jure possiderent, quae literae sub diversorum testificatione anno 1250 nono calend. martii in Bezdorff subsignatae tenentur, quae eodem anno ab Arnoldo archiepiscopo Trevirensi publico diplomate in Monte Thaboris dato, et postea ab Alexandro IV. pontifice confirmatae sunt, decanisque SS. Florini et Castoris, abbatibus vero de Romersdorff et Seynensi praemonstratensibus, et S. Benedicti ex Lacu et Monte S. Beati (tum nondum carthusianis debito) datis sigillatisque literis probantur, ut vix quidquam hac translatione liquidius esse possit. Et vero jure deinde pleno, tam decimarum, quam judicii, ut usi sunt, ita pro obligatione pecuniarum certa Conrado de Derbach, Andernacensis ecclesiae rectori, ad dies vitae eidem cesserunt, uti literis anno 1279 sub Joanne abbate datis, exploratum est, quo defuncto utrumque ad monasterium jus est revolutum, concessumque ab archidiacono Treverico est, ut e suis abbas canonicis aliquem parochiali ecclesiae administrandae praeficeret, uti sequenti dein tempore est usurpatum.

8. Ortwinus eodem anno 1259 cum Arnoldo Trevirensi archiepiscopo diem suum clausisse, notatur.

9. Arnoldus successit, ac dein cessit 1272, quam sortis permutationem plures deinde abbates, nunc ultro, nunc coacte adiisse, hoc loco comperio, quod plerisque tam facile hoc munus visum sit, cum non haberent, quam cum possiderent, onerosum. Sed cum singularia non suppetant, nudis multorum nominibus erit acquiescendum, tales fuere:

10. Hermannus I. moritur 1275.
11. Joannes I. usque ad annum 1283.
12. Hermannus II. ad 1291.
13. Winricus ad 1297.
14. Roricus ad 1301.
15. Henricus II. ad 1303.
16. Gerardus I. ad 1307.
17. Theodoricus II. ad 1315.

18. Robertus, hoc in ordine surrogatus, nominalium hoc loco numerum concludit aõ 1323, post quem cum honore onus subiit,

19. Wilhelmus a Staffel, vir nobili et claro loco natus, qui virtutis ac pietatis gloria, decus sui generis aemulavit, curam vero coenobii tanta abstinentiae et moderationis laude gessit, ut res majorum suorum non solum integras, verum accessione etiam locupletatas reliquerit. Sub illo D. Hermannus Griffe, Lansteinii inferioris incola, consentientibus liberis, bona sua in Schirpingen, cum decimis censibusque, Arensteiniano monasterio ecclesiaeque anno 1330 legavit. Porro Wilhelmus eam basilicae, Deiparae matri Sanctoque Nicolao consecratae, curam gessit, ut et novis illam aedificiis excoluerit, et vasa quaedam argentea honorandis sacris adjecerit, quibus illam disciplinae curam humanitate temperatam addidit, ut multiplices domi forisque dissidentium iras finitis discordiis composuerit, dum ipse denique 44 annorum munere defunctus, in pace quiesceret XV. calend. maji 1367.

20. Gerardus II. Burset, suorum post hunc suffragiis delectus, anno praefuit 1368.

21. Henricus III. de Milen, subinde ingressus, clavum tenuit ad annum 1380.

22. Arnoldus de Grumenaw duplici titulo posteritati notus, et male primum administratae, et correctae denique cum honoribus depositis, vitae est. Nam turbatis eversisque monasterii fortunis, culpa jam manifestus, naufragium declinat, et clam suis fuga Basileam abscedit. At coenobitae apud Wernerum, Trevirensem archiepiscopum, causa dicta reum peragunt, utque magistratu exclusus esset, pervincunt. Arnoldus in hoc discrimine suae periculo dignitatis motus adfuit, poenitentiumque habitu et deprecatione erroris demisse perfunctus; cum reverentia et miseratione suos ad ignoscendum flexisset, ubi rursum decus illi gradusque pristinus oblatus fuisset, anteactae conscientia vitae ad sui cognitionem versus, indignum sese ultro professus est, alterique meliori se locum concessit, ambitione et dignitate spreta, quam defensa, gloriosior (1397).

23. Petrus Print substitutus, experimento etiam didicit, facilius in obsequio, quam imperio Deo ac religioni servitium praestari; quare biennio evoluto, fugiens admissi honoris, magistratum eundem posuit (1399), qui eodem demum cum Arnoldo anno Christi 1424 diem suum, felicior subditus, quam praelatus, obiit. Successere deinde alii, rursum nomine tenus cogniti.

24. Joannes de Ulbach, obiit aõ 1420.

25. Ortelius Donner, obiit 1446.

26. Daniel Rabenold de Danburg, 1458.

27. Meffridus, 1473.

28. Fridericus Rousman, 1478.

29. Folbertus de Hesse, 1479.

30. Petrus de Loe, dictus Selbach, 1488.

31. Adamus Monthaborinus, qui annis unde quadraginta, magna cum laude rexit, obiit 1527.

32. Joannes Bechelius (Erchelius?), Confluentinus, 1531.

33. Laurentius Bach, Westerwaldicus natus, ac mortuus (1545) die S. Laurentio sacra.

34. Henricus IV. Moinsch, ex eadem Westerwaldia, obiit 1556.

35. Henricus V. Schupp, Limburgensis, qui rara integritate et prudentia monasticen administravit, obiit 14. martii 1574.

36. Emmericus Teufelius, Nassovius, 7. novembris 1592 vita et munere defunctus.

37. Petrus III. Marcomagus, 8. januarii 1604 mortales reliquit.

38. Joannes IV. Horn, ab Else, 30. januarii 1620 vita abiit.

39. Joannes V. Bingel, ex pago Oberhof, obiit 1631.

40. Wilhelmus II. Elsenau, res admodum post se reliquit afflictas, et ad interitum inclinata omnia; 3. julii 1663 statione et vita deserta cessit.

41. Antonius Schlincman, Limburgensis, ex adjutore confirmatus abbas, magna spe restituendi collapsa subiit, quod non inauspicato hactenus aggressus ausu, rebus foris domesticaque disciplina, et numero aucto, professoribusque ad instruen-

dam monasticam juventutem inductis solerter praestitit, cujus Deus coepta profectumque ex multorum voto secundet. — Resignavit dignissimus abbas aõ 1697, 30. septembris.

42. Petrus Aldenhofen, Limburgensis, electus 30. septembris 1697, obiit 1702, 15. januarii.

43. Joannes Schwenck, Monthaborinus, electus 6. februarii 1702, usum mitrae ab archiepiscopo Trevirensi Carolo obtinuit, aõ 1711; resignavit 17. octobris 1730, obiitque 17. augusti 1731.

44. Nicolaus Marzenbach, ex Valle Ehrenbreitsteiniana, electus 17. octobris 1730, obiitque 21. octobris 1760. Hic ecclesiam magnis sumptibus renovavit, et nulla habita ratione sumptuosorum processuum cum electore Trevirensi, ordine equestri, ac subditis in Wieden et Weinähr, canoniam fere ex integro reaedificavit.

45. Josephus Seul, Monthaborinus, electus 27. octobris 1760, obiit 6. januarii 1776.

46. Adamus Traudes, Monthaborinus, electus 13. januarii 1776, obiit 22. augusti 1778, aetatis 61.

47. Evermodus Saur, Ehrenbreitsteinianus, occ. 1779. Resignavit 1787, obiitque in Valle Ehrenbreitsteiniana, 7. julii 1807, aetatis 79.

Reliquiae et Sanctorum patrocinia.

S. Fabiani cranium in abbatia Arensteiniana possidetur, quod inclusum argenteo calice, vino ante consecrato in honorem SS. Fabiani et Sebastiani impletur, omnibusque rite dispositis et spe bona accedentibus praebetur, qui anno integro hactenus ab omni contagione incolumes persistere deprehensi sunt, quae pietas sanitasque praestita multorum annorum experientia tenetur, principesque viri, ut Goarensis et Hadamarienses superioris anni contagione non sine felici eventu cum familia usurparunt, Confluentinis quoque eadem in lue profuisse constat. Possident ibidem scapulam S. Sebastiani sagitta transverberatam, cum ipso sagittae adhaerentis cuspide.

Repertum isthinc cingulum quoque S. Elisabethae, Hassorum principis annis superioribus, cujus ea virtus, ut quotquot illo cingerentur puerperae etiam acatholicae, facili partu liberarentur, qui Suecico translatus bello, alibi haud procul non sine cura et religione asservandi attinetur. Dentem S. Andreae ibidem in corona ex argentea catenula suspensum, custodiunt, quem dolori dentium mederi experti sentiunt.

In parochiali vero ecclesia S. Margarethae ad pedem montis sita, reliquias S. Antonii abbatis possident, ad quas, summo altari insertas, incolae obtulissent cereum semilibrem, cum voto quotannis festum Divi solenniter venerandi, iterandique oblationem cerei, gravissima in pecoribus exorta lues (quam ignem S. Antonii appellant) continuo desaeviit, etiam quadriennio integro contagionis nihil afflavit. Non omittendum quod aõ 1635 illusori sacrorum isthic evenisse certis testibus constat, sicquidem nonnemo ex Gallo-Suecica militia, postquam templum una cum commilitonibus irruisset, sacris vestibus indutus, ad aram sacerdotis more prodiit, atque aemulatus ritus cantumque ecclesiae risum sociis velut in comoedia excudere conatus est, sed ab ara digressus, cum vestem sacram, in perizoma aptatam, sibi inducere tentaret, subita phrenesi correptus, miserum omnibus insani et furiosi hominis spectaculum esse per triduum coepit, donec miserantibus aliis orantibusque, ad mentem tantisper reversus, religioso Arnsteiniano, apud P. Georgium Forschen, delicta sua, extrema confessione, expiavit, ac dein repente mortuus, loculum mortualem, quem ipse sibi praelatus aptaverat, subiit. Nec dissimile, quod eodem anno in Windensi parochia, jurisdictionis Arnsteinianae, haud procul Logana, Sueco militi ecclesiae invasori evenit, qui cum inter templi spolia hierothecam elisa sacra hostia raptaret infringeretque, repentina amentia et furore correptus, inter manus sociorum consternatorum elatus, haud multo post expiravit. Intervenit sacrilegio et amentiae pastor loci, Henricus Cleve, religiosus Arnsteinianus, qui extortam de manibus raptorum hierothecam cum sacra hostia loco honesto reposuit, sociis jam non de spolio, sed sua et commilitonis vita sollicitis.

Patronus ejusdem ecclesiae, D. Willibrordus, non sine mirandorum operum memoria colitur. Siquidem parentes, quotquot phthisi taboque sensim diffluentes pueros, citra remedium humanum alunt, ad patrocinium Divi confugiunt, donumque aliquod emendicato corrogatum offerunt, infallibili hactenus evęntu intra triduum, aut incolumem aut mortuam prolem referunt. Sacellum quingentis a dicto loco passibus distat D. Michaeli consecratum, ad cujus praesidium ulcerati, ritu memorabili, sese vertunt. Nam quot toto corpore ulcera sentiunt, tot ova (aut, si haec desint, nummos) offerunt, quae postquam loci Windensis pastor pauperibus elargitus est, sanitatem longa annorum experientia non dubiam recipiunt. Eidem parochiae subjacet pagus Weinæhr, cujus incolae festivitatem S. Luciae singulari devotione venerantur jam ab annis facile sexaginta. Occasionem dedit triplex intra haud multos annos exortum incendium, quod sua origine incognitum, universum pagum consumpsit, quo ultimo conterriti agricolae ratique divinitus hanc sibi plagam infligi, remedium quoque e coelo petendum censuere; quocirca ad S. Luciae, per ignem gloriosae, patrocinium versi, eam sibi patronam cum votiva festivitate delegere, cujus ope hactenus per tot annos, citra ullius incendii vel minimi laesionem innoxii consistunt.

His aliisque tam manifestis Sanctorum suorum patrociniis et sacrarum rerum praesidiis, Deus istic suis assistit cultoribus, ut nec acatholicorum quidem observatio ac reverentia desit, ex quibus satrapae in Burgschwalbach gener Georgii Philippi plebani satrapae in Nassau-Scheuren, cum annis superioribus et sibi et praedicanti, ut vocant, plures equi quorundam maleficio interiissent, diuque quaesita aliunde remedia nequidquam adhiberentur, denique ad modernum in Arnstein praelatum (Ant. Schlincman) pro sacro aliquo praesidio obtinendo versi sunt, qui cum aquam herbasque benedictione ecclesiastica consecratas obtulisset, adeo praesentem opem experti sunt, ut scriptis etiam literis gratiam contestati retulerint, quos non pauci lutheranorum eodem malo afflictorum secuti, idem quoque beneficium experiuntur. Tanti apud

Deum est priscos ecclesiae catholicae ritus venerari, ut nec non merentibus hinc heterodoxis auxilium praestet.

CAPUT II.

Abbatia et monasterium Romersdorfianum, seu Villae Romanae.

A Romanis hujus loci cultoribus manere vetustum incolarum nomen, nemo mirabitur, qui munimenta circumsitorum montium et vallem firmandis tuendisque castris idoneam, expenderit; stat etiamnum suis inter rudera vestigiis superstes a tergo monasterii castrum, ubi traditione patrum statio Romanorum fuisse perhibetur. Vicina adhaec castro fossa, longe per Rheni tractum Francofurtum versus excurrens, quam tum occupandi militis, tum muniendae viae itinerumque gratia exercituum duces formavere, gentilium fossa (Heidengraben) hodiedum nuncupata est. Subinde ante octo saecula circiter (ut loquitur Carolinum protectionis diploma, quod anno salutis 1548, die 21. maji, Wormatiae abbati Thomae datum) religiosorum istic hominum asceterium excitari coepit, castrumque propinquum, translatis in usum religiosae domus lapidibus, in castitatis monumentum converti.

Monasterium hoc igitur, ad tertium facile infra Confluentes lapidem in citeriori Germanis Rheni limite situm, benedictinae olim familiae monachos, usque ad annum Christi 1125 aluisse perhibetur, quorum disciplina et res familiaris cum, ut fit, temporum hominumque iniquitate lapsae essent, et canonici ordinis praemonstratensium fama existimatioque late vagaretur, Adelbero, eximius id aetatis Trevirorum antistes, jam olim D°. Norberto addictus, ut quem adhuc Metensium primicerius Spirae coram Lothario rege Parthenopolitanis archiepiscopum eligendum suaserat, ipsius instituti religiosos homines Romers-

dorffium traduxit, et praemonstratensium familiae perpetua traditione addixit. Erat in Namurcensium finibus monasterium Floreffiae recens cum Praemonstrato, in finibus Laudunensium (unde Norbertinis ceu primae originis nomen haesit), Ermesindis comitissae munificentia erectum, atque ab ipso D. Norberto in disciplina formatum. Ex hoc velut seminario jam se quidam ascetae in Trevericam archidioecesin effuderant, in quibus Bernardus erat, qui majorum nutu cellam Rode, haud procul Confluentia, juxta pagum Esch, praemonstratensium hodiedum virginum monasterium, regebat. Hunc accersitum Adelbero Floreffiam ad Gerlandum abbatem destinat, colonos pro Romersdorffiano asceterio excolendo postulatum. Nec difficilis obtentu res erat, apud salutis non solum propriae, verum et alienae cupidissimos; quare imperio et autoritate Gerlandi effectum est, ut idonei ad hanc palaestram religionis instaurandam viri destinarentur, sub quorum deinde cura cellae Rodensis parthenonis administratio permansit.

Theodoricus igitur cum abbatis potestate primus e Floreffia praemonstratensium eduxit coetum, sedesque ac glebas coelesti agriculturae factitandae Romersdorffii anno salutis 1135 assignavit. Fundamenta ab illo inter collapsas benedictinorum ruinas jacta sunt, ejusdem, quod hodiedum incolitur monasterii, quod post auspicata religionis instauratae principia et decennalem administrationem loco cedens reliquit. — Hujus temporibus, circa annum 1140 Wulfersburgense coenobium a praemonstratis instituti sanctimonialibus occupatum est, sub patrocinio B. M. V. S. Michaelis archangeli et S. Petri apostoli erectum; vixisse sub dispositione abbatis Romersdorffiani, communibusque redditibus (ut habitatione vicinae erant) alitas commemorant, dum superiori, ut infra videbimus, aetate expirarunt. Sub eodem sanctimoniales pari rerum spiritualium et temporalium lege curaque in Steinbachensi parthenone collocatae sunt, qui locus comitatus Wedani est, idque sub patrocinio S. Mariae et D^{i} Nicolai, donec hinc in dioecesin Moguntinam, haud procul Königsteinio, in cellam Consilii Dei, vulgo Rheters dictam, translatae fuere, opibus operaque comitis

Gerardi de Nuringen, ut sentiunt, fundatae, non tamen jurisdictioni Romersdorffianae subductae. Ecclesiam loci ab Henrico archiepiscopo Moguntinensi consecratam asserunt; Christinae isthic virginis, anno salutis 1290 sanctitate eminentis, viget memoria.

2. Macarius deinde, aliqua vacatione annorum praevia, Floreffia emissus Romersdorffium praelati authoritate moderatus, adjecisse basilicae turrim creditur, caetera ignoratus.

3. Henricus, ex eadem Floreffia surrogatus, praeterquam nomine a posteris nescitur.

4. Rudolphus, e Floreffiensi seminario huc etiam missus abbas, praefuit aõ 1162, quo ad illum extat diploma Victoris V. pontificis, contra Alexandrum sedentis, eoque privilegia et bonorum possessio confirmantur.

5. Engelbertus subinde aõ 1162 primus ex hujus monasterii gremio, communi suffragiorum jure delectus abbas fuit. Quo autore parthenoni Wulfersbergico sub proprii coenobiarchae dispositione, redditus bonorum, hactenus Romersdorffianis immixti, seorsim designati sunt; ne confusio, querelis obnoxia, maneret. Sub eodem ex hoc virginum seminario Altenburgum seu Altenbergam (ut corrupto vocabulo appellatur), ad superiorem Loganae fluminis oram, haud procul Wezflaria, sanctimoniales deductae, quae hodiedum florenti disciplina, singulari Dei providentia inter medias haereticorum sectas, ceu rosae in spinetis persistunt, ut infra spectabimus. Extat ad Engelbertum Alexandri III. papae protectoria et confirmatoria amplissimorum privilegiorum bulla anni 1179, solvitque quotannis camerae apostolicae aureum Coloniensem Romersdorffiana ecclesia, hujus protectionis gratiam testificata. Engelberti abbatis tamen felicior in administratione progressus, quam exitus fuit, siquidem post annos praelaturae 17, majorum sui ordinis imperio obluctatus, ex capituli generalis sententia, officio et dignitate motus est. Ortum deinde inter religiosos de novo magistratu dissidium, aliquamdiu tenuit, aliis quendam de Ilbenstadt, in Wetteravia, prope Francofurdiam, aliis Albertum, Steinfeldensis monasterii canonicum, probatae vitae hominem,

eligentibus. Sed utroque pauperis afflictaeque id temporis domus regimen detrectante, tertius novo suffragantium consensu est substitutus.

6. Vortlierus is fuit, ex Knechtstadiano monasterio, quod archidioecesis Coloniensis, a Germano fratre, ejus loci praelato, huc aõ 1181 traductus institutusque. Ejus temporibus, Arnoldi, Trevirorum archiepiscopi favore, et Florini, hujus ecclesiae canonici religiosi, industria, aes stipe corrogatum est, quo inchoati monasterii structura ad fastigium assurgeret.

7. Helias aõ 1198 ad hujus monasterii praefecturam vocatus, triennio post vita ac munere defunctus est, cujus apud Petrum de Wagenare, *de illustribus viris ordinis praemonstratensis,* memoria est.

8. Reinerus aõ 1201 surrogatus est, quo moderante ecclesia insigni mole ac opere, in figuram crucis, ex ordinis consuetudine, ad fastigium educta est, et aõ 1210, XIV. calend. decembris a Joanne archiepiscopo Trevirensi, et Brunwardo Zwirinensi (Schwerinensi) episcopo, S. Dei Genitricis Mariae et S. Joannis evangelistae honori est dedicata. Eodem anno obtinuit ab Ottone IV. imperatore protectorium suae ecclesiae, et simul libertatem telonii in Rheno et Mogano, confirmatam a Ferdinando II. imperatore, aõ 1629. Innocentius papa III. anno pontificatus sui XVIII., anno autem Domini 1216, cognitis hujus viri meritis, eum una cum abbate de Villario, praedicatorem et crucis signatorum protectorem destinat; sed quae fuit hominis infelicitas, Reinerus crucis praedicationi sedulo incumbens, anno Domini 1216, III. idus septembris incertis Rheni undis se committens, submergitur, unaque fluctibus cum illo conditi sunt Godefridus, coenobiarchus, et Theodoricus, conversus.

9. Bruno a Braunsberg, vir nobilis, surrogatur aõ 1216, sub quo laetius iere res aegrius hucusque coalescentes, nam pluribus ecclesiae bonis acquisitis, variis aedificiis erectis, suppellectile quoque exquisitorum librorum monasterium crevit, deinde Honorius papa III. anno sui pontificatus IV. Domini

vero 1220, Brunonem in locum praedecessoris, cum abbate Himmerodensi ad praedicandas indulgentias pro cruce signandis mittit. Ejus temporibus, ad annum 1220, fundatur coenobium Dorlar sub dominio Nasso-Sarapontanorum, non longe a municipio Giesen, quod Hasso-Darmstadiensis ditionis est, situm, collocatis illuc virginibus ordinis praemonstratensis, legibus et disciplinae archimandritae Romersdorffiensis parituris, quod monasterium postea, approbante concilio Basiliensi, ex praepositura virginum in praeposituram virorum ejusdem ordinis mutatum est, commissa, sicut ante, cura ejus per praefatum concilium abbati de Romersdorff, aõ 1437, ut infra sub abbate Huberto tradetur. Hic Bruno, tum ex S. Crucis praedicatione, tum ex aliarum virtutum merito adeo gratus et familiaris fuit Ludovico, Hassiae et Thuringiae landgravio, ejusque conjugi, S. Elisabethae, Andreae, regis Hungariae, filiae, ut dum landgravius, cruce signatus, cum Friderico, Romanorum imperatore, in terram sanctam transfretare cogitaret, essetque conjunx ejus, S. Elisabetha, gravida, inter ambos conjuges ita votum fuit, ut si foret proles mascula, ea Deo dicaretur in Romersdorffio, si vero femella, in parthenone Altenbergensi, ut Gertrude, subinde nata, factum esse infra trademus. Sub hoc quoque Brunone Gregorius papa IX. Moguntino, Trevirorum et Coloniensi archiepiscopis defensionem ecclesiae de Romersdorff contra quoscunque turbatores, specialiter vero illos committit, qui decimas de possessionibus, quas propriis manibus aut sumptibus colit, extorquere praesumpserint, aõ 1229, pontificatus sui II. Tandem Bruno, multis praeclare gestis, solutis in paralysin membris, honorem deposuit, quietioris vitae solatio ante mortem, aõ 1236 obitam, fruiturus.

10. Henricus II. successit, promovendarum rerum ecclesiae suae solertissimus praesul. Inter alia villam Heimbach cum agris et hominibus a monasterio Lacensi aõ 1242 translatam optima sibi lege vendicavit, renunciante Henrico de Coverna omni juri sibi quomodolibet competenti; quam emptionem resignationemque confirmarunt Arnoldus, Trevirorum archiepiscopus, aõ 1255, et Richardus, Romanorum rex, aõ

1269. Post quae Henricus, incertum quo anno, humanis abiit, alterique successori locum fecit.

11. Gerhardus is fuit, cujus tempore Innocentius papa IV. anno Domini 1247, pontificatus sui anno VI. nonis januarii, dat privilegium ecclesiae de Romersdorff adeundi haereditatem suorum professorum. Hic Gerhardus administrationem bonorum monasticorum in parthenone Altenbergico certa lege complexus est, prout infra sub Henrico III. videbitur. Sub ejus quoque felici praesidio Beata Gertrudis, anno aetatis 21, omnium suffragiis, parthenonis suae magistra eligitur et instituitur aō 1247, in ipsa assumptae Deiparae festivitate. Sub eodem aō 1249 fundatum hospitale in Andernaco est a quodam Ernesto et Christina conjugibus et loci civibus, cujus directio, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, ab ipsis fundatoribus committitur ecclesiae de Romersdorff, confirmantibus hanc commissionem DD. Arnoldo et Henrico, Trevirorum archiepiscopis, in diplomate, aō 1256, et Clemente papa IV. aō 1268, pontificatus sui aō III. Notatur Gerhardum adhuc praefuisse aō 1252, sed tempus obitus ignoratur.

12. Embrico, in locum accitus, a Clemente papa IV. aō 1267, pontificatus ipsius aō III. confirmationem literasque protectorias ecclesiae Romersdorffiensis cum aliis amplissimis habuit privilegiis. Idem pontifex dat privilegium ecclesiae de Romersdorff, de non solvendis debitis a praedeceessoribus contractis, nisi creditores legitime probent, conversa esse debita in ecclesiae utilitatem, aō 1269, III. idus octobris. Extant quoque Embriconis literae, quibus ratam habet donationem a Sophia, ducissa Brabantiae, sorore B. Gertrudis, parthenoni in Altenberg factam. Quo anno desierit praeesse ac vivere Embrico, posteros latet, sepultus ante altare B. Andreae, in loco stationum, ad pedem sepulchri dominorum de Isenburg, creditur in subterranea crypta, veterum sepulturis, et abbatum monumentis nobilitata.

13. Everhardus, ex priore Romersdorffiano ad abbatis nomen honoremque transiit. Huic Christina, fundatrix hospitalis Andernacensis, praesente Henrico de Bolandia, archi-

diacono Trevirensi, ejus curam directionemque tradidit anno salutis 1271.

14. Theodoricus, post illum praefectus, sacras rerum habenas, quas aõ 1276 tenuisse, ex literis deprehenditur, posuisse denique legitur, suane, an suorum magis voluntate incertum mansit.

15. Henricus III. aõ 1277 publico diplomate ratam habuit parthenonis Altenbergensis administrationem, a Gerhardo et Embricone praedecessoribus decretam.

16. Richwinus subiit, qui magna familiaris rei pressus inopia, Ludovico de Spobach, scholastico Cardonensi, possessiones ad Mosellam Winningenses literis inauspicatis aõ 1284 transcripsit.

17. Weltelinus, seu Welthelmus, solo praelati titulo posteris innotuit.

18. Enulphus ab anno 1294 ad 1301 floruit, sub quo S. Gertrudis, magistra in Altenberg, illustri sanctitatis juxta ac generis fama celebratur.

19. Philippus, ex munitis sigillo literis praefuisse anno salutis 1304 agnoscitur.

20. Ludovicus altero post anno praesedit, caetera incognitus.

21. Conradus in abbatum catalogo annum 1307 obtinet.

22. Craffto de Bettendorff aõ 1311 hoc in munere rara dicendi ad populum gratia effloruit, ut idcirco Hartingus Metensium episcopus aõ 1317 illius concioni praesentibus dies indulgentiarum ut vocant 40, Baldewinus vero, Trevirorum archiepiscopus, per suum suffraganeum 50 largitus sit. Moriens denique, non sine egregia factorum laude, successori aõ 1330, feria 4 post dominicam Misericordiae, pedum reliquit.

23. Roricus ex priore parthenonis Wulffersbergici abbas creatus est, sub quo aõ 1330 Baldewinus, archiepiscopus Trevirensis, concessit indulgentias 40 dierum iis, qui ante imaginem B. M. V. ad chori exitum per Conradum Winter, sacellanum Baldewini, professum Romersdorffiensem, erectam, salutationem angelicam pro animae suae salute devote pro-

tulerint. Est imago hodiedum in honore et observantia. Porro Roricus biennii regimen morte conclusit.

24. Arnoldus ubi ad clavum aliquamdiu sedisset, quem etiamnum aõ 1335 tenuit, abiisse demum honore, vitamque in prioris Altenbergensis officio posuisse, legitur.

25. Hugo eidem successione proximus, cujus aetate fundat anniversarium sacrum in ecclesia Romersdorffiensi Balduinus, Trevirensis archiepiscopus, pro se et Henrico, Romanorum imperatore, germano suo, et eorum progenitoribus, anno salutis 1341, septembris die 13.

26. Henricus IV. aõ 1346 tenuisse hanc sedem legitur, cujus accessus decessusque sua temporis nota ignoratur.

27. Henricus V. de Limburg. Hic sanctuarium fornicibus laqueatum construxit, et altare summum erexit, a Gervico, Balduini archiepiscopi suffraganeo, in honorem Deiparae et S. Joannis evangelistae consecratum; anno salutis 1351 indulgentias 80 dierum in dedicationis et patronorum festivitate ecclesiam pie visitantibus, elargitus. Bellum hac tempestate inter Balduinum et Gerlacum Isenburgicum crudele exarserat: quo cum a vicinis Isenburgicis maxima Romersdorffianae ecclesiae damna, aedificiis igne consumptis, illata essent, pax denique ea lege constitit, ut Isenburgicus ad damnorum instaurationem jus patronatus ecclesiae Heimbacensis cum tertia decimarum parte abbatiae conferret, quae collatio a Balduino aõ 1351, aprilis 30. die, confirmationem habuit; quo beneficio Henricus abbas fretus, collapsa ex cineribus restituit. Obiit aõ 1361, V. idus octobris, in sacrario, quod condiderat, sepultus.

28. Aegidius, praeter annum salutis 1362 plures in vita et sede non censet.

29. Walthelmus de Leudesdorff usque ad annum 1376 praefectus, cum ingentibus ecclesiam debitis obligasset, a Petro abbate Floreffiensi officio motus est, frugaliore in locum praesule surrogato.

30. Henricus VI. Seynensis. Sub hoc D. Pileus, cardinalis S. Praxedis, legatus apostolicus, Francofurti aõ 1380 ad

calend. octob. XVI. indulgentias et privilegia, hactenus a pontificibus et episcopis Romersdorffianis data, confirmat, perpetuumque rata fore sancit. Henrici mortis dies incognita, ad annum tamen 1393 vixit superstes.

31. Winhardus solo post hunc abbatis nomine celebratur.

32. Conradus II. ab anno 1398 usque ad 1400 et 4. aprilis diem superfuisse legitur, quando vel vita vel officio cessisse credibile sit, cum vacantis abbatis munus Everhardus quidam, sub titulo praepositi, administrasse, ex archivi documentis cognoscitur.

33. Joannes de Wezflaria aõ 1406 et 1408 praefuisse deprehenditur.

34. Joannes de Rivenaco a 1408 usque ad 1416 superstes rexit.

35. Conradus III. Heimbacensis, aõ 1415 inter vivos regentes numeratus est.

36. Joannes III. Wezflariensis, aõ 1428 praefuit.

37. Everhardus II. sine temporis nota in catalogo abbatum succenturiatur.

38. Roricus II. annum 1430 abbas vidit.

39. Everhardus III. aõ 1434 vixit, abbatialis quod hodie superest pedi autor.

40. Hubertus Agrippinensis, decretorum doctor, praefuit aõ 1436, postea idem Joannis Badensis, Trevirorum archiepiscopi, suffraganeus et episcopus Azotensis. Hic cum praepositus virginum in Dorlar, Gerhardus, ecclesiam hanc filialem Romersdorffianae subtrahere in concilio Basiliensi, et propriae authoritatis praeposituram constituere niteretur, justis de causis, publico etiam diplomate anni 1437 vetus institutum probante, impedivit, stabilitaque diplomate altero anni 1476 jurisdictio monasterii in parochiam est Heimbacensem. Domus Confluentina ab eodem praelato pro refugio in necessitate constructa, sacellumque in illa D. Willibrordo consecratum; demum aõ 1483, ipsa S. Agathae virginis festivitate, postquam annis facile 47 summa cum laude atque utilitate suis prae-

fuisset, mortales reliquit, sepultus Romersdorffii, in oratorio S. Annae, a se aedificato et consecrato.

41. Gisbertus Keller, Heimbacensis, successit, qui etiam Giso et Giselbertus dictus est. Sub hoc Theodoricus de Braunsberg, dominus in Broil, cantandum in singulos dies post vesperam psalmodiam, odem parthenicam *Salve Regina,* instituit. Porro sub eodem aõ 1497 a Joanne episcopo Azotensi, suffraganeo Treverico, ecclesia profanata rursum cum sacellis omnibus publica caeremonia conciliatur. Denique post annos gubernationis tres et triginta, aõ 1516, aprilis 22. vita et munere defunctus est. Praesentatus fuit per abbatem de Floreffe, 10. martii 1484.

42. Joannes IV. Mant Limbacensis, vir nobili apud suos loco ex priore Romersdorffiensi aõ 1516, mense majo, ex commissione D. Godefridi, abbatis Floreffiensis, eligitur sub praesidibus DD. Matthia Knechtstedensi et Leviso Seynensi abbate. Extinctum in praefectura illius aõ 1521 monasterium Wülfersberganum est per D. Joannem abbatem Steinfeldensem, Westphalicae provinciae visitatorem, ex quo ecclesia superest, in qua a Romersdorffiano sacerdote divina peragantur. Leprae hic denique contagione infectus, aõ 1524 ab officio decessit, mortuus aõ 1527, calendis maji. Benedictus fuit 23. augusti 1516.

43. Thomas a Dibelich, ex provisore parthenonis Dorlariensis electus aõ 1524 praelatus ex commissione D. Godefridi, abbatis Floreffiensis, praesidentibus electioni D. Adamo in Arnstein, et Joanne in Seyna. Hic invalescenti per Germaniam haeresi, monasterium Dorlarense nobili cuidam de Buseck vix quarta parte justi pretii divendidit, ne amitteret vel invitus universa, cum nec propriam tueri satis domum adversus haereticorum furorem posset, in qua aedificia omnia cum B. M. V. et S. Joannis evangelistae capella in cineres abiere, quae tamen pleraque ejus rursum aere industriaque aõ 1537 erecta, surrexere. Demum obtinuit a Carolo V. imperatore contra religionis hostes diploma protectorium, confirmationemque privilegiorum ac jurisdictionis, constitutis in hanc rem aõ 1545 duobus archiepiscopis electoribus, Moguntino

et Trevirensi, protectoribus. Conclusit vitam munusque 27. novembris anni 1552, ante summum altare humo mandatus.

44. Adamus de Müllenarck, Westerburgensis, ex ordine equestri, prior in Rheters, ac subinde usitato ritu creatus abbas 1552, altera D. Nicolai die, qui postquam aõ 1559 vitam functus esset, Ludovicus comes Königsteinius, monasterium Rheters novae religionis omnia sibi promixue vendicantis licentia occupavit, qua hodiedum in alienis manibus perseverat.

45. Servatius Gerhardi, Wezflariensis, praesidibus Jacobo abbate Steinfeldensi, visitatore, et Henricis geminis Arnsteiniensi et Seynensi abbatibus in decessoris locum est surrogatus. Hic ob insignem rerum agendarum prudentiam a Jacobo Trevirensi archiepiscopo in album consiliariorum relatus est. Protectionis diploma Moguntinensi et Trevirensi archiepiscopis suo nomine commissae aõ 1570 a Maximiliano II. obtinuit, sed pro monasterio Rheters ad veteres possessores revocando nequicquam laboratum est. Porro comes Wedanus anno salutis 1575, 18. maji, certis huic monasterio legibus jus patronatus in Sebastian-Engers cum annexis decimis tradidit, contra cessit monasterium comiti capellam in Ober-Biberen cum adjunctis. Obiit Servatius aõ Domini 1576, nocte S. Agnetis, conditus ante summum altare, postquam praefuisset annis 18.

46. Joannes V. Urbarius, Confluentiae natus, ex priore in Rode consueta solennitate et praesentia abbatum electus est. Sub quo pastor Confluentinus B. V. professus Romersdorffianus 500 florenos vulgaris monetae studiosis pauperibus patrum soc. Jesu ibidem aõ 1583 assignavit, cumque ejus temporibus comites Seynenses ab orthodoxa fide aversi, abbatiam Seynensem, a majoribus fundatam, invaderent, Joannes archiepiscopus Trevirensis Urbario aõ 1582 commisit, ut provideret sedulo, ne quid in religione detrimenti locus ferret, sed de idoneo religiosorum numero cultuque prospectum esset. Quae res ipsi posterisque curae fuit, quanquam graviora subinde Seynenses religiosi perpessi, hac, quo haec scribo, anni 1669 tempestate, instauratis muris, reductisque incolis, sub novo praesule rursum exsurgant. Urbarius demum, non tam

senio, quam rerum gerendarum onere fessus, aõ 1595 pedum deposuit, tribusque et viginti post annis in cura parthenonis Besselichianae extinctus est (1618).

47. Joannes VI. Limburgius, de Heddesdorf, resignanti Urbario aõ 1595 substitutus, solennis jubilaei aõ 1600 promulgationem per Lotharium archiepiscopum, anno insequenti in ecclesia collegiata Limburgensi commissam sibi executus est. Cujus etiam directioni ac correctioni monasterium virginum in Camp, juxta Boppardiam, aõ 1606 subjectum est, uti decennio post monasterium Portae Angelicae, quod olim ab Henrico II. Trevirorum archiepiscopo, aõ Domini 1276 legibus ac disciplinae Seynensis abbatiae creditum fuerat. Porro ne haereticorum violentiae pateret, Ferdinandus II. imperator privilegia ac protectionis olim concessa diplomata rata habuit, firmavitque. Limburgius vero auspicatus in navi templi laqueatos fornices, bellorum a Sueco ingruentium injuria ab operis absolutione est impeditus, denique jubilarius senex jam plenus dierum 29. aprilis 1634 in morte, ante summam sanctuarii depositus, quievit.

48. Joannes VII. Bielen, Heimbachweisensis, ex priore Altenbergico abbas veteri ritu designatus, turbulento inter Martis aestus jactatus regimine est. Vir simplex, rectusque, brevi functus quadrienni regimine diem clausit extremum aõ 1638.

49. Casparus Schild, Agrippinensis, ex priore Steinfeldio Seynensis primum, ac deinde praesidum ac scrutiniorum lege Romersdorffianus abbas, vir theologico in studiis evectus gradu, sub quo bellis quiescentibus, monasterii fortuna debitis solutis rursum erigi, ac pristino religionis cultu, reductis exulibus, coepit efflorescere. Interea Casparus, apostolicis non raro occupatus functionibus, vitam post sexennale regimen Coloniae exspiravit 16. maji 1645, depositus in seminarii praemonstratensis sacello.

50. Nicolaus Simonis, Meifeldius, a subprioris officio inter suos ad abbatiale munus translatus, postquam annis aliquot laudabili moderatione clavum tenuisset, Confluentiae aõ 1654

extinctus 13. decembris est, corpore ad sanctuarium Romersdorffianum deportato.

51. Petrus Diederichs, Boppardiensis, prior quondam Altenbergicus et pastor Wezflariensis, ex commissione D. Norberti abbatis Steinfeldensis electus aõ 1655, inauguratusque (ut quondam moris, sed neglectum diu) mitra praesulari, annuente emin. archiepiscopo Trevirensi Carolo Casparo anno 1656, qui pari facilitate ejusdem mitrae depositionem anno post (1657) indulsit, cum abbate Norberto, quod nimiae liberalitatis reus, ostendisset, pastorem se populorum aliquanto peritius, quam claustralium egisse, parochiae igitur Irlichianae primum, ac deinde Kirchfreusbergensi praefectus, egregio inter heterodoxos zelo catholicam religionem propagavit, anno demum 1667, die 20. aprilis istic defunctus, sepultusque in parochiali, ante summam aram, ecclesia.

52. Gerardus II. ab Enzen, Tolpiacensis, dioecesis Agrippinatum, Steinfeldiae professus, ex Arnsteiniano adjutore abbas primum Seynensis, ac subinde post cessionem Petri Romersdorffiensis postulatus, electusque aõ 1657, ipso S. Matthaei apostoli festo die, praeside R. D. Norberto abbate Steinfeldensi et vicario generali, quem suos hactenus cum integritatis, laudataeque disciplinae fama moderantem, Deus opt. max. sospitet, fortunetque. — Gerardus obiit aõ 1671.

53. Carolus Wirz, Cochemius, electus aõ 1671, juravit 22. novembris 1677, obiit aõ 1705, 10. decembris.

54. Joannes Wirz, Cochemius, electus aõ 1706, obiit aõ 1729.

55. Hermannus Scheus, electus aõ 1729, obiit aõ 1732.

56. Ludovicus a Coll, cancellarii Trevirensis frater, electus 25. junii 1732 et 5. octobris a. e. ab archiepiscopo Trevirensi, Francisco Georgio, in ecclesia Confluentina B. M. V. benedictus. Vigilanter ac discrete gubernacula tenuit, pie mortuus aõ 1746, 14. julii.

57. Wernerus Diepram, Santensis, electus 1. augusti 1746, obiit 26. junii 1772.

58. Franciscus Kech, Wetzflariensis, electus 14. julii 1772, obiit, visitator generalis, aõ 1792.

59. Augustinus Müller, Vallendariensis, electus aõ 1792, obiit in Valle Ehrenbreitsteiniana aõ 1821, 2. junii.

Illustria benefactorum Romersdorffianae ecclesiae monumenta.

Perquam illustrium familiarum quatuor hic diversa omnino monumenta deprehenduntur, quorum nunc familiae aut extinctae, aut ab orthodoxa majorum fide degenerarunt.

Comitum de Wede.

Prima, quae etiamnum superest, si majorum fidem demas, qua defecit, perquam illustris et antiquissima comitum de Wede familia est, quae proavorum sepulchra in chori sanctuario obtinet. Et 1º quidem in sepulchro marmoreo altius a terra surgente par ex hac familia conjugum in figura aenea affabre excisorum eminent, quorum nomina vetustate obliterata, antiquitatem cum fidei tum aetatis sine voce testantur. 2º ex latere ejusdem monumenti sinistro aliud par conjugum posterioribus saeculis locatorum visitur, inscriptione nondum obtrita, quae talis est:

Anno MCDLXII. in die S. Severini obiit nobilis Domicellus Wilhelmus Comes de Wede et Dñus in Isenburgh. Anno MCDLXX. in Conversione S. Pauli obiit nobilis Dna Philippa de Heinsburgh relicta vidua Comitis. Quorum animae R. I. P. Amen.

3º *An. MCDLXXXVI. die Nativitatis Christi obiit nobilis et generosus Dominus Wilhelmus, Dominus in Runckel et Isenburgh, cujus anima R. I. P.*

4º *Anno MDXXV. obiit generosus D. Philippus Comes in Weda Dñus in Runckel et Isenburgh.*

5° *Anno MDXXXIII. 28. Maji obiit generosus D. Joannes Comes de Weda Dñus in Runckel et Isenburg. R. I. P. Amen.*

Comitum de Isenburgh.

Henricus senior et Henricus junior cum Mechtilde conjuge sua ante altare S. Andreae et Jacobi apostolorum in ambitu ad introitum ecclesiae conditi jacent; quod altare sub Embricone abbate a dicto Henrico juniore aõ 1264 erectum fundatumque est. Plures ibidem dominorum de Isenburgh quiescant, probabile magis assertu est, quam demonstrabile. Alii ejusdem familiae ut gentilitia signa docent, ante sacristiam in crypta subterranea sub ara D. Magdalenae reconduntur, ubi aliquot conjugum paria sine die ac nomine solis dignoscenda insignibus, in muri lateribus conspicua eminent. Ultimus in hanc cryptam illatus est Salentinus, archiepiscopus quondam Coloniensis, cujus hoc visitur epitaphium:

Reverendissimus et illustrissimus Comes et Dominus Salentinus Comes in Isenburg, Archipraesul ac Princeps Elector Coloniensis decemnalis, propagandi stemmatis causa resignavit, nupsit, liberos vidit, obiit anno MDCX. die XIX. Martii aetatis anno LXXVIII.

Ejus filius Ernestus, ultimus stemmatis haeres, hoc eodem loco reponi cum anniversarii fundatione decreverat, sed morte Bruxellis in Belgio aõ 1664 praeoccupatus, sepultusque ante Deiparae aram a se in templo D. Gudulae erectam, solius propositi testes Romersdorffienses habet.

Dominorum de Braunsberg.

In choro B. M. V. affabre fornicato alae templi dextrae genealogia majorum illustris familiae de Braunsberg, in tabula ante imaginem Deiparae, JEsum ulnis complexae supplici poplite manuque ac ore venerantium spectatur, cujus instituto quotidiana istic hymnodia *Regina coeli* honoratur, unde hodie-

dum chorus ille Braunsbergensis nuncupatur. Plures ibidem hujus familiae in cineribus quiescunt, ex quibus ultimum recensere suffecerit; sic monumentum habet:

Anno MDCXII. 19. Januarii obiit Praenobilis D. Wilhelmus a Braunsbergh Dom. in Broilsburg Merxheim Alcken et Broil. R. I. P. amen.

Ultimus hujus stemmatis erat, per cujus mortem feudum Braunsberg devolutum ad comites Wedenses fuit.

Dominorum de Metternich ex Heddesdorf.

Quiescunt et in navi ecclesiae ex praenobili ac generosa stirpe Metternichiorum ab Heddesdorf diversi, quorum monumenta has epigraphes praeferunt, quas subjicimus in gratiam ejusdem familiae, jam tamen in solo foemineo sexu superstitis.

1. Anno MCDXXXIV. 18. Februarii obiit Venerabilis Wilhelmus de Hedesdorff. Marschallus. R. I. P. amen.

2. Anno MDCXXVI. 24. Septemb. obiit Praenobilis D. D. Joannes Reinardus de Metternich, Satrapa in Comitatu Wiedensi et Dominio Isenburgh. R. I. P. amen.

3. Anno MDCXXVI. 4. Xbris obiit Venerabilis et Praenobilis Virgo Anna Maria de Metternich, Canonissa Coloniae ad S. Mariam in Capitolio. R. I. P. amen.

4. Anno MDCXXXXVII. 23. Aprilis obiit Praenobilis Dñus Landulphus a Metternich in Hedesdorff et Broil. Anno MDCLIX. 28. Novembris obiit Praenobilis Dña Eva de Irmtraud relicta Landulphi. R. I. P. amen.

Haec tum ad proavorum in posteris retinendam memoriam, quae et in ipsis obliteratur lapidibus, aeternitate tamen, quam hi subierunt, constante ac durante semper, tum ad mortalitatis nostrae exemplum, in praecipuis licet hominibus propositum, quos mors non transit, libuit proponere, ut intelligat prudens lector, non solum viros principes, nobilesque, sed familias eorum quoque et stirpes late propagatas, non inexpectato fato intermori, nihilque sub sole, nisi animas nostras,

quarum tamen postremam saepe curam gerunt, qui de familiis suis propagandis, exaltandisque nimium laborant, immortales reperiri, Tu, si sapis, ita mortalia sectare bona, ut immortalia non amittas, nam brevi et tuum cum supra memoratis monumentum sub terra habiturus es. Quod mortalium in te finem adferet, immortalitatis signabit initium, cujus nullum habiturus es finem.

CAPUT III.

Wadengozensis abbatia et monasterium, vulgo Wadgassen.

De hoc monasterio pauca quae supersunt, communico. Situm est nemorosa regione, non procul a Sara flumine, aliquot millibus supra Walterfingium oppidum, in confinibus Lotharingiae, recessu non injucundo, fere ad viam militarem, qua Triboci a Treveris adeuntur. Gizela, Friderici, comitis Saraepontis, vidua, monasterium praedio ad Sarae fluvii ripas, una a Sara-Ludovici arce hora, in loco palustri, silvis consito, sedente, procurante et favente Adalberone Trevirensium archiepiscopo aedificavit circa annum Domini 1135. Constituto monasterio a Gizela, introductisque praemonstratensibus, primus ad postulationem Adalberonis archiepiscopi praefectus est Wolffamus, abbas, qui, ut ex ipsius chirographo discimus, obedientiam Adalberoni, antistiti Trevirorum, promisit, in qua posteri hodieque Treverico archiepiscopo subjecti manent.

Marceti, quae sedes christianitatis Trevericae ad Saram amnem, praepositura visitur non obscuri nominis, Wadgassensi abbati subjacens. Documenta coenobii praecipua a dynasta quopiam, qui veterum Saraepontis comitum donationibus et alienae tutelae manum injecit, occupata perhibent. Marcetanas tamen origines repetit Arnoldus I. archiepiscopus in diplomate

dato aõ 1180, quod Godefrido Wadegozensi abbati concessit, cum cellam in Marceto, Trevirensi ecclesiae subjectam, et a Rudolpho ministeriali S. Petri Treverici, authoritate Adalberonis et Hillini archiepiscoporum fundatam, cum regimine Marcetanae parochiae et tertia parte decimarum, aliisque possessionibus, quas decessores cellae donarunt, Wadgassensi abbatiae, cujus archiepiscopus Trevirensis advocatus, attribuit. Et quia eam in rem et consilium et assensum venerabilis Godefridi abbatis de Sprinkirsbach accessisse meminit, unaque moribus et disciplina cellam tunc fuisse collapsam, probabile fit, ab hujus jurisdictione incolas transisse in familiam praemonstratensium. Incidimus et in aliud diploma datum ab Henrico Vinstingio archiepiscopo, priore luculentius, quo fundis jamtum auctis industria Wecelonis, ejusdem familiae canonici, adjecta quoque Flarsdorffii capella liberalitate dominae Adelheidis, ipse ad trientem decimarum duas se partes adjicere hac conditione profitetur, ut duas libras Trevirensis monetae quotannis inde archiepiscopo persolvant coenobitae. Hinc tutelam iis addicens, et a ceterorum cujuscunque ordinis advocatione vel jure eos eximens, copiam facit, quandocunque id ratio vel usus poposcerit, abbatem ex suo coetu sibi praestituendi eligendique. Scriptum hoc anno dominicae incarnationis 1263, ordinationis Henrici 1. testes: Godefridus majoris ecclesiae praepositus, Arnulphus, Alexander, Bruno, archidiaconi &c.

Quin ut ad majorem antiquitatis curam excitemus, Wadgozenses ad an. 1276 illustrem donationem patronatus ecclesiae de Berringa, Metensis dioecesis, ab Joanne domino Novi Castri factam, celebravimus, quam Laurentius episcopus Metensis hoc se promptius stabiliisse fatetur, quod illo tempore per insolentiam laicorum cerneret monasteria plurimum vastari. Porro jus idem ecclesiae cum fructu occupandae aõ 1282 Bartoldus, Metensis archidiaconus, amplo scripto confirmavit et indulsit, ut eo largius, prout adhuc factum, opera charitatis et hospitalitatis, cum ipsi coenobitae praesentes, tum ipsorum posteri et successores, exercèrent.

Abbatum hujus monasterii catalogus et administratio cum praecipua bonorum possessione intercidere, sed nec magnopere hujus loci disciplina proxime superiori aetate commendanda fuit, quando pars ejus loci religiosorum una cum certis redditibus ecclesiae in acatholicorum partes concessere; et periissent denique universa, nisi praelatus in lubrica quantumvis vita, sui tamen monasterii jura possessionesque, cum fidei catholicae defensione integra esse voluisset. Nunc ad lapsorum instaurationem omni ope incumbitur. Saraepontani hujus loci comites ut primi fundatores habentur, atque ex hac familia Fridericum saeculo Christi XII. monasterii autorem suggerunt, ita mutatis cum religione consiliis lapso aevo non parum obfuere, modo tamen minus averso ferunt animo, patiunturque suo religiosos instituto vivere. Superest etiamnum vetus majori nexum basilicae sacellum, quod Friderici nuncupant, in quo assurgens paululum a terra sepulchrum visitur, nulla hodie, quae legi possit inscriptione signatum, quo non inanis conjectura est, fundatorem loci, Fridericum, quiescere, animo jam coelis recepto, cujus si posteri religionem probent, salutemque ament, mirum est vestigia non consectari.

Alia quaedam templi monumenta suis inscriptionibus noscuntur, ut in navi basilicae sepulchrali inaratum lapidi comitis benefactoris, qui pagum Wittringen, cum juribus et appendiciis, quondam monasterio legaverat, nomen legitur. Haec enim epigraphe est: *Hic jacet Godefridus Comes de Forbach qui obiit anno Dñi MCCCXVI. in die XV. kalend. Julii.* In ipso coenobio supra ostium domus capitularis haec epigraphe fixa est: *Noverint tam praesentes quam futuri, quod Henricus Flanderensis et Hermengardis uxor ejus cum filio eorum Jacobo decem marcas argenti examinati Metensis monetae huic ecclesiae contulerint, ut singulis annis in memoriam eorum missa cum commendatione fieret, et ipsa die totus conventus vinum et album panem ad refectionem haberent.* In ipsa domo capitulari sublevato a terra inscriptum lapidi est: *Anno Domini MCCCLXXXI. III. kalend. Sept. obiit R. in Christo Pater D. Gerlacus a Randeck Abbas hujus mo-*

nasterii, qui legavit conventui libras quingentas pecuniae pro anniversario. Habent etiam monumenta sepulchralia Gizelae fundatricis; Loretae comitissae Saraepontanae, matris comitis Simonis, anno 1271 sepultae; Joannis de Varnesberg, aõ 1282; Jacobi de Varnesberg, aõ 1290; Margarethae a Sabaudia, uxoris Simonis de Commerceio, aõ 1313.

Haec ex multis cum orthodoxa religione et veterum disciplina interlapsis supersunt hujus loci velut quaedam ex antiquitate rudera, quae obiter hoc loco delineanda calamo sumpsimus, a posteris exspectaturi meliora, cum non omnia quodvis aevum bona ferat.

Series abbatum.

1. Wolframus, ex archicoenobio Praemonstratensi a b. Hugone coloniae fratrum designatus magister et praesul; de quo msc. codex: »Wolframus plenus dierum, morum integri»tate, bonorum operum vitaeque sanctitate celebris, laborum »pro domo Dei servus fidelis recepturus mercedem, moritur »aõ 1158.« Wolframus abbas occ. aõ 1142.

2. Fegerinus; de eodem idem pervetustus msc. codex haec habet: »Fegerinus cum decem annis praefuisset fideliter et »religiose gubernasset, ac sancte vixisset, obiit in Domino »aõ 1168.«

3. Godefridus, occ. 1170 et 1186; ab Alexandro III. aõ 1179, et Coelestino III. aõ 1197 confirmationes et privilegia obtinuit; obiit aõ 1207.

4. Peregrinus mortuus est aõ 1219, occ. 1211 et 1212.

5. Reinerus, defunctus aõ 1260; ejus encomium in praeallegato msc. codice sic habes: »Reinerus abbas, tum morum »integritate, cum regularis vitae exemplo, omnibus fuit secu»laribus et ecclesiasticis vitae norma, animus illorum traxit »ita, ut Wadegotia fuerit locupletata multis et luculentis »donationibus. Pius abbas pie obiit aõ 1260.« Occ. 1212.

6. Henricus, occ. 1265, moritur aõ 1269.

7. Joannes de Saraeponte, electus aõ 1288.

8. Nicolaus, aõ 1289.

9. Isenbrandus, aõ 1301. Ejus memoriam ex eodem msc. codice accipe: »Isenbrandus VIII. (falso) abbas, modo suo affabili »multa bona obvenerunt Vadegotiae. Extitit disciplinae promo»tor, fratrum suorum amator, charitatis plantator; obiit aõ 1301.«

10. Matthaeus, occ. 1305, migravit aõ 1319.

11. Joannes, aõ 1319 et 1328.

12. Rudolfus, aõ 1331 et 1339.

13. Wirricus, aõ 1344 et 1353.

14. Reinoldus, aõ 1358.

15. Gerlacus de Randeck, occ. aõ 1364, obiit 30. augusti 1381.

16. Philippus de Flamburn, ob discordiam inter electores subortam, nominatur ex officio a Gerardo, abbate Salinae-Vallis, praeside deputato per patrem abbatem. Circariarum Vadegotiae et Ivaldiae visitator constitutus est aõ 1386 a Joanne Praemonstrati abbate. E vivis excessit Philippus aõ 1398.

17. Lambertus de Forweiler pacifice eligitur aõ 1398, moriturque aõ 1404.

18. Philippus, abbas S. Mariae in Wadegesheim, juravit 22. julii 1427.

19. Joannes de Lutra, aõ 1430.

20. Philippus de Lutra, occ. 1432, obiit aõ 1458.

21. Antonius Jost, favore comitum Saarbruckensium in locum Philippi se tentat intrudere. Ad patrem abbatem querelam deferunt electores, et ad petitionem eorum commissarios submittit abbatem Rubrensem et praepositum Lutrensem, qui nullitatem electionis agnoscentes, irritam declarare, attento rerum statu difficili, et intercessionem comitum ponderantes, noluerunt, sed defectus supplendo, electum confirmavere. Obiit aõ 1473.

22. Joannes Fritzweiller a vivis migravit aõ 1478.

23. Paulus mit dem Drauben, electus 1481, occ. 1501.

24. Paulus Frontz, sive Crontz, praesentatus per abbatem Praemonstrati, 24. aprilis 1506, mortuus est aõ 1510.

25. Joannes Tholey, defunctus est aõ 1524. Occ. aõ 1512.

26. Kilianus Heylman, sive Helman, aõ 1528 et 1540.

27. Leonardus Pfaltz, aõ 1538, nec non 1549.

28. Richardus, aõ 1552.

29. Seiffridus Hültzling, ab haereticis multa passus, obiit aõ 1571, 5. decembris. Occ. 1554.

30. Adamus Werrel, viam universae carnis ingressus est aõ 1579.

31. Claudius Biesten, electus 1579, obiit 22. martii 1607.

32. Joannes Berrensis, confirmatus a P. Servatio de Lairvelz, praeside et vicario generali, Treviris benedicitur, moriturque aõ 1634.

33. Joannes Rivensis, aõ 1636.

34. Philippus Gretsch, ob bellicosissima Suecorum tempora, vix habuit unde vitam sustentaret, canonici vero victum quaeritantes, ad diversa se receperunt monasteria. Obiit Philippus aõ 1667.

35. Joannes Adami, electus 1667. Is primus mitram suo capiti ex indulto sibi imposuit, decessitque aõ 1677.

36. Petrus Max, juravit 31. augusti 1677, defunctus aõ 1705, die 9. augusti.

37. Hermannus Mertz. Eucharistiae publicum cultum a saeculo per Nassoviae-Saarbrückenses comites tyrannica auctoritate interruptum, solemni apparatu et processione triumphali restituit aõ 1714. Fridericum Ludovicum, comitem Nassoviae-Saarbrückensem, sacris et temporalibus abbatiae juribus inhaerentem, solemni Wetzlariensis curiae mandato et arresto compescuit 17. julii 1727. Electus 20. augusti 1705, occ. 11. decembris 1730.

38. Michael Stein, consecratus aõ 1743, occ. etiam aõ 1777, obiit »» julii 1778.

39. Petrus Schmidt, elect. 5. augusti 1778, occ. 1779—1784, obiit 1784, mense februario.

40. Joannes Baptista Bordier, electus fuit 1784. De ejus morte et testamento annales Strahovienses referrunt sequentia:

»21. augusti 1796 hora 5ta a prandiis comparuit in Sion »RR. ac amplissimus D. Joannes Baptista Bordier, abbas »Vadegotiensis, qui a praefato die domicilium in Sion fixit »erga intertentionis quantum quod desiderabitur tam pro se, »quam pro servo suo pendendum. Servus hic, Ludovicus »Wegel, ille ipse est, qui a tempore illo, quo praefati abbatis »antecessor apoplexia tactus mane in lecto mortuus repertus »fuit, multa, et longum carceris squalorem sustinuit, propterea, »quod malitia alicujus Galli hunc praesulem manu violenta e »vivis sublatum denuntiaverit. Causa mortis naturalis cognita, »non tantum canonia a tanto parricidii scelere immunis de»clarata, sed et a servitiis pie defuncti e carcere dimissus, »innocens, uti fuit proclamatus, ad ulteriora deinde canoniae, »cujus amore tanta sustinuerat, servitia reassumptus est, et »reipsa dignus qui reassumeretur, homo pacificus, industrius »et laboriosus.

»Ad concessionem licentiae hic morandi supra fato RR. »ac AA. domino abbati Vadegotiensi literae reversales a RR. ac »AA. D. abbate Strahoviensi (Wenceslao Mayer) exactae et »datae fuerant.

»Anno 1799, 30. julii hora 5ta matutina obiit in Sion »praevie omnibus moribundorum sacramentis munitus per »Exim. P. priorem (Gilbertum Luschka) RR. ac AA. D. Joan»nes Baptista Bordier, ultimus abbas canoniae Vadegotiensis »in ditione principis de Saarbrüken sitae, qui ante annos »aliquos in emigratione constitutus cum aliquo parocho ejus»dem canoniae P. Dominico Kellen ad Sion receptus fuit. Hic »non erat unus ex illis emigrantibus, qui per diuturnum exilium »penitus exhausti ab eleemosyna vivere debent. Non obstante, »quod per plures annos religiosos suos sustentaverit, de parata »substantia adhuc circiter 15,000 in auro secum attulit,

»praeter pretiosa quaepiam non tantae considerationis, et sup-
»pellectilem ecclesiae aliquam. Ne vero Strahovia post obitum
»reverendissimi D. abbatis Vadegotiensis, cujus religiosi ubi-
»que dispersi existebant, alicui molestiae exponatur, RR. ac
»AA. D. abbas Strahoviensis (Wenceslaus Mayer), actu in
»Moravia existens, de hujus reverendissimi hospitis vitae
»periculo informatus, mandavit per literas P. secretario, qua-
»tenus infirmo reverendissimo D. abbati Vadegotiensi proponat,
»ut inventarium recularum suarum et ultimam dispositionem
»confici curet. Primum per P. provisorem et P. secretarium
»confectum, et alterum per regni advocatum dominum Kortik
»praestitum et subscriptum fuit, non tantum a RR. domino
»testatore, sed etiam ad id requisitis testibus, illustrissimo
»barone de Reisky et nobili domino Josepho de Rosenthal,
»inclyti regni gubernii consiliariis, et nobili domino Antonio
»de Bretfeld ad dominos status deputato assessore. In hoc
»testamento destinavit testator substantiam suam pro in-
»struenda canonia sua aut si religiosi Vadegotienses ad prio-
»rem relictam canoniam suam redire prohiberentur, sibi aliam
»canoniam in sinistra parte Rheni extra Galliam aedificare
»possint; sublata autem etiam spe ista, si sinistram partem
»Rheni Galli retinerent, ut pecunia religiosis suis distribuatur.
»In hunc finem testamenti executor requisitus et institutus
»fuit RR. ac AA. dominus abbas Sioneus et illius successor,
»et curator institutus clarissimus dominus J. U. D. Kortik.

»Ultima voluntate hac declarata, et in scriptis relicta, obiit
»30. julii 1799 hora 5ta matutina ex hydropi pectorali, aetatis
»ão 74. RR. ac AA. D. Joannes Baptista Bordier, abbas ultimus
»canoniae Vadegotiensis et sepultus in coemeterio parvo-pra-
»gensi (1). Funus pie defuncto reverendissimo domino instruc-
»tum tale, quale praelatum decet, et servitia a Sioneis sicut
»pro aliquo extragremiali praestita. Conductum et requiem
»figurale habuit RR. ac AA. dominus Vigneron, abbas ordinis
»S. Benedicti monasterii Lobbensis prope Leodium pariter

(1) i. e. Micropragensi: die Prager Kleinſeite.

»exul, et receptus ad S. Margaretham. Post obitum obsigil»latio facta a regio nobilium officio vulgo Landrechten, sicuti »etiam inventarium de substantia et reculis repertis susceptum, »et detaxatione recularum peracta, singula, excepto Rocheto, »quod erga pretium 50 fl., reverendissimo abbati Sioneo ex»traditum fuit, a praefato nobilium officio in custodiam assumpta »fuerunt.«

„Die Abtei Wadgaſſen, mit den auf dem linken Saarufer belegenen Dörfern Höſtenbach, Schafhauſen und Werbel, wurde in dem Purificationsvertrage von 1766 an Frankreich abgetreten, die Landeshoheit über alle, der beſagten Abtei in dem Umfange der Grafſchaft Saarbrücken zuſtändige Dörfer, Höfe und Ländereien jedoch dem Hauſe Naſſau-Saarbrücken vorbehalten. Die franzöſiſche Nationalverſammlung verfügte die Aufhebung aller Klöſter ohne Unterſchied. Der Abtei Wadgaſſen im deutſchen Reiche belegener Beſitz wurde ein Gegenſtand der Begehrlichkeit für die betreffenden Regierungen und der Discuſſion für die Rechtslehrer. Der Kanzler Koch in Gieſſen ſchrieb namentlich: Ueber die Fragen: 1) ob die deutſchen Beſitzungen der aufgehobenen franzöſiſchen Abtey Wadgaſſen für bona vacantia zu halten ſeyn? 2) ob derſelben nicht frey ſtehe, ſich wieder in Deutſchland überzupflanzen? Gieſſen, 1792. Fol.

„Unter den Gütern, welche die Abtei von jeher in lothringiſchem Gebiete beſaß, ſteht oben an die Propſtei Berus. Zu Berus, im Mittelalter eine berühmte Feſte, unterhielt die Abtei einen Propſt und drei andere Conventualen, als des Propſtes Cooperatoren für die pfarrlichen Verrichtungen, in dem Dienſte an St. Martins Kirche, die urſprünglich nur eine Capelle geweſen. Denn Berus, Biſten, Alt- und Neu-Farweiler, Felsberg, pfarrten vordem nach Eſchweiler oder St. Orana, nach dem heutigen Sprachgebrauche. Der Namen Eſchweiler iſt in jenem der heiligen Orana, Aurana, Oranna untergegangen, über der außerordentlichen Verehrung, deren von den älteſten Zeiten her die beſagte Heilige genoß. Der Sage nach Tochter eines ſchottiſchen Königs, Schweſter des h. Wendelinus, ſcheinen in ihrem Lebenslauf viele der Umſtände ſich zu wiederholen, welche

den Königsſohn, den frommen Hirtenknaben, ganz eigentlich zum Liebling des Landmannes gemacht haben. Sie hatte ſich zu ihrem Aufenthalt die Stelle erwählt, die von Berus eine halbe Stunde entfernt, heute noch ihren Namen trägt, und dabei das Kirchlein erbauet, ſo, wie man verſichert, die älteſte Pfarrei der Umgegend geweſen. In dem Kirchlein ruheten auch ihre Gebeine, bis ſie um das J. 1583 ein Biſchof von Metz nach Berus übertragen ließ. Seitdem begeht man daſelbſt ihr Feſt den dritten Sonntag im September auf das feierlichſte, während den Samſtag vorher und den Montag darauf in St. Oranen Capelle Meſſe geleſen wird. In beſagten Tagen iſt der Zulauf ganz außerordentlich; aus der Gegend von Lebach, Tholei, St. Wendel, Thionville, Bouzonville, Fauquemont, St. Avold, Forbach, Bitſch ſtrömen die Wallfahrer herbei. An jenem Sonntage begehen zugleich Berus, Alt- und Neu-Farweiler, Biſten und Felsberg ihre Kirchweihe, und den Montag wird in einem jeden dieſer Orte eine Singmeſſe für die Verſtorbenen der Pfarrei oder Gemeinde gehalten. Auch das übrige Jahr hindurch beſuchen Andächtige in großer Zahl der h. Orana Kirchlein. Dem Volke iſt St. Oranen Tag für alle ſeine Angelegenheiten der Zeitmeſſer, wie anderwärts Cathedra Petri, Trinitatis, Luciae, und noch in den Jahren 1841—1844 wurden, wie in den älteſten Zeiten, alle Rechnungen der Pfarreien Eſchweiler und Berus mit St. Oranen Tag begonnen und beſchloſſen. Es iſt kein ſeltener Fall, daß Auswanderer von dem fernen Amerika her Geld ſchicken, zu Stipendien in St. Oranen Heiligthum zu verwenden. Für die Töchter der adelichen Familien in der Umgebung von Berus war einſt der Name Orana ungemein beliebt. Der Abtei Wadgaſſen Propſtei Berus, die vordem in das Bisthum Metz gehörig, iſt ohne Zweifel aus St. Oranen Celle erwachſen, gleichwie auch eine andere nach Wadgaſſen gehörige Propſtei, jene zu Merzig im Saargau, aus einer vormaligen Celle entſtand."

CAPUT IV.

Abbatia et monasterium Seynense.

Seynense monasterium in transrhenano limite sub titulo B. M. Virginis et instituto praemonstratensium olim erectum est. Hoc in amoenissima et montibus undique cincta valle ab Henrico, Everhardo et Gerlaco germanis Seynae comitibus, Trevirensis archiepiscopi clientibus, circa annum Christi 1202 excitatum est, nomenque a rivo praeterfluente tulit, ut ex litēris Quidonis, cardinalis et episcopi Praenestini, legati sedis apostolicae, quas Innocentii III. pontificis maximi nomine dedit, non obscure liquet. Sic habent:

»In nomine sanctae et individuae Trinitatis Quido Deo »miseratione Praenestinus episcopus apostolicae sedis legatus, »universis hoc scriptum inspecturis salutem in Domino. Cum »sollicitudinis nostrae requirat officium nos omnium Christi »fidelium insudare profectibus, tamen tenemur ex debito »favorem nostrum propensius his inclinare, et eorum commodis »studiosius et devotius caeteris invigilare, quos religio sancta »et devotio pia Christo conjungit. Nosse itaque volumus tam »modernorum quam futurorum aetatem, nos bona universa »devotionis intuitu collata monasterio, quod vir nobilis Hen»ricus comes de Seina ob spem retributionis aeternae a primis »exstruxit fundamentis, ipsi monasterio confirmasse: videlicet »curtem in Witersberg cum omnibus appendiciis suis, curtes »in Ormunz et Thuir, bona in Engers, quae fuerunt Rorici, »bona in Heimbach et in valle Seina, quae fuerunt Arnoldi »Heringo, bona in Arwiler et Hemmingeshoven, vineas in »Bedendorf, bona omnia, quae prius attinebant capellae in »urbe Vallensi cum nemore ex utraque parte vallis usque in »Burgenthal, decimam in Meinfelt, decimam in Metterich. »Decrevimus etiam mediante consensu venerabilis fratris nostri

»Joannis archiepiscopi Trevirensis consentientibus Brunone »pastore et patronis ecclesiae, quod tam commanentes in castro »Seina, quam in valle, praefato fuerint adjuncti monasterio, »ut baptisterium, sepulturam, confessionem et omnia spiritualia »ibidem exspectent; praeter ea, quod matri in Engers ecclesiae »recognoscentes hoc jus debitum et honorem, synodum cum »aliis parochianis observabunt, et opus coemiterii sicut ab »antiquo consueverunt, peragere non omittant. Verum ne ista »fierent in damnum et gravamen ecclesiae in Engers, in re»compensationem condignam et sufficiens restaurum, allodium »sex marcis ab ipso comite comparatum ipsi ecclesiae est »assignatum. Placuit etiam huic scripto annotari, quod idem »monasterium perpetuo recognoscit jus filiationis et debitum »subjectionis coenobio in Steinfeldt, de quo conventus primo »exivit, et religio in praedictam vallem primo emanavit. Ut »autem ista ordinatio maneret stabilis et integra in perpetuum »circa ipsum monasterium, quod nos cooperante Domino, dum »legationis fungeremur officio, consecravimus, praesentem pagi»nam conscribi duximus, et sigilli nostri munimine confirmari, »et ut omnia eorum bona nunc habita aut habenda de caetero, »nostrae confirmationis authoritate et in perpetuum conser»ventur. Si quis autem ausu temerario hanc nostrae confir»mationis paginulam infringere attentaverit, indignationem »omnipotentis Dei et sanctae suae matris et b. b. apostolorum »Petri et Pauli, et anathematis sententiam se incurrisse »noverit donec resipiscat. Acta sunt haec publice anno Do»minicae Incarnationis MCCII. Testes sunt Adolphus Colonien»sis archiepiscopus, Udo major decanus, Bruno Bonnensis »praepositus, Gerardus Xantensis praepositus, Theodorus prae»positus S. Gereonis, Hermannus praepositus S. Severini, »Theodoricus praepositus S. Cuniberti, Theodoricus praepositus »S. Andreae, Theodoricus praepositus SS. Apostolorum, Engel»bertus praepositus S. Georgii, Gerardus decanus S. Gereonis, »Ludovicus decanus S. Severini, Hildebrandus decanus S. Cuni»berti, Gisilbertus decanus S. Andreae, Ivo SS. Apostolorum »decanus, Godescalcus S. Georgii decanus, Henricus decanus

»S. Mariae ad gradus, Henricus dux de Limpurg, Adolphus »comes de Monte, Gerardus comes de Are, Lotharius comes »de Hochstade, Wilhelmus comes Juliacensis, Otto de Wick»rodt, Hermannus advocatus Coloniensis, Giselbertus, Arnoldus »burggravius, Arnoldus Winckeldorp, Conradus Porzhamer, »Henricus de Schonradt, Wipertus et Giso et alii quam»plures.«

Confirmavit ratamque hanc donationem habuit datis eodem anno literis Joannes I. Trevirorum archiepiscopus, quibus subscripsit Bruno praepositus Bonnensis et Gerlacus frater ejus, Conradus majoris ecclesiae praepositus in Treveri, Edenfridus abbas in Steinfeld, Gewardus abbas de Stromberg, Reinerus abbas de Romersdorff. Laicae personae et nobiles: Everhardus comes de Seina, Henricus comes junior, Godefridus comes de Sponheim, Gerhardus comes de Are, Adolphus comes de Berge, Everhardus burggravius de Arberg et Otto frater ejus, Emich comes de Leiningen &c. Quibus accedunt literae Theodorici archiepiscopi Trevirensis, confirmatoriae bonorum et jurium monasterii Seynensis datae aõ 1228, testesque citantur Arnoldus major Trevirorum praepositus, Bruno abbas de Romersdorff, Hermannus de Mulenarcka et alii.

Non multo post fundationis exordia, S. Simonis apostoli brachium a Brunone, Bonnensis ecclesiae praeposito, post archiepiscopo Coloniensi, Henrici, Gerlaci, Everhardique fratre, aõ 1204 donatum, frequentibus ad has reliquias perpetratis miraculis late coepit inclarescere.

Hermannus autem ejus loci praepositus primus, in hunc locum S. Norberti disciplinam intulit, ut alibi ad hunc annum in annalibus reperies, ubi et origo ejusdem coenobii exponitur. Vita decessit aõ 1220.

Praepositus secundus fuit Gerhardus, qui monasticis quadriennio praefuit, mortuus aõ 1225.

Praepositus tertius, Ludolphus, occurrit III. idus martii 1225, de caetero solo cognitus nomine. Obiit aõ 1228.

1. Praepositus quartus nomen abbatis primus obtinuit, et Henricus dictus est, qui usque ad annum 1232 in apice rerum praesedit.

2. Ludolphus abbas, morte sua ad annum Christi 1238, quam vita notior.

3. Ludgerus abbas, ea hic laude praefuit, ut deinde postulatus translatusque in Claholt, monasterium ordinis praemonstratensium in Westphalia, monasticae disciplinae moderatus sit, defunctus vita ac munere anno salutis 1256.

4. Goswinus abbas, insigni religionis fama celebris, qui postea abbatiae Steinfeldensi praefectus, diem istic extremum vixit.

5. Joannes abbas, aõ 1264 clavo adhibitus, postquam cum laude praefuisset, resignavit aõ 1268; post resignationem adhuc vixit aõ 1273. Commemoratio ejus habetur 7. martii.

6. Joannes II. praecedenti successit aõ 1268, regimenque adhuc tenuit circa festum B. Martini 1273; cum autem hic Joannes ex supputatione temporis videatur esse Joannes de Lovanio, qui jam tum aõ 1272 in octobri egit abbatem Steinfeldensem, utique anno isto 1272 et sequente 1273, utramque ecclesiam, Steinfeldensem et Seynensem, rexit. De Joanne hoc praeclare loquitur Petrus de Waghenare de viris illustribus, pag. 198 et 199, ubi refert quod ob probitatis et sanctitatis meritum ad diversarum ecclesiarum regimen assumptus fuerit, prout patet ex epitaphio, in quo haec:

> Floreffiensis pater fuit atque Zenensis
> Et Steinfeldensis Rommersdorff ac Winagiensis
> Anno milleno septem sex sexageno
> Ac ducenteno juncto numero sibi deno
> Augusto mense mortis truncatur ab ense.

Nempe aõ 1293 post resignationem abbatiae Floreffiensis, 28. augusti, ad quam refertur mors in necrologio Seynensi, his verbis: »p. m. Domini Joannis abbatis Seynensis, postea Floreffiensis, fratris nostri,« in quo etiam 6. decembris fit commemoratio parentum hujus abbatis, scilicet Hermanni et Hediwigis.

7. Conradus domino Joanni surrogatus est aõ 1273. Hujus et successorum gubernio tam in temporalibus, quam spiritualibus ab archiepiscopo Trevirensi Henrico aõ 1275 commissa est Angelica Porta, quam aõ 1272 festo S. Augustini, ad ordinem praemonstratensem susceperat Goswinus, abbas Steinfeldensis. Aõ 1276, in Cathedra S. Petri, iste Conradus non videtur amplius habuisse regimen, ita enim in literis quibusdam Ahrweileranis in archivio Steinfeldensi, sub lit. 7. V. dicta die habetur: »His interfuerunt D. Joannes abbas in Steinfeld, fr. Conradus sacerdos et canonicus, quondam abbas in Sayna.« Memoria abbatis Conradi recitatur in necrologio 13. aug. in Steinfeldensi antiquo dicitur »Conradi quondam abbatis in Sayna 12. januarii.«

8. Drudo Conradum in regimine secutus est, postulatus aõ 1278, qui aõ 1279 2. decembris, cum archiepiscopo Trevirensi Henrico permutavit villam in Durremunze erga Langendorf, nunc Heddesdorf. Translatus ad monasterium Hambornense, teste necrologio antiquo ad diem 11. julii, his verbis: »Commemoratio »p. m. domini Drudonis abbatis in Hamborn et quondam in Sayna »f. n.« Habetur 10. julii ejus utpote abbatis Hambornensis commemoratio in necrologio Steinfeldensi. — Sequuntur aliquot abbates, quorum memoriae in necrologio quidem exprimuntur, verum quia annus mortis siletur, et alias datas necdum reperimus, certum iis locum assignare nequivimus. Hic tamen eos ob distantiam temporis interponere placuit: si posthac datae reperiantur, poterunt remissiones fieri.

9. Manegoldus, de quo in necrologio ita habetur: »11. »junii p. m. domini Manegoldi abbatis ecclesie Saynensis.« Mortuarium Angelicae Portae hujus meminit 10. junii.

10. Lingerus; de hoc etiam necrologium Seynense.

11. Hermannus; de hoc idem, 9. aprilis: »commemoratio »domini Hermanni abbatis in Sayna;« in Steinfeldensi necrologio ad 22. aprilis.

12. Conradus. Mortuarium Seynense sic habet: »21. octo»bris commemoratio domini Conradi.«

13. Wetzelinus.

14. Arnoldus. Idem necrologium: »9. decembris com-»memoratio domini Arnoldi, quondam abbatis nostri.«

15. Bartholomaeus.

16. Arnoldus, cujus memoria in eodem necrologio habetur 5. martii, his verbis: »commemoratio p. m. domini Arnoldi »abbatis istius loci, f. n.« In Steinfeldensi 8. martii.

17. Henricus. Ibidem 1. martii: »commemoratio p. m. »Henrici quondam abbatis hujus ecclesie qui obiit aõ Domini »1351 calend. martii.« Hic videtur circa annum 1347 vel ante resignasse et locum dedisse sequenti.

18. Amandus, vulgo dictus Abt Mandt, vixit ad annum 1347, quo juramentum, a quodam Tilmanno de Blankenberg delatum, coram officiali Confluentiae praestitit. Adhuc vixit aõ 1358 feria tertia post Urbani, qua ad requisitionem prioris et subprioris Steinfeldiae sigillum suum appendit, quando cum Winrico abbate, qui pecunias profuderat, contraxerunt. Juxta obituarium Seynense 9. januarii resignavit et pastor factus est in Metrico (Metternich). In mortuario Angelicae Portae hujus fit mentio 4. maji.

19. Herbordus. Obiit secundum necrologium 18. octobris 1384.

20. Henricus (de?) Foro, de Andernaco, aõ 1397 postridie S. Joannis Baptistae praefuit, et bene, usque ad mortem, quam teste necrologio obiit 26. martii 1403.

21. Joannes; aõ 1404 cum communitate de Bendorf compositionem iniit puncto juris pascendi.

22. Godardus, sive Godefridus. Aõ 1415, 6. septembris domum Andernacensem sub annuo et perpetuo censu elocavit.

23. Joannes Meinen, insignis hujus loci reformator, aõ 1435, festo S. Thomae, elocat bona in Weiss, aõ 1445 de mandato archiepiscopi Trevirensis et consensu ordinis visitavit monasteria Arnstein et Rommersdorf, aõ 1454 curavit fieri summum altare, quod adhuc extat. Obiit 28. octobris 1464.

24. Gerhardus de Nova Ecclesia, electus aõ 1464, obiit 16. julii 1465. Lapidem ejus sepulchralem videre est in sanctuario.

25. Joannes de Berka, prior Seynensis, professus in monasterio Werem, electus est in abbatem aõ 1465, 28. julii, obiit 3. aprilis 1500. Sub laudabili hujus viri regimine locus hic in utroque statu multum profecit.

26. Levinus de Gouda. Sub hoc fratres carthusiani prope Confluentiam cum Seynensibus inierunt fraternitatem aõ 1516. Aõ 1518 more Trev. in cathedra S. Petri, in praesentia abbatis Steinfeldensis, Joannis Scheus de Ahrweiler, et Adami, abbatis in Arnstein, resignavit. Vixit adhuc aõ 1522, circa pascha. In obituario Angelicae Portae commemoratio ejus habetur 11. septembris, in Steinfeldensi 13. septembris.

27. Adamus de Heddesdorf, electus aõ 1518, in cathedra S. Petri, obiit 3. octobris 1552, et consequenter ille etiam praelaturam resignavit, nam aõ 1522 fuit in regimine Joannes Hillen.

28. Joannes Hillen, de Bedendorf. Sub isto renovare coeperunt fratres cellarii omnium fere bonorum registra; fuit in regimine aõ 1522, usque ad annum 1546, quo praelaturam resignavit ob senium, supervixit autem usque ad 9. novembris 1549, qua teste necrologio obiit, et quidem mortuus inventus in dumetis non procul a monasterio, ob senium delirus.

29 Henricus Kricker, Novesianus, ex priore Angelicae Portae electus aõ 1546, vir in minutissimis quibuscunque annotandis indefessus, cujus monumenta et posthuma scripta secutis ex post exulceratis temporibus, Seynensibus profuere sicut naufragii tabula, quibus eluctati sunt plurimas difficultatum procellas. Obiit 25. maji 1563. Hujus tempore introducta fuit lutherana haeresis in vicinia Seynensi, de qua in diario suo graphyce sic scribit: »anno 1562 susurronum blan»ditiis delenitus atque male credulus toparcha noster perfidum »apostatam, sui monastici instituti desertorem sacrilegio nobilem »haereticum ecclesiae nobis vicinae in Bendorf seducendae, »imo plane ovibus lupo tradendis connivet, qui praefecturae »suae initia speciosis auspiciis dedicavit solemni ac sacrosanctae »missae officio penitus omisso, consecratam in baptismum par»vulorum aquam ex abside foras effundens ac prophanans, e

»pelvi manibus lavandis parata infantes aqua communi bapti»zans: nomen huic haeretico fuit *Joannes Heyer ab Heim»bach.*« Paulopost, 12. septembris, subjungit: »jam basiliscus »semel admissus e vicino lethiferum virus passim omnibus »adflat, vel auditu saltem pernitiosus;« et 14. ejusdem: »pseu»doecclesiastes a Bendorf enormibus criminibus designatis »Trevirensi ecclesia dejectus, redit Bendorffium, ac impigre »instat de salario sibi providendo, quod tum vulgus dare de»trectat, nos utpote altaristas, ecclesiasticoque officio apud »Bendorffianos functos, postulat, ut postquam et deinceps fungi »prohiberemur, novorum dogmatum spermologo sex florenos »annui census pendamus, quos urgente tandem minis comite, »aegre licet numeramus, similes ovi quae in suam pernitiem »suopte lacte lupum nutrit, cujus postea adulti lanienae pateat.«

30. Jodocus Brender, post Henrici obitum electus, et 10. augusti confirmatus. Sub hoc, ut praedecessor provide providerat, Seynae haeresis lutherana invaluit, disciplina defecit, conventus ad alia loca emissus fuit, templi insignia ornamenta, utpote pedum abbatiale, valens mille aureis, 24 calices, tres monstrantiae, tria argentea thuribula, plura candelabra argentea, et alia pretiosa, ad arcem comitum Seynensium tanquam refugium improvide vel coacte tradita, nec unquam comitibus ipsis a fide deficientibus recuperata, et pleraque monasterii bona vel alienata, vel oppignorata fuerunt. Potissimum postquam aõ 1560 Joannes comes Seynensis ultimus ejus stirpis in catholica religione defunctus 20. martii extremum diem clausisset, libertate ubique sub haereticis dominis invalescente, monasterii rursum disciplina laxari, et tam exemplo deficientium provocata, quam patrocinio orthodoxorum destituta, paulatim coepit collabescere, ut quantumvis Steinfeldensis monasterii abbas obniteretur, nequaquam ad perniciem avertendam sufficeret, acatholicis passim dominis jura resque coenobitarum carpentibus, omni religiosis hominibus licentia in praemium defectionis proposita. Sub hujus etiam abbatis regimine coepit corruere sinistra ala templi, quae separata a nostra regulari erat ecclesia parochialis, in qua

altare erat unicum, in honorem S. Nicolai, quam suis etiam pernitiosis et haereticis concionibus admissi a comitibus praedicantes prophanarunt. Praefuit annis 13, et relicto sex millium florenorum debito praedictus abbas obiit aõ 1577, die 5ta januarii.

31. Simon Hausmann eodem anno quo praedecessor obierat, electus et 10. aprilis 1577 ab abbate Steinfeldensi confirmatus fuit. Hic Seynae natus et comitibus haereticis valde addictus, ursit quidem dictum parochiale templum ab iis quibus hoc de jure incumbebat, reparari, sed prohibitus a comite, ipsos etiam haereticos una cum praedicante suo ad regulare templum, ipsis inferiori, religiosis vero parte superiori pro suis officiis celebrandis relicto, admittere, quin et praedicanti non spernendam vini, frumentorum, foeni, aliorumque redituum partem quotannis solvere coactus fuit. Videre tunc, pro dolor, fuit illam a Browero in annalibus Trevirensibus descriptam abominationem desolationis, quando scilicet res illas, quae cohaerescere jungique plane nequeunt, Sanctorum nempe chorum ipsum olim iratum concentu suo placantem Deum, et cathedram pestilentiae diro et infelici carmine blasphemias usque eructantem, turpi cerneres ac dispari velut jugo copulatas. Praefuit hic sub tantis pressuris annis 16, et relicto debito undecim millium florenorum obiit 5. januarii 1592, more Rom.

32. Henricus Kray, Hachenburgensis, electus 2. decembris 1592, ab ante fuerat pastor in Cunostein-Engers, uti sub propria ejus manu videre est in antiquis bibliis. Hic obtenta perperam ab archiepiscopo Trevirensi licentia, ut debitis sese aliquo modo extricaret, vendidit decimas et bona in Breidbach, Sechtendorf, Büllingen, Ormuntz, Metternich, pro quatuordecim florenorum millibus, et relicto nihilominus ob continuatas haereticorum oppressiones undecim milliorum florenorum debito, mortuus est aõ 1599, postquam anno praecedente obtenta prius a patre abbate Steinfeldensi confirmatione, archiepiscopo Trevirensi pro accipienda benedictione abbatiali praesentatus, eandem etiam dicto anno obtinuit.

33. Laurentius Goir Henrico subrogatus est aõ 1599, qui aõ 1581 Steinfeldiae professus, ex priore Dunwaldensi

postulatus fuit. Hic perpessus est ab haereticis persecutiones quam plurimas, et ut aliquo modo se extricaret debitis, de licentia superiorum oppignoravit villas Langendorf et Kalten-Engers, pro ter mille et trecentis florenis; praefuit annis 8, et relicto debito decem millium quadringentorum et triginta florenorum, siliginis maldrorum 40, amarum vini $3^1/_2$, obiit Confluentiae, festo S^{mae} Trinitatis 13. junii 1607.

34. Gerardus Knoir ab abbate Steinfeldensi, D. Christophoro Pilckmann, qui examinato ecclesiae hujus statu ita eundem invenerat, ut jam ante relatum est, Seynensi monasterio praefectus est eodem anno, quo magno Dei beneficio Henrici comitis postremi morte (quam anno praecedenti obierat) et Lotharii archiepiscopi Trevirensis in feudum caducum ingressu, jactata diu multumque ecclesia Seynensis salutis portum invenit, defuncto enim hoc ipso anno etiam praedicante haeretico, nullum deinceps, patrocinante altefato archiepiscopo, admisit amplius, atque per Dei gratiam omnem ex vicino oppido haeresin ita eliminavit, ut ne unicus quidem hac secta infectus hodiedum supersit. Praefuit hic Gerardus primitus sub titulo prioris usque ad annum 1625, quo ad abbatialem dignitatem evectus, eam tamen post annos quatuor, solutis quibusdam debitis, resignavit, factus postea pastor in Altenar, ubi peste sublatus est aõ 1636.

35. Wernerus Wiesen, professus Steinfeldensis, 26. augusti 1629 abbas electus vel potius, uno tantum ex professis Seynensibus superstite, a patre abbate constitutus, vir admodum juvenis quidem, utpote aõ 1622 prius professus, praeclari tamen ingenii et doctrinae, peste sublatus, obiit 10. decembris 1635.

36. Casparus Schildt, professus Steinfeldensis, ex praeside seminarii Coloniensis, translatis a D. Gerardo Knoir, Joanne Schororraeo et Petro Canisio, conventualibus Seynensibus, in abbatem Steinfeldensem, D. Norbertum Horichem, votis, abbas est constitutus aõ 1635, festo S. Stephani. Anno 1638 hinc postulatus est in Rommersdorf, obiit Coloniae, in domo paterna, quae nunc est aula Steinfeldensis, 23. maji 1645.

D. Casparo Schildt postulato in Rommersdorf, monasterio Seynensi sedulo ac laudabiliter annis 14 praefuit sub titulo prioris, Joannes Schnorraeus, Tolbiacensis, aõ 1638 Steinfeldia huc missus, in describendis monasterii bonis ac juribus, nec non libris choralibus indefessus, usque dum sequens eligeretur, sub cujus regimine continuavit officium prioris usque ad annum 1659. Obiit subprior, Steinfeldiae, 18. januarii 1663.

37. Joannes Hagen, professus Steinfeldensis. Hic 21. januarii 1653, praehabitis votis f. Joannis Schnorraei et Petri Canisii, sacerdotis Seynensis, in capitulari loco denominatus abbas ex pastore Fritzdorfiensi, post breve regimen obiit Rommersdorfii, in mensa apoplexia tactus, 14. augusti 1655.

38. Gerardus ab Entzen, professus Steinfeldensis, ex priore in Niederehe 29. septembris 1655 in abbatem Seynensem promotus, ac deinde aõ 1657 postulatus in Rommersdorf, postea visitator provinciae, obiit 19. aprilis 1671 Confluentiae, in aula Rommersdorfiensi. Natus erat Tolbiaci.

39. Adolphus Gülich. Natus 8. octobris 1618, a parentibus acatholicis, literis humanioribus, fideque orthodoxa imbutus Monasterii-Eifliae, a patribus soc. Jesu. Suasu Joannis Luckenrath, postea abbatis Steinfeldensis, ac ductu Spiritus Sancti, candidam petiit et obtinuit vestem Steinfeldiae, una cum dicto Joanne, aõ 1638, festo S. Nicolai, professus ibidem 11. julii 1640. Per assiduam lectionem doctrinam hausit non mediocrem theologicam, aeque ac canonicam, uti et asceticam scientiam, prout testantur ejus scripta, a muribus ex parte exesa. Aõ 1657 ecclesiae Seynensi per viam compromissi abbas praefectus, et festo S. Barbarae introductus, Treviris autem in ecclesia S. Simeonis benedictus fuit. Aedificia conventualia reparavit, abbatialia de novo exstruxit, parthenonem Angelicae Portae in capitulo generali Seynae vendicavit, visitatorem provinciae pluribus annis egit. Petiit in capitulo generali et impetravit jus mitrae a monasterio Lorsch extincto, in suam personam transferri, comparavit campanam maximam et tertiam, an etiam mediam, ignoratur. Verum vir tantus, suis in fine non carebat naevis: quia enim adhaerebat suo

patruo, Coloniae exauctorato, et demum capite plexo, torrens miseriarum abbatiam Seynensem inundavit, quibus expost ingentia accedebant mala propter continuas lites et tricas caput inter et membra, solem orientem inter et occidentem, inter coadjutorem et abbatem. »Consultius erit, ait historiographus »Seynensis, horum malorum non meminisse. Patres nostri »manducaverunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupes»cunt. Propitium numen a nobis similia mala avertat, amen.« Ad instantes preces suas accepit coadjutorem Adamum Schmitz, qui ex praeside Coloniensi per viam compromissi 26. octobris 1682 eligebatur, 5. julii 1690 coadjutoriae resignavit, post resignationem suae adhuc bene memor Seynae, suis et amicorum sumptibus pro fratre Seynensi fundationem in seminario Coloniensi erexit, et in Hungariam, pro vindicandis e manibus illegitimorum possessorum monasteriis ab ordine missus, ibidem ex vulnere a rebellibus haereticis accepto, mortuus est. Administrator, post coadjutoris resignationem, constituebatur Sigismundus Lindtweiler, hic professus, protunc pastor in Geilenkirchen, qui hoc officio postquam fideliter et solerter functus esset, ad suas instantes preces liberatus est, substituto interim Engelberto Colendal, sub nomine prioris domum in utroque statu optime regente, ab aõ 1694, die 26. martii, quando in priorem nominatus est, usque ad mortem abbatis, subsecutam 12. decembris 1697, hora 10. noctis.

40. Engelbertus Colendal, mundo natus Coloniae, 17. martii 1668, honestissimis parentibus, Henrico Colendal, et Maria Catharina Harff, rudimentis ad S. Laurentium imbutus, apud PP. soc. Jesu scholas humaniores et philosophiam audivit. Post constantes et ferventes instantias a reverendissimo domino Gülich cum consensu domini coadjutoris ad ordinem admittitur, niveaque veste donatur aõ 1685, festo S. Norberti, nec diu post Steinfeldiae ad novitiatum mittitur. Fundamento ibidem pene posito, post pascha revertitur 1686, demum per solemnem professionem nivea et innocens plantula monasterio inseritur 11. julii 1687. Aõ 1690 ab coadjutore Coloniam ad seminarium mittitur, ubi postquam theologiam per tres annos

cum multo fructu audivisset, et cum laude absolvisset, redit sacerdos Seynam, primam Deo hostiam litans 1. novembris 1693. Nec diu sub modio tanta lux latuit, sequenti nam anno, qui erat 1694, in februario, nominatur ab administratore subprior, statimque altero mense, nempe in aprili, nominatur prior a R. D. patre abbate Kuell, addita plena in utroque foro potestate gubernandi, idque cum consensu nuntii Coloniensis, ad cujus tribunal, pro dolor, causa Seynensium erat delata. Post mortem Adolphi Gülich communi fratrum suffragio, ac omnium votis, in abbatem eligitur, praesentibus abbatibus in Steinfeld et Rommersdorf, 6. januarii 1698. Praesentatus eminentissimo, non poterat impetrare benedictionem, eo quod archiepiscopus praetenderet jus praesidendi electioni, et electum confirmandi. Exempla allegabat, quod aõ 1593 Henricus Kray confirmationem ab archiepiscopo Trevirensi petierit et impetrarit, quod aõ 1624 ipsi superiores ordinis in electione abbatis commissarios archiepiscopales petierint. Pater abbas, Kuell, et Engelbertus Seynensis eminentissimo coram respondebant, ad 1, confirmationem Henrici Kray archiepiscopalem fuisse cassatam, eundemque Henricum novam ab abbate Steinfeldensi petiisse et obtinuisse confirmationem, et cum hac nova confirmatione archiepiscopo fuisse praesentatum pro obtinenda benedictione abbatiali, quam et obtinuit aõ 1598, quo anno eminentissimus mortuus est. Interim, quia eminentissimus a suo praetenso jure desistere nolebat, deputabantur commissarii, nempe D. Verhorst, suffraganeus, Trarbach, director cancellariae, et Hausmann, registrator: his demonstrabat Engelbertus confirmationes abbatum, ab abbate Steinfeldensi a ducentis et pluribus annis esse datas, originales literas producendo. Quoad commissarios in electione de aõ 1624 respondebat, id pro unica illa vice summe necessarium fuisse ad resistendum praesentibus comitum Seynensium haeredibus, qui monasterium extinguere, ac sibi vendicare volebant. Pluribus ab Engelberto scripto et oretenus factis instantiis, tandem suffraganeo data est commissio, Engelbertum benedicendi, cum hac expressa reservatione, quod archivium non sit ad manum; si tamen exinde constaret contrarium, hunc

actum juri archiepiscopali non fore in praejudicium. Itaque abbatialem benedictionem accepit Engelbertus in monasterio Lacensi a suffraganeo Petro Verhorst, cum dicti loci Josepho Dens, et Arnsteinensi Petro Aldenhoffer abbatibus eodem anno 1698, festo S. Josephi. — Benedictus vere benedictus erat in regimine suo suavi et forti: erat enim vir ad regimen natus, in alloquio suavis, magnatibus gratus, in disciplina zelosus, in administratione temporalium valde expertus, in censura et correctione gravis et severus. Primam manum admovit domui Dei, unde primo electionis anno curat renovari et dealbari ecclesiam. Aõ 1699 curat erigi duo altaria minora; eodem anno praeest duabus successive electionibus magistrae in Engelport. Aõ 1701 curat inchoari novum organum, quod perficitur anno sequenti. Aõ 1702 praesedit electioni abbatis in Arnstein. Aõ 1706 cum abbate Steinfeldensi, vicario generali, visitat Arnstein. Eodem anno cum abbate Knechtstedensi, Arnoldo Brewer, praesidet electioni abbatis in Rommersdorf. Eodem anno curat reformari et in aliam formam redigi refectorium conventuale. Anno 1707 cum abbate Steinfeldensi, vicario generali, visitat Angelicam Portam. Aõ 1708 aedificat novam bibliothecam, item acquirit parochiam in Nauorth et Grenzau. Aõ 1709 impetrat pro se et successoribus usum mitrae. Eodem anno curat erigi novum altare summum hic in ecclesia, ad quod D. lib. baro de Reiffenberg contribuit 200 imperiales. Item ex commissione domini generalis visitat Steinfeldiam cum abbate Bellireditus, sicut et Knechtstedium ex commissione vicarii generalis, cum praeposito in Langwaden, item Stellam Mariae in Essig, cum vicario generali. Aõ 1710 nominatur a generali visitator provinciae. Eodem anno curat fieri primum majus vivarium piscium *in der Müllerswiese*, impositis 1400 carpionibus. Aõ 1711 visitat Arnstein, Steinfeld et Knechtsteden, et inchoat adhuc duo vivaria, quae anno sequenti perficiuntur. Aõ 1712 curat renovari infirmitorium, sacellum ibidem et altare aedificat. Eodem anno ex commissione nuncii apostolici consecrat duo altaria in Engelport, festo S. Jacobi, uti et portatile pro nostro infirmitorio, vi privi-

legiorum. Aõ 1714 visitat Wadegotiam cum vicario generali. Eodem anno ex loco deserto prope molendinum fecit hortum conventualem, quem muro cingi curat. Saepe est in comitiis patriae Trevirensis, et dum sub archiepiscopo Trevirensi Joanne Hugone agri et vineae patriae Trevirensis de novo metiuntur, ipse deputatur in hujatibus partibus commissarius: vices ipsius in hocce negotio saepe supplet f. Guilielmus Schallenberg. Tandem plenus meritis obiit Engelbertus 20. septembris 1719.

41. Adolphus Damen, natus in Valle Ehrenbreitstein, 22. julii 1669, investitus Seynae 11. junii 1690 a coadjutore, Adamo Schmitz, professus 17. junii 1692, presbyter 1694, prior Angelicae Portae 1714, ex priore dictae Portae 3. octobris 1719 omnium eligentium votis (solo suo excepto) abbas electus, fratrum amator. Qua prior donaverat Seynensi ecclesiae mitram pro 50 imperialibus, novam capellam rubri coloris, et pluviale cum casula nigri coloris ex serico. Qua abbas fecit fundi de novo minorem campanam pro 10 imp. Multa extinxit debita: exstruxit novam domum pro villico in Weitersburg, de novo texit sanctuarium ecclesiae, quod constitit supra 200 imp. Jecit fundamenta campanilis turris. Obiit 26. novembris 1722, longiori vita dignissimus.

42. Josephus Kappenstein, natus Sigenae, 12. decembris 1681, investitus Seynae 2. augusti 1704, professus 11. julii 1706, presbyter 8. decembris 1709: ex sacellano Angelicae Portae sub praesidio patris abbatis Steinfeldensis, Michaelis Kühl, praesente abbate Rommersdorfiensi, Joanne Wirz, 7. decembris 1722 electus abbas. A sereniss. principe Alexio, capitulari metropolitanae ecclesiae Coloniensis, fratre principis Nassovico-Sigenensis Francisci, auream crucem, a principe electore Trevirensi Francisco Ludovico 100 fl. in honorem S. Simonis apostoli dono accepit. Sub ejus regimine f. Christianus Faber altare S. Hermanni Josephi erigi curavit. Ipse abbas novam statuam S. Simonis pro 10 imp., pro campanula reparanda 10 imp., pro nova fenestra in choro 16 imp. expendit. Mitram nigram fieri fecit, campanilem turrim aedificavit. Aõ 1733 ex taedio, sibi in comitiis Treviris habitis, ab

archiepiscopo Francisco Georgio causato, delirare incepit. Aō 1744, die 12. octobris, omnibus moribundorum sacramentis munitus, rationis denuo compos, obiit. Tempore delirantis abbatis omnia Seynae ex directione patris abbatis Steinfeldensis facta sunt, et novum vaccarum stabulum cum horreo contiguo erectum est.

43. Isfridus Ohm, natus in pago Surlandiae Rherkausen (Röhringhausen?), prope Olpenam, 21. septembris 1709, Sigenae humaniora, Confluentiae philosophiam et theologiam audierat, ibidem universam theologiam sine praeside defenderat: ideo Seynae admissus et investitus 29. octobris 1730, professus 2. octobris 1732, presbyter Coloniae a nuncio apostolico, sine dimissoriis, vi privilegiorum ordinis, 19. martii 1735 ordinatus, primitians 12. aprilis 1735. Magister novitiorum et lector, postea circator, pastor et subprior denominatus: 29. novembris 1744, ex subpriore et conventus praeside, in secundo scrutinio electus abbas. Die 19. novembris 1750 ab illust. generali Becourt denominatus visitator circariarum: vir magni ingenii et doctrinae, propter doctrinam humilitatemque ab omnibus magni aestimatus: studiorum amator, promotor; ad studium linguarum hebraicae, graecae et gallicae se et quosdam ex suis applicuit. Cubile sacristae, et aliud huic contiguum habitationi commoda fieri, novam domum torcularium, duas novas cellas, unam vinariam, alteram cerevisiariam, novum lignorum repositorium, novum templi organum, et sacellum in Stromberg erigi curavit, ad cujus erectionem undequoque collegit. Ex 5000 florenis, quos eminent. Franciscus Georgius excell. domino de Spangenberg legaverat, et hic Seynae donaverat, 3000 imp. statibus patriae Trevirensis ad annuum censum dedit; conjugem dicti domini de Spangenberg, et dominum de Ehrenfels Seynae in sanctuario sepelivit. Sub ejus regimine sacra vasa, paramenta, et alia ecclesiae ornamenta multiplicata, bibliotheca fere quoad medietatem aucta, et in compacturis renovata, maxime ex magnifica liberalitate excell. domini de Spangenberg. Qua visitator visitavit non tantum semel in Westphalia ordinis monasteria, item Altenberg, sed et ter

in Franconia Ober- et Nieder-Ilbenstatt, bis Gerlachsheim, Ober- et Nieder-Zell, semel Wadegotiam, bis Arnstein, bis jussu em. archiepiscopi Joannis Philippi nobilem abbatiam de Springiersbach, et tertio cum rev. Rommersdorfiensi abbatiam Arnstein. Praesedit qua commissarius ordinis duabus electionibus abbatum Steinfeldensium, Hilgert et Claessen, duabus abbatum Rommersdorfiensium, Diepram et Kech, uni abbatis Seull in Arnstein. Abbatem Mazebach in Arnstein, duos abbates, de Coll et Diepram, in Rommersdorf, unum Lacensem sepelivit. Variorum abbatum benedictionibus, et ipsimet consecrationi episcopali Joannis Philippi coadjutoris Trevirensis, adstitit. Comitiis patriae saepius interfuit. Aõ 1754 comitiis patriae Treviris praesens, imperfecta apoplexia tangitur; successu temporis quidem curatur Seynae, sed ab illo tempore paulatim corpore et mente deficere incepit. Aõ 1777, in julio, abbatiam resignat, studio et senio confectus, magis et magis ratione minuitur, tandem 3. julii 1779, ad alia sacramenta suscipienda ex defectu rationis incapax, sacra extrema unctione munitus obit. Requiescat in S. pace.

44. Adolphus Hirsch, ex parlamenti Confluentini assessore, syndico Seynensi, Philippo Ernesto Hirsch, et Catharina Magdalena Borgener 17. septembris 1727 natus, die 21. decembris 1746 Seynae investitus, festo praesentatae B. V. M. 24. novembris 1748 professus, in autumno 1751 presbyter, in autumno 1761 qua sacellanus in Brachelen missus, in junio 1772 ibidem pastor promotus, ex pastore 7. augusti 1777 in primo scrutinio per tredecim vota viginti eligentium abbas electus absens, praesidente patre abbate Steinfeldensi, Evermodo Claessen. Sepelivit Seynae excellentissimum dominum de Spangenberg, et apposuit conjugi ejus, qui multa monasterio legavit. Item Seynae sepeliri curavit hh. adolescentes, Joannem Fink, ex Brachelen, vietorem claustralem, et Michaelem Feldem, pistorem et hortulanum claustralem, ex Sessenhausen, quorum primus multa legavit sacello in Stromberg, secundus anniversarium fundavit, et praeterea 400 imperiales monasterio legavit. Debita ab antecessore suo relicta extinxit: ex argento ab

excellentissimo domino de Spangenberg Seynae legato et vendito, 775 imperiales ad censum dedit. Molendinum monasterii de novo exstruxit. Hortum abbatialem in planitiem et meliorem ordinem maxima ex parte redegit, ecclesiam renovari curavit, paramenta nova acquisivit: pro pecunia, quam antecessor ejus in contributionem ab Hannoveranis extortam, super justum et aequum solvere debuerat, ipseque receperat, plura vina emit, et 6 plaustra vini rhenani de aõ 1783 reliquit. Sub ejus regimine camera electoralis Trevirensis ad rivum Seyn ferri fusoria, et officinas erexit, et pro una mallei officina erigenda pratum magnum monasterii ex parte commutatum accepit. Adolphus 26. aprilis 1789 ex pleuritide Seynae obiit. Cum enim 15. aprilis 1789 secundum mandatum eminentissimi archiepiscopi Clementis Wenceslai Confluentiam venerat, et aliquot diebus conventui omnium abbatum, praesidente D. officiali et consiliario intimo Beck, ad reformandas et conformandas abbatias Trevirenses, interfuerat, incepit ibidem male habere. Eapropter 21. ejusdem Seynam redit, pleuritide laborans. Sabbato, 25. mensis, a vesperi, utut infirmitas notabiliter accreverat, spreta omni fratrum admonitione, neminem de nocte apud se vigilantem admittere voluit: de nocte (sine dubio in delirio) surgit, et vadit prope ad exteriorem culinae januam, putans (ut ipse altera die ad se aliquantisper reversus dixit) eminentissimum nostrum ibidem adesse. Altera die, 26. aprilis, a mane, compulsatione ad matutinum facta, culinae ancilla, repagula januae, quae ducit in conventus ambitum, solutura, invenit rev. ibi super lapideum pavimentum jacere exanimem: haec clamat, tumultuatur, accurrit ex choro D. prior, et cum aliis invenit jacentem ibi abbatem: curat eum portari suum in lectulum, et calidis foveri linteaminibus. Ad haec rev. parum ad se reversus, pauca loquitur: admonitus ut sacramenta suscipere non tardet, vix intelligibiliter dicit, exspectare se velle crastinum, septimum infirmitatis diem. Interim per expressos nuncios medicus Confluentia, et fr. Josephus pastor ex Nauorth advocantur: rev. ab iisdem sine reconvalescentiae spe infirmatus invenitur: admonitus, ut sacramenta sibi ad-

ministrari curet, respondet vix intelligibilis, ut paulo ante. Dum autem accelerare videbatur mors, admonitus denuo, confitetur D. priori, ordinario suo confessori, praesente conventu extremam accipit unctionem, et paulo post exspirat. Corpusculum ejus 27. in praelaturae salario exponitur, et 28. sepelitur juxta ritum pro abbatibus hic receptum. Conventus, sicut a longo modo tempore ordinatum erat, mortem abbatis denunciat vicariatui Confluentino, et tum, propter instantem anniversariam ecclesiae Seynensis dedicationis solemnitatem, tum propter Dies rogationum eandem proxime sequentes, determinat diem electionis 26tam maji. Haec ratihabetur, et futurae electionis nominatur praeses ab eminentissimo supradictus D. officialis.

Conveniunt Seynam capitulares una omnes, tam intra-, quam extra-stantes, excepto pastore in Brachelen, Matthia Wirsdorffer, ab itinere propter infirmitatem se excusante. Die 26. maji, hora 9. Seynae advenit D. officialis, una cum D. assessore et collegii Confluentini professorum regente Matthieu, constituto electionis secretario. Advenerat etiam reverendissimus D. abbas Rommersdorfiensis, Franciscus Kech, qua ordinis con-commissarius. Dum excellentia sua, D. officialis, parata, et talari, superpelliceo, stolaque induta, ad majores ecclesiae fores a foris venerat, D. prior aspersorio et pluviali accinctus, cum toto capitulo in superpelliceis eam excipiebat, cum cantu responsorii, quo finito canebatur hymnus: *Veni Creator*, et missa de Spiritu Sancto, quibus finitis procedebat capitulum in hyemale refectorium, electum locum capitularem, in superpelliceis, in quo refectorio, omnibus totius monasterii foris clausis, clavibusque in publico repositis, excellentia sua dicebat latinum sermonem, potissimum in laudem defuncti abbatis compositum. Aperiebatur deinde commissorium domini confratris Wirsdorffer, datum mihi fr. Josepho (Peiffer, qui haec omnia, a temporibus Engelberti Colendal, scriptis mandavit), quod tamen recusabam, quoniam in priori electione (ut publice dicebam) ob simile habitum commissorium dictoria inaudire debuissem. Commissorium proinde domini confr. Wirsdorffer,

quod, me recusante, fratri Noll datum erat, ab eodem admittebatur. Peractis hisce, procedebatur ad electionem. In primo scrutinio 10 vota 16 votantium data erant frī. Josepho. Publicabátur electio, et interrogabar ego, fr. Josephus, a reverendissimo domino praeside, num electionem acceptarem? respondebam, propter amorem fratrum accepto. Post haec fr. lector Hesselbach petebat publicari, quis vel quinam alia acceperint vota: annuente capitulo publicabatur, dominum priorem Reinhard 4, fr. lectorem Hesselbach unum, et fr. Steinebach unum accepisse.

45. Josephus Peiffer. Imponebantur jam (ipse nobis enarrat) mihi abbatis insignia, et debebam coram imagine Crucifixi jurare, in specie archiepiscopo Trevirensi obedientiam. Post haec sub decantatione, *Te Deum laudamus*, deducebar a reverendissimo praeside ad summum altare, in stallum abbatis, in quo omnes praesentes capitulares promittebant mihi obedientiam, et ego illis paternam reciproce curam, ac charitatem fraternam. Hymno absoluto deducebar in culinam: in cameram abbatis, hucusque sigillatam. Post prandium excellentia sua de Boos veniebat in cellariam, et mihi gratulabatur: tum suam excellentiam Beck secum ad coenandum et pernoctandum ducebat in domum suam. — NB. Oblatam tam a me, quam a cellario pecuniam neque sua excellentia Beck, neque reverendissimus dominus assessor Matthieu assumere voluerunt. Servo excellentiae Beck pro bibali a fratre cellario dati sunt 2 gallici toti thaleri.

Quoniam eminentissimus ab initio maji Confluentia Augustam Vindelicorum profectus residebat, 2. junii in aula electorali me praesentavi domino comiti de Walderdorf, locum principis tenenti. Sua excellentia Beck sine scripta a me supplica procurabat confirmationem electionis meae, itemque novam extensionem commendae pro administranda parochia in Nauorth. Ipsammet confirmationem electionis, 3. junii Augustae Vindelicorum exaratam, accepi Seynae 27. junii. Jura cancellariae, 7 imp. 18 alb. solvi. Die 8. augusti, rediens ab Angelica Porta, Seynae inveni extensionem commendae, 25. julii

in Fürstenried a serenissimo subscriptam, et ad novum quinquennium denuo extensam. Vetus enim, quia datur abbati Seynensi (etiamsi currebat adhuc tempus, ad quod datum erat), per mortem abbatis vacabat. Inveni itidem cum instrumento commendae, instrumentum curae principalis in Nauorth pro fratre Simone Noll, quem antemodo curatum ibidem denominaveram, Confluentiae examinari curaveram, nec non synodalibus, domino praetori, consulibusque in domo parochiali simul una comparentibus proposueram. Pro instrumento commendae solvit frater curatus Noll jura, scilicet 3 imp. 18 alb., itidem pro instrumento curae principalis 3 imp. 18 alb.

Serenissimus noster ultima octobris Augusta Vindelicorum redibat Confluentiam. Die 4. novembris sua excellentia de Boos mihi intimari curavit, quod 7ma hujus sim praesentandus serenissimo. Post prandium 6ta profectus Confluentiam, et instructus ab ambabus excellentiis, de Boos et Beck, 7ma circa medium decimae solus me praesentavi serenissimo, genu ante flexo, non tamen ad terram usque, et osculo (quod volebam togae dare) porrectae manui dato, dicens: Durchlauchtigſter Herr! Gottes Fürſicht hat mich, wiewohl unwürdigen, beſtimmt, dem Gotteshauſe zu Sayn als Abt vorzuſtehen: Euer Kurfürſtlichen Durchlaucht habe deswegen meine Wenigkeit unterthänigſt zu Füßen legen, mich und das mir anvertraute Gotteshaus zu Höchſten Gnaden beßtens empfehlen ſollen. Se. Kurfürſtl. Durchl. ſprachen mir und dem Gotteshauſe alle Gnade zu, empfahlen mir, die heilſamen Erzbiſchöfflichen Ordinata zu halten. Ich erwiederte, mit Gottes Beyſtande unter Euer Kurfürſtl. Durchl. höchſtem Schuze und Hulde hoffe ich meine Pflichten zu erfüllen. Se. Kurf. Durchl. empfahlen mir, die jüngern Geiſtlichen zum Studiren anzuhalten, damit der Müſſiggang vermieden würde. Darnach, als mir Se. Kurfürſtl. Durchl. ſchienen abgehen zu wollen, ſagte ich: Eure Kurf. Durchl. wollen gnädigſt geruhen, daß bey dieſer Gelegenheit um die gewönliche Einſegnung bitten dürfe. Se. Kurf. Durchl. antworteten: Sagen Sie Hrn. Geheimen Rathe Beck, daß er mich daran erinnere. Ich hinterbrachte all dieſes Seinen Excellenzen v. Boos und

Beck, begehrte von Hrn. v. Boos auszumachen, daß HHge Hrn. Aebte von Rommersdorf und resignirter von Arnstein, dem alle Abtsvorzüge auszuüben, verboten ist, mir bey der zukünftigen Benediction assistiren könnten. Hr. v. Boos versicherte mich hernach schriftlich, daß das Begehrte verwilliget worden sey. Den 21. ließen Se. Excellenz Hr. Beck mir durch Curatum von Grenzau sagen, daß ich Dom. 1. Adventus sollte von Seiner Kurf. Durchl. benedicirt werden. Ich richtete mich darauf, und gieng den 24. auf Rommersdorf, bittend Hrn. Abten mir am benennten Tage zu assistiren. Er sagte es mir zu. Den 26. Vormittags schrieb er aber mir, daß er kränker geworden, und hiermit die zugesagte Assistirung sich wollte verbeten haben. Ich schickte sodann ein Bittschreiben an Hochw. Hrn. Abten zum Laach. Inzwischen empfing ich durch einen expresse abgeschickten Bothen einen Brief von Sr. Excellenz Beck, der mir andeutete, daß wegen der Ankunft der Höchsten Brüsseler Herrschaft, der Benedictionsact auf den zweyten Sonntag im Advent verschoben sey. Ich schickte demnach des andern Morgens in der Frühe einen Bothen mit Briefe nach Laach, sothanes Hrn. Abten daselbst zu melden, als welcher mich versicherte, daß er mir in jeder Zeit assistiren wollte. Aus den vorfindigen beschriebenen Benedictionen der Hochwürdigen Hren. Aebte Ohm und Hirsch ward ich (obgleich mich Niemand hierüber informiret hatte) schon sattsam belehret über die hierzu erforderlichen Geräthschaften, welche ich denn auch vorläufig hatte anschaffen lassen.

Am 4. Dezember Nachmittag fuhr ich von Sayn auf Coblenz zu Sr. Excellenz Freyherrn v. Boos; dieser vermeynte, die Benediction würde noch ferner verschoben werden, indem die Hohe Brüsslerische Herrschaft noch an Hof wäre. Er schickte mich sodann, um gewissere Information davon einzuhohlen, zu Hrn. Geheimen Rath und Official Beck, welcher mich aber versicherte, daß den 6. Dezember festo S. Nicolai, welches auf den 2. Sonntag im Advent fiel, Morgens um 7 Uhr, die Benediction würde für sich gehen, die besondern Umstände belangend, würde ich erfahren vom geistlichen Hrn. Carove, welcher Ceremoniarius statt Seiner (weil er den Hrn. Hof-Kapellanen in ihr vorgebliches

Recht nicht eingreifen wolle) seyn würde. Hrn. Rath Carove specificirte ich alle bereits angeschaffte Benedictionsgeräthschaften, benanntlich: ein vergoldetes mit rothem, ein versilbertes mit weißem Wein angefülltes Fässchen, auf welchen beyde vorne das kurfürstliche, und hinten mein Wappen gemahlt wären, ein vergoldetes, und ein versilbertes rundes Brod, 2 weiße, zusammen 7 Pfund wiegende Wachskerzen, 14 doppelte, auf Blech mit Farben illuminirte Wappen, nämlich auf rechter Seite das Wappen Sr. Kurf. Durchl., auf linker Seite mein Wappen, 6 weiße Sacktücher, mit selbigen die 2 Fäßchen, 2 Brode, 2 Kerzen, mir und Sr. Kurf. Durchl. einzuhändigen. Für die beyden assistirenden Hren. Prälaten Chorröcke, stolas, pluvialia, mitras, und Pontificale romanum parvum. Für die den drey Prälaten assistirenden Hrn. Geistliche, Chorröcke, stolas. Für mich ins besondere: tibialia, sandalia, humerale, albam, cingulum, manipulum, stolam, tunicellas, pluviale, planetam, chirothecas, annulum, crucem pectoralem, biretum, pedum, mitram, regulam S^{ti} Augustini, missale romanum, pontificale romanum magnum, sigillum, et ceram sigillariam pro juramento. Es fehlte meiner Meinung nach nichts mehr, als die Kerzen auf Altäre und Kredenzen, sodann auch das geschriebene und abzulesende Juramentum. Hr. Rath Carove aber sagte mir, diese benannten Kerzen würden von Hof gegeben, was das besagte Juramentum belangt, sey genug, daß dieses auf einen feinen Bogen Papier mit laufendem Tag und Jahre der Benediction geschrieben, von mir unterschrieben, und mit meinem Pettschaft unterdruckter versehen würde. Was die Bestimmung der vorzunehmenden Benedictionszeit anbelangt, hätten Se. Kurf. Durchl., da ich wegen Alterthum und schwachem Magen nicht lange nüchtern bleiben könnte, sich entschlossen, Morgens um 7 Uhr die Benediction vorzunehmen, und mir sammt beyden Hren. Prälaten den 5ten Morgens gnädigste Audienz zu geben. Solchemnach müßte ich den 5ten Nachmittags alle Geräthschaften in die Hofkapelle einschicken, und den 6ten Morgens um 6½ Uhr mit allen Assistenten daselbst erscheinen. Nun waren Hochw. Hr. Prälat von Arnstein und Hr. Subprior Steinebach mein Assistens, mit mir den 4. Dezember von Sayn bereits auf Coblenz ab-

gefahren, und in dem Laacher Hofe abgestiegen. Den 5. Mittags trafen Se. Hochw. Hr. Prälat von Laach mit ihrem Assistenten, Hrn. Gastmeister Ostermann, daselbsten ein. Abends kam Hr. Rayd von Sayn, als Assistens des Hrn. Prälaten von Arnstein, auch zu uns. Hr. Subprior beschäftigte sich, alles zur Benediction Erforderliche an Hof tragen zu lassen, und daselbst alles einzurichten. Denselbigen 5ten, da ich beyläufig um 10 Uhr, sammt Hrn. Prälaten von Arnstein (Hr. Prälat von Laach waren zu der Zeit zu Coblenz noch nicht angekommen) bey Sr. Kurf. Durchl. die gnädigste Audienz hatte, wiederhohlte ich meine Bitte, belangend die Erzbischöfliche Einsegnung, und ich sprach: Hochwürdigster, Durchlauchtigster Herr! Euer Kurf. Durchl. habe mich unterthänigst zu Füßen legen, und wiederhohlter Malen bitten wollen, Höchstdieselben geruhen gnädigst, mich durch den Erzbischöflichen Segen zum Abten einzuweihen. Se. Kurf. Durchl. beliebten zu sagen, daß, da ich nicht lange könnte nüchtern bleiben, Sie Morgen um 7 Uhr diese Einweihung vornehmen wollten. Ich dankte für die Höchste Gnade.

Den 6ten, Morgens um $6^1/_2$ Uhr fuhr ich in einem von der Post bestellten Staatswagen mit den Herren Prälaten nach Hof. Ich mußte tibialia, sandalia, humerale, albam, et stolam nach Art der Priester, auch Chorkappe und Biret anziehen, und in so einem Aufzuge mit allen Assistenten, bey Ankunft Sr. Kurf. Durchl. in die Hofkapelle gehen. Da Se. Kurf. Durchl. angekleidet waren, Messe zu lesen, mußte ich mich vor dem Altare prosterniren unter dem Ps. Exurgat Deus. Wurde sodann praesentirt, examinirt. Darauf betete ich mit Sr. Erzbischöflichen Eminenz, stehend ad Latus sinistrum, den Ps. Judica und das Confiteor. Da Höchstdieselben auf den Altar stiegen, den Introitus zu beten, gieng ich an meinen Altar, richtete den über die Brust kreuzweise geschlagenen stolam gerade, legte Dalmaticas, Kreuz und Planetam an, laß die Messe bis an das Alleluja &c. &c. wie im Pontificali vorgeschrieben ist. Te Deum laudamus wurde gebetet. Ich gab solemnem Benedictionem ohne Gesang, und sprach alta voce 1°. ad infimum gradum, 2°. ad supremum gradum, 3°. in medio Altaris: ad multos annos. Finitis hisce

omnibus, kleidete ich mich aus, begehrte gnädigſte Audienz, mich zu bedanken. Se. Kurf. Durchl. ließen ſagen, über eine halbe Stunde ſollte ich Audienz haben: als welche ſodann mir und beyden Hren. Prälaten geſtattet ward. Ich ſprach: Euere Kurf. Durchl. haben nach angeſtammter Milde gnädigſt geruhet, mich als einen Abten durch Erzbiſchöflichen Segen einzuweihen. Dieſe Höchſte Gnade iſt für mich unſchätzbar. Bin nicht vermögend, ſie zu vergelten. Doch gebe ich, was ich kann. Ich heilige mein ganz durchdrungenes Herz: verbinde mich mit allen mir untergebenen Geiſtlichen an den Altären den Großen Gott zu bitten für das Höchſte Wohl und geſegnete Regierung Euer Kurf. Durchl. Höchſtdieſelben empfahlen ſich ins Gebet, und hielten mir eine kleine Predigt: daß ich um Erhaltung des Göttlichen Segens die unter der Benediction abgeleſenen Tugenden fleißig üben, und meine Untergebenen mit Liebe zu regieren ſuchen ſollte. Höchſtſie fragten, ob wir ein Frühſtück bekommen hätten? wir antworteten, nein! Höchſtſie ſchüttelten hierauf den Kopf, und ſagten: dies iſt verſehen worden. Letzlich fragte ich, ob wir auch dürften die Freyheit brauchen, uns bey Königlicher Hoheit Durchlauchtigſter Schweſter melden zu laſſen? Se. Kurf. Durchl. ſagten, Sie wären noch nicht angekleidet. Nach dem Handkuſſe giengen wir ab. — Wir fuhren zum Geheimen Hrn.. Staatsminiſter v. Dominique. Dieſer aber ließ ſich entſchuldigen.

Da ich wußte, daß wir Prälaten nicht würden bey Hofe zu Mittag ſpeiſen, hatte ich im Laacher Hofe ein ehrliches Mittagmahl beſtellt, doch Niemand von Fremden dazu eingeladen, indem ſo etwas mir von Geheimen Rathe Beck aufs ſchärfeſte verboten war. Unſere drey ministrirende Geiſtliche wurden zur Tafel der Hofkapellane eingeladen, verbaten es aber. Ich wurde zur Kurf. Tafel durch einen abgeſchickten Hofkourrier eingeladen, mit Verſicherung, daß, wenn ichs verbetete, Se. Kurf. Durchl. es mir nicht zur Ungnade aufnehmen würden. Ich verbat mithin dieſe Gnade, weil ich die mir assistirenden Prälaten nicht ſchicklich verlaſſen könnte. Ich ſchickte Hrn. Subpriorn Steinebach an Hof, die Trinkgelder auszutheilen; dieſer aber wurde von den Hren. Hofkapellanen nicht entlaſſen, und die zwey andere Hren. Geiſt-

lichen mußten auch nach Hof kommen, zu ſpeiſen. Denſelben Nachmittag dankte ich Seinen Excellenzen v. Boos und Beck, und referirte Ihnen, wie alles und jedes abgegangen wäre. Den 7ten, Morgens um halb zehn Uhr, fuhren wir von Coblenz ab. Nun folgen die geſchehenen Auslagen: Im Laacher Hofe 28 Rthlr. 36 Alb. — Den Mägden daſelbſt 49 Alb. 4 Pf. — Hrn. Prälaten vom Laach Reiſegeld hin und her à 9 Rthlr. 18 Alb. — Seinem Assistenten 1 Rthlr. 45 Alb. — Seinem Bedienten, 49 Alb. 4 Pf. — Hrn. Geiſtlichen Rath Carove, als Ceremoniario, nichts, hat es ausgeſchlagen. — Dem älteſten Hrn. Hofkapellan Sabel, 3 Rthlr. 36 Alb. — Den drey andern Kapellanen zuſammen 9 Rthlr. 32 Alb. 4 Pf. — Hoftapezirer, 1 Rthlr. 45 Alb. — Oberkapellendiener, zugleich für Kerzen, 3 Rthlr. 23 Alb. 4 Pf. — Unterkapellendiener, 49 Alb. 4 Pf. — Für 2 Flambeaux, ad 7 Pfund ſchwer, 5 Rthlr. 18 Alb. — 6 Sacktücher, 3 Rthlr. 2 Alb. — 8 Ellen Band an die Wappen, 12 Alb. — Meſſdiener an Hof, 6 Alb. — Juramentum zu ſchreiben, 10 Alb. — Schiffmann nach und von Coblenz, 45 Alb. 6. Pf. — Verſchiedenen Boten und Trägern 51 Alb. — Chaise nach und von Hof und in den Thal für Hrn. Prälat von Arnſtein, 2 Rthlr. 27 Alb. — Den Armen, 6 Alb. — Dem Bäcker für die zwey Brode, 18 Alb. — Hrn. Mahler Koch zu Vallendar, die zwey Fäßchen und zwey Brode zu vergolden und zu verſilbern, 2 Rthlr. 39 Alb. — Demſelben, 14 doppelte Wappen von Blech zu machen, 1 Rthlr. 30 Alb. — Demſelben, dieſe zu mahlen, 3 Rthlr. 9 Alb. — Träger auf Coblenz, 6 Alb. Summa: 82 Rthlr. 1 Alb. 2 Pf.

Josephus Peiffer obiit 14. februarii 1794.

46. Bartholomaeus Reinhard, hucusque prior et parochus in Seyna, electus 17. martii 1794. Is ultimus abbas, et, post suppressionem abbatiae denuo parochus in Seyna, obiit 2. maji 1819. Natus erat ille, Joannes Nicolaus mundo dictus, 23. octobris 1750, in Neudörfchen, prope Ehrenbreitstein.

CAPUT V.

PRAEMONSTRATENSIUM VIRGINUM MONASTERIA.

Plura haec olim in Trevirorum archidioecesi in arctum per invalescentem undique haeresin redacta sunt numerum. Tria etiamnum illorum supersunt, unum cis Rhenum Trevericis, alterum bidui itinere, ultra Rheni litora Hassis conterminum, tertium Mosellae supra Confluentes propinquum. De isto ut pauca suppetunt, scribentium magis incuria, rerumque gestarum ignoratione, quam neglectu, ita loci historiam pauca cogor in verba conjicere. Tria haec monasteria sunt Roda et Altenberg, sub abbate in Rommersdorf, Angelica Porta, sub abbate in Seyna.

De parthenone Roda.

Nobilium hoc virginum monasterium, quod Roda dicunt, in definitionis Hunnicae conterminis supra Confluentiam duobus circiter leucis versus Boppardiensem saltum collocatum est. Cujus licet origo satis nobis explorata non sit, tamen antequam in Trevericam archidioecesin e disciplina S. Norberti canonicae vitae religiosi penetrarent, hunc jam extitisse parthenonem compertum est, sicquidem ut supra in Rommersdorffianis originibus vidimus, Bernardus, virginum ejus loci rector, ab Adelberone Trevirorum archiepiscopo Floreffiam missus, Rommersdorffium, cui modo parent, Norbertinos patres traduxit, quod sub duodecimi a Christo saeculi in Adelberonis regentis exordia, circa annum 1134, quando et cisterciensibus locus datus fuisse deprehenditur, accidisse necesse est; adeoque hoc virginum monasterium fuisse primum, quod praemonstratensium sub Floreffiensi directore disciplinam receperit.

Verumtamen posteritatis neglectu factum est, ut rerum istic gestarum memoria interciderit, tantumque aliquot spectatae nobilitatis magistrarum nomina velut quaedam antiquitatis rudera supersint, ex his Zandiae, Löwensteiniae, Hohensteinianae, Sassenrodiae, Wesspenningiae &c. Quarum nomina sine re chartas magis implent, quam erudiunt, unde piget his immorari, aliumque juvat multo illustriorem personis factisque ejusdem ordinis parthenonem excutere.

Summaria deductio juris, super quaestione facti recens exorta, utrum monasterium Rodt cum Angelica Porta, praemonstratensis ordinis, dioecesis Trevirensis, perpetuo sit uniendum.

Rodt monasterium virginum nobilium praemonstratensis ordinis, dioecesis Trevirensis, prope Mosellam, tribus distans leucis a Confluentia (quantum ex archivio dicti ordinis licet eruere) fundatum et exstructum esse a nobilibus dominis de Schoneck ex illorum insigniis et tabulis depictis, quae templi parietibus affixa sunt, constare videtur. Quo autem tempore praecise id factum, plane ignoratur, ante annos 150 circiter, ut fama est, nonnulla monasterii aedificia incendio perierunt, quando etiam fundationis instrumenta et literae simul interiisse creduntur. Bello insuper quod Carolus quintus ad domandos nonnullos principes Germaniae anno 1547 suscepit, a Burani milite maximum sensit damnum. Tempore Adalberonis Trevirorum archiepiscopi, qui vixit anno 1137, frater quidam Floreffiensis, Bernardus nomine, locum illum regebat, unde apparet monasterium ante annos quingentos et supra constructum fuisse. Idem colligitur ex annalibus monasterii Rommerstorffiensis apud supra dictum archivium asservatis, postquam enim in monasterio quod antiquitus Romana-villa dicebatur primi inhabitatores loci fuissent fratres ordinis S. Benedicti, ex Helvetia et coenobio Schaffhausano istuc transmissi, vitam monasticam sub Hermanno primo abbate exercentes

non post multos annos nimia domus inopia eos discedere compulit, qui multis periculis ac fortunae procellis aliquot saeculis locum exposuerunt, donec Trevirorum archiepiscopus Adalbero dictus, cui ad propagandum christianae militiae numerum animus propendebat, patri cuidam Floreffiensi qui priorem in monasterio Rodt, quod et ejusdem est ordinis, agebat, Bernardo nomine, ut pro posse suo loco personis religiosis penitus destituto, in divinis provideret, injunxit, hic frater reverendissimum abbatem suum e vestigio hac de causa interpellabat, qui ex subditis sibi fratribus aliquot ad ibidem Christo militaturos transmisit. Praedicta igitur domus sanctum praemonstratensem ordinem anno salutis 1135 sub D. Gerlando abbate Floreffiensis ecclesiae recepit. Fundatorem domus singularem nullum agnoscunt fratres, cum abbates tempore et fortuna comite aedificia omnia construxerint.

Relatum fuit capitulo generali praemonstratensi, de aõ 1666, quod archiepiscopus mentis esset, unire monasterium de Rode cum monasterio Angelicae Portae. Ad divertendum infaustam illam unionem dirigunt sequentes literas ad archiepiscopum Carolum Casparum.

Eminentissime & Reuerendissime Princeps.

Pro Comitijs nostri generalis celebrandis congregati accepimus Eminentissimam Celsitudinem suam eius esse mentis, vt ordinis nostri sacrum partenion vulgo Rodt nuncupatum, cum altero cui nomen Angelica Porta, perpetuis futuris temporibus duratura vnione connectat, non vulgari pastoralis sui in dominicas oues sollicitudinis, ac imprimis in pusillum nostrum gregem, studij, beneuolentiæ, ac protectionis argumento, pro quo Celsissimæ Dominationi Suæ grates quas possumus maximas hisce referimus; Cui cum hac in re alius scopus non sit, a Dei Optimi Maximi gloria, molestum forsitan haud fuerit, data occasione, a nostra tenuitate accipere, quæ eiusmodi vnioni repugnare videntur. Primum frustratam in hoc videri funda-

torum intentionem, qui eo potissimum fine sacra illa loca dotarunt, & suam in eis sepulturam elegerunt, quod diuinis laudibus per sacros virginum choros, diu noctuque ibidem decantandis, haud secus, ac veloci remigio, se, suosque citius ac tutius ad optatum æternæ salutis suæ portum peruenturos sperarint. Secundum virgines illas non absque propriæ ipsarum quietis dispendio, ab eo (cui se æternum per stabilitatis votum manciparunt) loco, alio transferendas. Tertium timendum ne, non ea, quæ inter Deo sacras, vnaque habitantes desideratur, animorum consensione, translatæ, cum alijs viuant; vltimum & præcipuum. Ex concilij patrum mente illa solum vnienda veniunt beneficia seu monasteria, quorum prouentus adeo incerti sunt, ac tenues, vt religiosæ suæ familiæ alendæ vix sufficiant, aut quæ in eo constructa sint loco, in quo non sine graui disciplinæ regularis iactura subsistere possint. Quæ cum in prædictis monasterijs locum habere non videantur, imo nobis spes sit non mediocris vtrumque Deo favente in primæuum suum in spiritualibus ac temporalibus splendorem breui restituendum, eapropter Celsitudinem suam humillime ac instanter, instantissime deprecamur, vt nostrum de hoc & isto cœnobio reformandis propositum, sacra sua benedictione confirmare, nostrumque in partibus vicarium, abbatem Steinfeldensem, in tam sanctum opus strenue incumbere paratum, cum ijs quos in laborum suorum partem assumendos duxerit, nominatimque abbatem Saynensem (cui in Angelicam Portam jus paternum, non obstantibus domini Rommerstorffiensis prætensionibus competere cognouimus) potentissimæ ac supremæ suæ authoritatis præsidio aduersus quoscumque tueri, & protegere dignetur; eum a quo omnia bona procedunt, deprecaturi, vt Eminentissimam Celsitudinem Suam copiosissime remunerare dignet. Eminentissimæ et Reuerendissimæ Celsitudinis Suæ humillimi ac deditissimi oratores & serui abbas generalis, & capitulum præmonstr. ordinis de mandato r^mi^ domini mei d. abbatis præmonstr. & dd. capituli generalis definitorum f. Franciscus Buyrette secretarius. Præmonstrati, die trigesima maji 1666.

Magistrae in Marienroth.

Agnes a Schöneck.
Agnes Zand von dem Hamm.
Elisabeth Geiselen de Güls.
Adelheidis Zand von dem Hamm.
Gertrudis.
Adelheidis.
Adelheidis III. quae obiit 8. decembris 1351.
Elisabeth de Weilnau, aõ 1390.
Mechtildis a Liebenstein, 1392.
Agnes III.
Ida.
Christina.
Mechtildis II. a Liebenstein.
Gutta de Monasterio, 1433—1468.
Catharina de Stoppelsberg, obiit 28. junii 1497.
Agnes IV. Kuttenmaul von der Ernen, 1509.
Margaretha de Dungen, aõ 1534 defuncta.
Agnes Breder ab Hohenstein, 1542.
Margaretha a Deusternach, 1552.
Gisela a Deusternach, Margarethae soror, obiit 1564.
Ida Breder ab Hohenstein, electa 1564.
Irmengardis a Langenbach, condicta a Sassenrod, postulata ex monasterio Altenbergensi 1588.
Margaretha de Dungen, occ. aõ 1605.
Martha de Scheidt, condicta Weschpenning, defuncta aõ 1613.
Maria Jacoba ab Elz, obiit aõ 1663.
Maria Jacoba ab Elz, occ. aõ 1679.
Martha a Scheidt, condicta Weschpenning, occ. aõ 1699.
Maria Ursula ab Holdingshausen, occ. aõ 1725.
Johanna Sophia a Lindenfels, occ. 1748—1784.
Maria Antonia a Geyer, electa 1784, obiit 17. aprilis 1793.
Aloysia a Geyer, prioris soror.

CAPUT VI.

Montis sive Arcis veteris monasterium, Altenburgense, sive Altenberg dictum.

Altenbergensem parthenonem haud procul Wezflaria, hodiedum florere inter hereticorum undique incumbentium insidias totque adversos belli pacisque casus, jure admiramur: cujus quidem virginum coenobii originem in annalibus ad Christi annum 1248 expositam reperies, ideoque hic parcius delibabimus ex iis, quae magno studio collecta, admodum reverendus dominus Petrus Diedrichs, Rommersdorffiensis quondam abbas, ex archivo, aliisque scriptis communicavit.

In loci appellatione illos sequi malo, qui Altenburgum olim, seu arcem veterem, quam Altenbergam hodie, seu montem veterem, Latio sermone nuncupant, quod constet vetus in monte illo monumentum, adversus barbarorum ex Bohemia Hungariaque irruentium, vim excitatum fuisse, ut idcirco nomen alterum per vulgi abusum inductum appareat, sua etiam congruentia destitutum. De hujus montis possessione cum disceptarent accolae, ac denique Godefrido, optimi zeli sacerdoti, in usum promovendae religionis concessus esset, isque meditabundus locum oberraret, sollicitus, cui post Deum patrono montem consecraret, sacello in memoriam illius excitato — evenit, ut eidem in oratione pernoctanti, sublata a latere reliquiarum theca, qua Beati imprimis Nicolai Myrensis praesulis ossa complexus erat, dumeto alicubi appensam reperiret; tum vero et apiculae ibidem cereum quoddam altare, mellis a se collecti reconditorium magna formare ac subire diligentia, non sine admiratione contemplaretur, quae sic interpretatus est, ut Deo istic sacra litandum in altari hostia, sub Divi autem Nicolai patrocinio sacellum erigendum esse statueret.

Accessit subinde memoratum alibi spectaculum: candidus illi per visum objectus virginum longo ordine incedentium,

floribusque coronatarum exercitus, quod vigilantis etiam novo experimento firmatum est, quando trium istuc ex Ursulana sodalitate virginum delata corpora, ut maxime vellet, demovere loco non potuit, nisi postquam concepto ad Deum voto precibusque, sacris istic virginibus juxta D. Nicolai sacellum habitationem destinasset, quod opitulante Engelberto, Rommersdorffiensi coenobiarcha, et probante Arnoldo I. Trevirorum archiepiscopo, circa annum salutis 1170 factum colligimus, quibus etiam suffragantibus haud multo post translatae Wulfersbergo virgines, novum illic parthenonem sunt auspicatae, tenuibus quidem principiis, sed B. Nicolao coelitus inter necessitatem indigentiae fruges suppeditante, et Elisabetha Hassorum principe, cum Gertrude, sanctissima filia, assistente, in nobilem amplamque denique virginum familiam adolevit.

Illa etenim loci ac virginum consuetudine capta, ut erat ad omnem pietatem Deique cultum propensissima, cum unice hanc montis captaret solitudinem, Lodovico Hassorum principe ad bellum sacrum in Orientem proficiscenti, desiderium offerendae hic Deo prolis, qua gravida incedebat, aperuit, adeoque probavit, ut ipse jam cum exercitu, quem Friderici imperatoris jussu ac vice ducebat, a conjuge discessurus, his illam verbis affatus sit: »accipe,« inquit, »charissima soror« (sic eam compellare assueverat) »hunc annulum, imaginem »agni paschalis in unione excisam habentem, in signum cer»tissimum, te faciem meam non amplius visuram, sed me in »hac profectione sacra vitam cum morte commutaturum. »Benedicat te Deus et benedicat fructui ventris tui, cum tem»pus pariendi advenerit, sicut Domino votum nuncupavimus, »Deo illum dicabis.« Non erravit opinione praeconcepta: iter sanctum ingressus, Hydrunti in Apulia aut febribus aut veneno, ut sentiunt alii, expeditionem pie susceptam aõ 1226 absolvit; Elisabetha vero partu gravida Gertrudem dedit, post biennium Altenburgum profecta, anno salutis 1228 votivam Deo hostiam, niveo aliquando praemonstratensium virginum habitu induendam obtulit, ipsa aliquamdiu griseo ibidem in habitu conversarum, quem alii tertiarum S. Francisci volunt fuisse, est

commorata; tam ut imbellem filiolae aetatem lactans mater, quam ut religiosarum institutum ipsa socia et adjutrix, non egregiis solum muneribus, verum et vitae sanctioris exemplo fulciret. Memorant, vetus istic triclinium, in quo et laborare et edere cum virginibus solebat, muribus cibos operaque infestantibus fuisse obnoxium, sed Elisabethae apud Deum precibus, immunitate ab his perpetua donatum, praedictumque ab eadem Altenburgum nunquam futuris temporibus extinguendum, nec vim unquam pudicitiae virginum inferendam, atque adeo ipsius hactenus intercessione ac meritis inviolatum inter tot haeresum, ac nuperis annis Suecorum, hanc sedem occupantium, audaciam stare autumant.

Verum suae velut praesagae mortis, Marpurgum ad aulam rebus componendis et disponendis reversa, coelestium rerum desiderio flagrans, et mortalis vitae satur, diem supremum quadriennio circiter a marito, 24 annos nata, brevique aetatis cursu, ingentem virtutis meritorumque thesaurum complexa, anno salutis 1231 conclusit, quam Gregorius IX. ob sanctitatis et miraculorum famam, anno post quarto, vulgato diplomate, ut beatae vitae consortem agnovit, colique ad XIII. cal. decembris jussit. S^tae^ vero Gertrudi quadrienni mater, a morte gloriosa apparens, vitae religiosae amorem afflavit; lectusque etiamnum, juxta quem illuxit, et cubiculi locus, in veneratione apud Altenbergenses habentur. Triplicem, an quadruplicem post se prolem moriens reliquerit, in controversia est. Sunt qui exclusa hac Gertrude, Sophias illi geminas tribuunt, praeter Hermannum, ex quibus altera Kitzingensi, Francorum monasterio inclusa, altera Henrico, Brabantiae duci, in matrimonium cessit, unde Hassicorum principum posteritas, Hermanno sine prole sublato. Verum ut recte Browerus hos in annalibus rejicit, ita indubium ejus rei argumentum suppeditant Sophiae Brabantinae ad Gertrudem literae, inviolato etiamnum sigillo firmatae, quibus illam sororem compellat, atque ejusdem filii Henrici, Brabantini ducis et Hassiae domini, Altenbergae, anno salutis 1271 pridie nonas novembris exaratum diploma, quo B. Gertrudis ab eo matertera dicitur; ut Clementis VI.

indulgentiarum tabulas, in festo B. Gertrudis exhiberi solitas, eadem sententia loquentes, praeteream, adeoque vel altera Kitzingensis Sophia ordini diverso generationis inserenda est, vel certe quarta filiarum agnoscenda.

Adolescebat jam a teneris in spem magnam sanctitatis Gertrudis, pietatisque ac laboris distributa ex aequo servabat tempora, variis etiam manualium operum artificiis exculta; singulari enim pollebat gratia pensa bombycina et serica decerpendi, aurique coalescentis bracteolas torquendi in fila, ac subtegmina ingeniose immittendi, ex quibus in monasterii ecclesiaeque confectis usum hodiedum quaedam, magno artificio elaborata, demonstrantur. Caeterum virtute imprimis ac prudentia eminens, post primam illius coenobii magistram, Christinam de Biel, rarae etiam laudis sapientiaeque per annos 25 moderatricem, Gertrudis, anno aetatis suae 21, omnium suffragiis, in ipsa Deiparae assumptae festivitate, aõ 1247 successit.

Nec mora: in ipsis praefecturae suae primordiis de excitanda nobiliori domo Dei sollicita, cum sumptus necessarii deessent, ab Hugone cardinale, sedis apostolicae legato, diploma cum 40 dierum indulgentiis ad eleemosynas fidelium provocandas obtinuit, aliudque a capitulo generali praemonstratensium, quo benefactores in participationem meritorum ordinis sui admittunt, quibus pietatis illecebris Gertrudis non illustrem tantummodo basilicam, verum et monasterium, visendis hodiedum operibus, et ab inimica manu, licet hostes religionis saepe occuparint, nunquam destructis, quin et largis donationibus Sophiae, sororis, et Henrici, marchionis Missinensis (qui erat amitae filius), emptis late possessionibus, locupletavit, quas longo indice in suo virgines archivo signatas recensent; ut Gertrudi Altenbergicae virgines pleraque, tam in temporalibus, quam spiritualibus bonis debere videantur. Adjecit hospitale et leprosorum receptorium, quibus ipsa, exemplo matris, servire solita, tum vero habitationem pro sacerdotibus ordinis praemonstratensis, eorumque priore, sub cujus illi imperio sacris administrandis adessent, et virgines regerentur. Neque

in his curis institutum religiosae vitae remissius executa est. Humilitas ipsius tanta, ut quamvis abbati Rommersdorffiano se suasque regendas submississet, priori tamen licet ignobili, tantae nobilitatis ex regia Hungarorum familia virgo se postponeret, ut in literis etiamnum Altenbergicis, ubi Hermannum sibi priorem anteponit, videre est. Symbolum ipsi familiare erat: *quanto major es, tanto magis te in omnibus humilia.* Quam et coelum submissionem probare visum est, quando suum ipsa capitis velum eluens radiis illud solaribus, ceu funiculo appendens, siccum recipiebat: evenitque nonnunquam, ut quidam ad supplicium juxta reus duceretur, cumque de eo minus considerate pronuntiasset, utique morte dignus erit, rejecto solares radii velo, hanc ipsius censuram damnare visi, poenitentiam dolenti incussere. Obedire se suasque archimandritae Rommersdorffiensi ad nutum voluit, in quem ejusque filios singulari affectu ferebatur, promptissimeque morem gessit, mansitque haec ad posteros consuetudo superis probata, cum vix altero locorum quisquam mortem oppetat, quin virgines Altenbergicae de religiosis Rommersdorffianis, hi de illis, praemoneri soliti fuerunt. Quin illud facile ab annis centum observatum est, morienti praelato in Rommersdorf magistram Altenbergicam, religioso religiosam, aut vice versa huic illum, velut ex pacto, commori, ita, ut diverbii locum haec cautio occuparit: »Cavete Rommersdorffienses, religiosa Altenbergica mortua est.«

Paupertatis afflictionisque studium Gertrudis ingens. Illustris plane conditionis immemor, arctum, vix procerioris staturae capax delegit cubile. Duo asseres, muro affixi, pro lecto erant, ad cujus caput etiamnum archangelus Gabriel dominicae incarnationis mysterium D. Virgini exponit. Flagellis in se gravissime animadvertere, abstinentia rara macerare corpus, precibus identidem insistere solita. Quarum varias ipsius imitatione cum afflictione corporis subinde adjuncta, sanctimoniales etiam nunc frequentant. Dissidentium inter se studia conciliare singulari gratia saepius comperta est, evenitque nonnunquam, ut cum pertinacius a se invicem discordes re-

ligiosas componere ex voto non posset, leo catenae in coenobio illigatus, eadem rupta sese in cursum effunderet, quem Gertrudis in nomine Jesu vocatum protinus stitit, sibique ad pedes velut supplicem ad imperata fecit accidere; qua belluae obsequendi promptitudine confusae moniales, jussaeque ab hoc bruto obedientiam discere, sine mora paruere, atque in gratiam mutuam, dominaeque obsequium, rediere. Quae causa, cur in sepulchrali ipsius lapide, iconibusque virginis, leo, pedibus advolutus, reperiatur.

Quam ardens ipsius fuerit revocandi Orientis ad ecclesiae catholicae desiderium, quod Ludovici patris ad sacram hanc militiam profecti, exemplo conceperat, re ipsa declaravit, quando hos, quos armis expugnare non poterat, alio sacratioris militiae genere, precibus debellare, cum virgineo exercitu aggressa est. Sicquidem Urbano IV. pontifice, Gregorii IX. edictum sacrae militiae anno salutis 1262 innovante, Gertrudis congregationem virginum, mulierumque instituit amplissimam, quae cruce dominica, sacrae militiae symbolo ante frontem insignis, certo precum, operumque bonorum penso indies solvendo, tenebantur, cumque nonnunquam solemni processione incederent, quam venerabilis sacramenti die inibant, floribus omnes coronatae prodibant, illi conformes visioni, quae Godefrido quondam sacerdoti, primo hujus coetus autori, coelitus fuerat objecta. Verum nullo perinde cultu, quam venerabilis sacramenti eucharistici piissima virgo effervescebat; quod non sine praerogativa loci ordinisque, ut virginum choro recluderetur, obtinuit, privilegio ante annos 16 per Trevirensem archiepiscopum innovato. Huc videlicet et ipsa per diem suppliciter recurrere visa est, suasque id virgines jussit imitari, ante hoc praecipuas necessitates exponere solita, implorare et expectare praesidia. Quin et in festo corporis Christi publica per montem supplicatione coronatas floribus voluit incedere virgines, cum alias inclusae septis claustralibus tenerentur. Qui mos in proximam duravit aetatem, donec haeresi praevalescente, intra coenobii ambitum haec pietas, coronis etiam neglectis, adstringitur. Quam praesens hinc auxilium saepe

affulserit, non priscis quidem exemplis, verum superioris belli clade, quam Sueci catholicis imprimis locis ubique inferębant, ex oculato teste, Rommersdorffiano D. Petro Diederichs, quondam istic abbate, atque id temporis Altenbergici prioris, referam. Suecus sub Butlero duce miles omnia istic late vastabat, Altenbergensi coenobio jam quoque occupato, tribunorum igitur nonnemo priorem loci repertum, mucrone in pectus intento adigit, ut monasterii thesaurum sibi demonstret: quod ni faxit, mox fumus futurum. Tum ille ceu necessitate victus, sequi tribunum jubet, atque ad chorum antegressus, hierothecam cum eucharistia depromit, obversusque in compellentem: »En hic,« inquit, »thesaurus meus est, apud quem »vivere ac mori decrevi, te vero, o homo, tuosque omnes, per »hunc verum vivumque Deum adjuro, ne quid mihi, et com»missis in hoc loco noceatis, mortemque intra triduum tibi »denuntio, nisi res ecclesiae huic ablatas, quantocius restituas.« Mirum ut homo ad haec velut fulmina attonitus haeserit, nec alicui deinde in ecclesia rei manum admoverit amplius. Sed cum sublata corrallia et quaedam ecclesiae ornamenta non redderet, insequenti ibidem die sclopo trajectus, misere interiit. Butlerus etiam comperiens, virgines istic religiosas in magna militum (quorum facile quinque millia monasterium insidebant) licentia periclitari, misit, qui eas Wetzlariam in tutum educerent, quarum nulla, licet inter tot tamque dissolutos deprehensa milites, ullam passa violentiam est, sed nec irrisionem quidem, cum per media Suecorum castra traducerentur, resque ecclesiae cum sacra hierotheca palam in manibus religiosi sustinerent.

Longum sit hujus gesta virginis percensere singula, illud tamen obiter induxero, quod animabus in purganti flamma levandis, officium defunctorum recitarit indies, idem ad posteros exemplum propagatura, nec suas illam dormitorii partem, quae supra culinam est, transire voluit, nisi psalmo de profundis dicto, et benedicta aqua adhibita, quae si hodiedum desit, occultis hic locus spiritibus infestatur, quin nec cibum sine animarum recordatione sumi voluit, unde his sublevandis pars

una panis inferior in pauperum eleemosynam quotidie resecta cedit. His aliisque pietatis institutique sui formandi operibus intenta virgo, anno suae aetatis septuagesimo, regiminis quadragesimo nono, salutis 1296, festo S. Hypoliti die, ad coelestem sponsum transiit, relata post miraculorum celebratam gloriam a Clemente VI. Romano pontifice, in numerum sanctarum ão 1348. — Nunc igitur Altenbergensium magistrarum catalogum aliquem texere ejusdem D. Petri suffragantis opera ex archivo depromptum e re praesenti futurum videtur.

1. Prima omnium Christina de Biel, praenobilis stemmate ac virtutibus celebrata virgo, quondam in Wulfersberg, haud procul Rommersdorffio, professa, cum sex virginibus Altenbergensis coenobii fundamenta jecit circa annum Christi 1222, tirocinium vitae illic regularis auspicata, unde in his fuisse creditur, quae angustis principio monasterii rebus, cum ex desperatione cessura esset, a D. Nicolao subsistere jussa, qui ut loci patronus, veteris munificentiae non immemor, frumenti nunquam deficientis copiam, dum aliunde res affluerent, in arca suppeditavit. Quae meritis bonorum operum dives, post quinque et viginti monasterii annos locum nobiliori fecit anno salutis 1247, die julii 21.

2. D. Gertrudis, ex Ludovico, Hassiae et Thuringiae principe, atque Elisabetha, Andreae Hungarorum regis filia, sanctissimis parentibus non impar proles, magistrae Altenbergicae officium iis quas strictim percensui, virtutibus ornavit, locuplesque post se redditibus moriens reliquit, ut septuaginta virginibus alendis monasterium sufficeret.

3. Catharina de Nassau comes. Sub Gertrude ad monasticam sanctitatem instructa, locum munusque defunctae capessivit, disciplinamque regularem, prout a magistra sua acceperat, usque ad 29. aprilis 1324, quo regimen cum vita deposuit, intemeratam propagavit. Ad templi perficiendi ornatum majorum illius liberalitatem adhibitam ostendunt figurae, atque insignia Nassoviorum fenestris impressa, uti post altare summum visitur Adolphus de Nassau imperator, qui anno Christi 1290 praefuit, et Imagina imperatrix, ex comitum Lim-

Digitized by Google

burgensium familia, insigne nigricantis aquilae in scuto flavo appositum, juxta vero in laterali fenestra, Otto comes, et Agnes de Nassau.

4. Gertrudis comes de Nassau, Catharinae partes excepit aõ 1325, generis, virtutisque consors, quae pie juxta ac prudenter post annum 1333 magistrae defuncta munere, locum moriens fecit,

5. Menae, seu Imaginae, ex dynastis Limburgensibus. In medium prodit 1343—1349. Ex cujus prosapia Gerlacus dynasta Limburgensis, in ara templi Altenbergensis agnoscitur, quodque celebre hujus virginis magisterium fuerit, argumento est ejus effigies, in choro juxta sedem magistrae efformata, quae velut ad exemplum absolutum moderantis proponi reliquis videtur. Cujus, ut et sequentium aliquot magistrarum regimen, ut diuturnum non fuit, ita nec suis est temporibus definitum, nisi quod ab imperitis mortis plerarumque dies, non anni, fuerint definiti, ac sub dominarum, quae vox magistrabus tantum solita tribui, titulo notentur. Imagina obiit 26. septembris.

6. Lysa, necrologio Altenbergensi ad 8. junii inscripta, quo diem supremum obiisse signant, familiae, quae utique illustris fuerit, designatione praeterita.

7. Catharina, comitissa de Solms, aõ 1350—1351.

8. Heilica Veronica, comitissa de Ziegenhayn, quae annis Christi 1356—1361 laudabiliter praefuisse, Altenbergicis atque etiam profuisse, amplis in Wetteravia possessionibus comparatis, legitur. Ex cujus prosapia Mechtildis comitissa Ziegenhaynensis, nomen cum insignibus, stellae candidae in campo nigro, fenestris quoque basilicae impressit.

9. Anna Solmensis, obiit 10. martii 1389.

10. Willeburgis, stemmate comitum incerto, obviat 1387, 1390 et 1392; ultima julii mortuis accensetur.

11. Catharina, ex familia Nassoviorum, ejus nominis altera, successit in magistrae officium, sed injuria temporum ad insignem patientiam exercitata. Nam ut mons ille Altenbergensium fulmineis imprimis tempestatibus obnoxius est,

Digitized by Google

ita tactum eo tempore de caelo monasterium parte magna conflagravit, cumque ad instaurationem impares essent virginum opes, confectae leguntur anno Domini 1395 literae, quibus ad damni reparationem invitati Christi fideles, omnium fiunt meritorum ordinis participes. Vivere comitissa haec, et praeesse suis desiit anno Christi 1399, sexto nonas maji.

12. Hatwigis succenturiatur ad diem octobris 7., quam verosimile est fuisse dominam de Driedorff, qua aõ 1394 vota nuncupante, Conradus dominus de Driedorff, Conradus de Cazenfurt, Eigello de Kesenberg in ejus dotem monasterio Altenbergensi leguntur cessisse omni jure villis, aedificiis, sylvis, quae in Dalheim possidebant.

13. Gutta, obiit ultima januarii.

14. Agnes comitissa de Solms, occ. 1451—1454.

15. Catharina comitissa de Solms (soror comitis Ottonis), cum laude praefuit aõ 1458.

16. Agnes, dominae Catharinae germana, occ. aõ 1463; pio vivendo jusque sui monasterii strenue prudenterque tuendo cum laude vixit, obiitque aõ 1491, in octava Ascensionis Christi. — Sub hac insigni sanctitatis fama excelluit Catharina Flommerfeldin, cellariae, ut vocant, officio functa; quae cum ante mortem sollicite postulasset, ut in aede sacra deponeretur, resque obtentu videretur difficilis, quod suo hactenus coemiterio jacerent sanctimoniales conditae, evenit aõ 1478, sub tempus Catharinae morientis, tam alto terram gelu constringi, ut sepulchrum in coemiterio effodi pro more non posset. Quod cum loci prior ac magistra divinitus ab illa impetratum crederent, disceptarentque in templo, quo potissimum loco deponenda videretur, en tibi crucifixi ingens de fornice suspensa effigies, cum magno fragore se commovens, dextrum in latus, ceu istic depositam vellet, coepit inclinari, neque hactenus ab hoc situ in priorem se passa est locum habitumque reduci; quare juxta mausolaeum comitum de Nassau, sub lapide praegrandi, sepulchrum est sortita.

17. Catharina, comitissa de Solms, occ. aõ 1499. Solmensem chorum tandem claudit.

18. Agnes, comitissa de Solms, Bernardi comitis in Braunfels germana. Haec insigni quadraginta annorum regimine multis magnisque patientiae occasionibus exercita, plus a germano fratre, jura possessionesque monasterii invadente, difficultatum, quam ab externis hostibus, sustinuit. Hunc tamen in agone ultimo per Philippum ejus filium obtestata, ut injurias sua cum morte finiret, inter praeclarissima demissionis et pietatis argumenta, quae adstantibus ubertim lacrymas excuterent, vitam clausit anno salutis 1531, die 1. aprilis. Vitam per modum diarii complexus est loci prior, Joannes Maul. Atque haec Agnes magistra de sanguine comitum fuit ultima.

19. Anna de Düdelsheim, genere virtutibusque eximia, sub paschalem solemnitatem in magistram eodem anno 1531 electa, 21 annos Altenbergum laudabiliter moderata est. Abdicavit aõ 1553, obiitque anno aetatis 82. die 30. januarii.

20. Maria de Rolshausen. Illustri stemmate; at constantia et pietate, defensioneque religionis avitae contra ingruentem haeresin longe illustrior et aeterna laude dignissima, quod femina, viris fortior, se loco orthodoxaque fide dimoveri nunquam cum suis passa sit, protectione utique D. Elisabethae et Gertrudis freta, quarum vaticinia non fuere irrita. Sustinuit igitur comitum de Solms, id temporis ad lutheranismum desciscentium, generose impetum, et tanquam fidelis mater protectrixque innocentiam virginum tutata est. Demum 29. augusti 1559 laborum suorum perceptura praemium, ad Christum properavit, secumque ad superos eodem anno traduxit conspectae sanctitatis, venerandaeque ipsis etiam acatholicis, virginem praenobilem Margaretham Odenwaldin, quam ad sponsum anhelantem, annuente memorant Christum de cruce capite ad coelum invitasse.

21. Maria Schenk de Schweinsberg aõ 1559 magistrae nomine succenturiatur; quae ut in officium magisterii, ita et in dimicationem cum haereticis sustinendam est surrogata, quam industria constantiaque singulari adversus hostium machinationes insidiasque egregie cum vita, 26. octobris 1580 absolvit.

Digitized by Google

22. Dorothea de Düdelsheim, praenobilis heroina, latini non minus, quam vernaculi sermonis perita, quae 20 annis Altenbergense monasterium magna constantiae laude administravit, ac subinde imperio abiens, post biennii solitudinem, aõ 1602, die 23. martii, vitam non tam amisit, quam adiit. Hujus tempore multae virgines eximia vitae et morum sanctimonia Altenbergum exornarunt, ex quibus nobilis priorissa, Sophia de Mauchenheim, passionis dominicae coelestumque gaudiorum contemplationi unice addicta, nec spectris quidem noctu preces interturbantibus absterrita, quam mortis praesciam, sororesque commonentem dum lumen in tenebris vestigant, veniens in clarissima luce Salvator circumfulsit, salutantemque his vocibus: »salvus sis mi amantissime Jesu«, secum ad superos traduxit 28. octobris aõ 1590. Cum hac ibidem educata Barbara Bildschnizerin, Butzbacensis, miraculis et spiritu prophetico illustris, quam Deipara mane ad Salutationem Angelicam pulsu signum dantem, ad gaudia aeterna aõ 1593 invitavit, triduo post morientem. Cui accenseri potest virgo praenobilis Apollonia Schenk, ab haereticis parentibus ad hoc asylum profuga, quod pietate insigni erga animas praesertim defunctorum vivens moriensque exornavit, anno 1599 defunctis addicta.

23. Elisabetha de Scheid, condicta Weschpenning, depositum a Dorothea regimen anno aetatis suae vigesimo et secundo assumptum, per annos 18 egregia fide vitaeque innocentia ac patientia sustinuit. Verum denique difficultatibus incumbentibus Dorotheae exemplo cessit, privatas religionis curas publicis anteposuit; quanquam virtutum fama eam minime latere voluit, sed ad alium virginum praemonstratensium coetum in Niederzell, haud procul Herbipoli, regendam coacta rursum est manus industriamque porrigere, donec anno salutis 1626 die 11. maji, magisterium cum vita deposuit. Sub hac egregiae sanctitatis virgo Barbara Wisch, Wezlariensis, sex ante mortem hebdomadis ad transitum se parare ad 2. decemb. jussa aõ 1605 recessit.

24. Anna Elisabetha Riedesel de Bellersheim, praefecturae munus annis circiter 15 sustinuit, tanta erga indigos afflictos-

que liberalitate, ut vulgata appellatione mater pauperum diceretur, ex quorum obsequio credita pestem contraxisse, piissime, constantissimeque extremam horam anno salutis 1635 maji die 20. excepit. Consanguineam illa ante se habuit Agnetem a Wers, quae parentum haereticorum machinamenta fortiter elidens, sanctissime aõ 1610 defuncta est.

25. Christina Beyerin, Confluentina, Joannis Beyer J. U. D. E^mi principis Trevirensis consiliarii filia, prima unicaque fuit, citra priscae nobilitatis delectum ad magistrae Altenbergicae munus assumpta. Sub cujus infelici moderatione monasterium decies octies ab hostibus fere catholici nominis spoliatum est, quaeque illis refugii loco in bellis erat Wezlariensis domus 24. septembris 1643 consumpta, quae tamen generosa virgo tranquillo, atque in Dei voluntatem resignato perpessa animo, singularem inter haec Dei protectionem a D. Elisabetha praedictam, quod nec virgines violandae, nec monasterium extinguendum, non sine admiratione plurimorum experta est. Scapulare illa gestandum, cujus ab origine istic usus incognitus, virginibus prima imposuit, tanquam baltheum religiosae militiae familiarem. Abiit vita officioque aõ 1644 die 22. aprilis, et hujus consanguinea, Anna Maria Beyerin, pauperum inopiae levandae addictissima, quibus subductis sibi alimentis, consulere erat solita, aõ 1635 cum fama sanctitatis decessit.

26. Juliana Catharina de Ders, archiepiscopi Trevirensis a Soeteren consanguinea, oeconomica non tantum scientia, verum omnium virtutum genere excellens, in choro pervigil, neque hinc se facile per occupationes passa subtrahi, inopum singulare refugium, quo in genere memorandum est, quod cum rigente bruma mendicam cum infante incalceatam reperisset, amaro perfusa fletu, hanc in conclave subductam detractis sibi calceis donarit, aliisque fomentis refecerit, ceu Christum in illa recepisset. Tempestate illa, cujus supra memini, belli Suecici jactata, omnibus licet amissis, constantiam, patientiamque non perdidit, in loco reponens, quod commissas sibi virgines incolumes hac jactatione teneretur, donec aõ 1655 die 21. junii, hydrope consumpta, succumberet.

Digitized by Google

27. Martha Magdalena de Hoppen, virgo nobilis, in magistrae dignitate secuta est. Quae ex Silesia oriunda, quam cum materno lacte haeresin combiberat, salubri virginum Altenbergensium institutione expiavit, tantaque deinde morum ac vitae integritate praeluxit caeteris, ut dignissima in caeteris videretur, quae defunctae antistitis in locum officiumque succederet, atque in medio nationis acatholicae fidem sanctitatemque ejus loci majorum constanti religiosae vitae disciplina propagaret. — Voti religione se obstrinxit Martha Magdalena aõ 1638. Decennio post evocatur in Angelicam Portam ad instruendas istius coenobii virgines. Postmodum Dñae Julianae suffecta. E vivis abiit aõ 1684.

28. Anna Margaretha Forstmeister de Gelnhausen. Diuturni regiminis finem fecit 26. julii 1721, aetatis 83., inclyta nominis fama ad posteros transmissa.

29. Margaretha Catharina de Calenberg. Illustris haec domina, elegantia morum haud minus ac formae nulli secunda, immortalem sibi memoriam peperit, non modo novam coenobii fabricam, qua nunc patet egregia facie, ad culmen perducendo; sed et ecclesiam tecto valde specioso, eximia turri, fenestrisque dilucidis, vice offuscantium veterum, magnis impensis decorando. Vita longiore dignissima fati legem adimplevit citius, ac par erat credere, 30. septembris 1732.

30. Francisca de Ketschau, electa 26. octobris 1732. Et ipsa monasterio per diversimodas reconcinnationes laudabiliter prospexit; domicilio peculiari ad usum magistrae: porticu, ambulacris, nec non amoeno viridario illud auxit; de ara principe, qua decorata cernitur ecclesia, ne dicam. Vivere autem desiit, indolis mitissimae rectrix, et bonis operibus coelo matura beatam aeternitatem adiit 15. novembris 1749.

31. Catharina de Schleifras. Ut plurimum reverendae ac perillustri huic dominae magistrae regimen, 30. novembris 1749 felici sydere exorsum, bene cedat, eoque per multas annorum decades fruatur salva et incolumis, obnixe vovemus. — Catharina obiit aõ 1766.

32. Juliana a Lehrbach, electa aõ 1766, obiit aõ 1771.

Digitized by Google

33. Francisca a Wevelt, electa aõ 1771, obiit aõ 1780.

34. Eleonora a Bastheim, electa aõ 1780, obiit anno 1795.

35. Ludovica Norbertina de Bode, Augusti de Bode et Amaliae de Adlerstein filia, nata in Herbstein, dioecesis Fuldensis. Haec ultima magistra obiit Confluentiae, 10. aprilis 1814, aetatis anno 65.

Pro hujus capitis conclusione lubet adjicere, virginis anonymae Altenbergensis rarum facinus, se pro scelere patris Deo in victimam expiationis offerente, quod circa annum Christi 1395 evenisse creditur, quo memorabili fulmine monasterium concussum est. Triduana jam pene tempestate Altenbergum inhorruerat, cum virgo haec parentis sui inveterata consuetudine sibi suisque fulmen imprecantis memor, a Deo obnixe precata est, ut suo in capite paternum crimen expiaret; velut precum exaudiendarum certa, exomologesi sacra et eucharistico epulo munita, in hortum monasterio vicinum concessit, supplexque ex genibus igneum de coelo telum operiebatur, cumque votum ob velum sacrum capiti impositum sentiret protrahi, hoc deposito, fulmineum ex coelo ictum, non irrita expectatione pro aliorum delictis excepit, raro pietatis expiationisque exemplo patrem prosecuta. Unde intellectum abs virginibus velum capiti cum religionis professione impositum, tanquam scutum adversus fulmina recte usurpari, ideoque exortis deinde tempestatibus sub hujus umbra tuto dilitescunt.

CAPUT VII.

De parthenone Portae Angelicae.

Et hoc nobilitati tributum inter sacrarum virginum coenobia monasterium est, quod Cochemium inter, et Treysium situm in valle, rivis duobus alluitur, cujus originem conditionemque in subjectis literis exhibemus.

Digitized by Google

»In nomine Domini amen. Notum sit universis Christi »fidelibus, quod Emelricus miles de Munreal advocatus et do»minus fundi, qui dicitur Leinherre in Fanckel ob spem re»tributionis aeternae contulit monasterio in Cumede quidquid »proprii habuit super aquam quae Flumen dicitur, videlicet »curiam et locum, in quo claustrum nunc est situm, quod »dicitur Angelica Porta et vineam in Fanckel, cum omni jure »suo, quod ipse possedit, cum aqua, cum pascuis, et jure et »nemore, ut conventum ibidem ponerent, et claustrum initia»rent, quia ipsi hoc innotuit, quod servitium Deo gratum ibidem »deberet exhiberi, et sic missae sunt sorores aliquae in locum; »sed cum non proficerent, ad propria redierunt. Vir autem »nobilis Philippus dominus de Wiltenberg, qui in proprio fundo »in Ardania initiaverat ecclesiam, et tres filias suas ibidem »locaverat, videns istum locum magis convenientem, comparavit »cum dominabus de Cumde pro 30 marcis, et una area in »Bacheraco, et ibidem transtulit praedictas filias suas cum »aliis sororibus anno Domini 1262 calendis februarii, et coo»perante Domino conventum ordinavit, cum consensu et volun»tate filiorum praedicti Emelrici, videlicet Philippi et Emelrici »militum et advocatorum in Fanckel. Praedictae vero sorores »usque ad id tempus fuerunt in ordine praedicatorum, sed »quia ordo non recepit eas, ad praemonstratensem ordinem se »converterunt, subdentes se abbati Steinfeldensi, et in die B. »Augustini anno 1272 solemnem professionem in manum D. »Corvini, abbatis Steinfeldensis, fecerunt. Postea vero cum »D. Henricus (de Vinstinga) Trevir. archiepiscopus, de curia »Romana rediret, suo negotio perfecto, commisit eas Cunrado, »abbati de Seina et suis successoribus, in temporalibus et »spiritualibus regendas, anno ut supra 1272.«

Hactenus idem monasterium coetus nobilium virginum possidet, rerum, ut solent, a majoribus gestarum tam incuriosae, quam praesentium tenaces. Quare nec invitae ferent, si nos utrisque abstineamus, antiquarum nescii, novarum non admodum in talibus parthenonibus curiosi.

Digitized by Google

Ex mirabili angelorum apparitione parthenon iste originem, et etymon sumpsit. Emericum de Monreal, fundatorem agnoscit et fundi dominum. Cis Mosellam inter montium huic pendentium concava, duabus a Cardona horis, medias inter silvas, praenobile hoc virginum monasterium, suo horridum situ, implantatum est circiter anno 1255 et cisterciensi ordini addictum, evocatis e Cumeda monialibus quae illud incolerent. Paucis illic steterunt annis, non tam loci solitudine quam jejunae nimium dotationis parcimonia deterritae. Philippus de Wildenburg desertam habitationem pretio comparavit ab haeredibus Emerici et accersitas ex ordine sancti Dominici moniales de monasterio Arduensi, forte Marienthal, illas in possessionem Angelicae Portae immisit, aõ 1262. At quoniam superioribus ordinis insciis et improbantibus facta est haec translatio, velut alienas dimiserunt, et ordinis substraxerunt providentiae. Gossuinus abbas Saynensis parthenonem desolatum miseratus, curam ejus in se suscepit, et paulopost de consensu Henrici archiepiscopi Trev., schemate illas induit norbertino, aõ 1275. Haeresi lutherana ingruente, ad Romersdorffienses transiit sanctimonialium vicinarum administratio, quae sub annum 1672 restituta fuit Saynensibus ex decreto capituli generalis. Sic porro sanctitate et nobilitate inclaruit hoc coenobium ut certatim nobilissimae virgines ad illud confluerent: ac ne multitudine in posterum gravaretur, sanxit Guido abbas Praemonstrati aõ 1235 ne ultra viginti virgines admitterentur ad habitum. A primaevo splendore sanguinis haud degeneres, a pietate pristina non deviae, hodiedum perseverant sanctimoniales, sanctae Beatricis antesignanae, et sororis quondam suae, aemulantes exemplum, cujus pretiosis fruuntur exuviis.

Magistrae in Angelica Porta.

Catharina, occ. aõ 1341.

Lysa de Erimberg, occ. aõ 1406. Martyrologium conscribi procuravit, librumque animarum,

Digitized by Google

Margaretha Cratz a Scharfenstein, obiit 19. novembris 1532, plus quam centenaria. Electa fuit 1450. Rexit, autore traditione, sed magna ecclesiae suae incremento, majori pauperum solatio, annis octoginta duobus, miraculis etiam vivens insignis extitit. Exhausta eleemosinis granaria implevit ad preces ancillae suae liberalis Dei providentia, aõ 1530.

Agnes a Coppenstein, occ. 1562, obiitque 31. augusti 1564.

Margaretha Boos a Waldeck, magistra per 27 annos, obiit 15. martii 1595.

Anna Catharina a Wiltberg, electa 7. junii 1595, resignavit aõ 1620, obiitque 25. junii 1628.

Elisabeth a Metzenhausen, praefuit annis 21, obiit 20. martii 1641.

Regina Elisabeth a Metzenhausen, praefuit per 24 annos, obiit autem 27. januarii 1666.

Anna Eleonora Margaretha a Petra in Nikenich, praefuit per 33 annos, obiitque 16. decembris 1698.

Anna Catharina Gertrudis a Wentz, electa 5. januarii 1699, defunctaque 26. maji 1699.

Carlotta Margaretha Elisabeth a Piesport, electa 24. junii 1699, obiit 21. februarii 1719.

Isabella Emerentiana de Gülpen, magistra per 33 annos, obiit 29. augusti 1752.

Sibylla Gertrudis de Rumrod, electa 6. septembris 1752, obiit 14. maji 1775.

Hildegardis a Moskopp, electa 29. maji 1775, obiit 24. martii 1790.

Maria Elisabeth a Geyer, electa 3. maji 1790, obiit 5. novembris 1797.

Necrologium Angelicae Portae dabamus in Archiv für die Rheinische Geschichte, 1833—1835, tom. II. pag. 3—94. Parthenon illud originem deducens abs monasterio Chumbd, Moguntinensis olim, Trevirensis hodie dioecesis, breviter etiam de Chumbd tractandum esse censuimus.

Digitized by Google

Monasterium seu abbatia monialium ordinis cisterciensis in Chumbd (Commeda).

Fuit olim prope Simmern, in Palatinatu, abbatia monialium ordinis cisterciensis vulgo Chumd, quae sub finem saeculi XII. pietate Conradi comitis Palatini et Dickiorum, florentissimae tunc temporis in Palatinatu et in Alsatia familiae, liberalitate excitata est (1). Ex Conradi archiepiscopi Moguntini literis, quibus monasterii hujus initia comprehenduntur, quasque infra producimus sub nº 1, Henricus de Dicke, auctor primarius, filium habuit Alexandrum, patrem haud dubie Henrici de Staleck, episcopi Argent. an. 1238 electi, hujusque fratris Alexandri domini de Dicka. Donationem quandam Henrici fundatoris an. 1204 novo coenobio factam, Henricus ille episcopus et Alexander fratres an. 1252 confirmasse reperiuntur. Bona monasterii apud Wesaliam ab omni precaria et servitio Henricus rex Rom. an. 1234 et Ludovicus IV. imp. 1324 liberarunt. Jus patronatus in Bornheim prope Flanhemium a Rudolfo archidiacono Trevirensi moniales acceperunt an. 1241. Consensu Joannis II. comitis Spanheimensis, qui curiam abbatiae in Enkerich ab omni exactione immunem reddiderat, Ludovicus miles de Dunso rem suam in eodem loco Comedensibus donavit an. 1264. Postea milites a Treyss dicti, qui ad Mosellam locus est, Dickiorum in his oris, uti videtur, heredes, plurimum praediorum, silvarum, jurium exeunte XIII. et ineunte XIV. seculo dono obtulerunt. Inter abbatissas recurrunt:

Berta, abbatissa una cum praeposito Joanne anno 1196, in charta fundationis monasterii Comedensis.

Adelheidis.

Sophia abbatissa in charta renunciationis super quasdam amas vini anno 1372, infra nº 2.

Helicka de Metzenhausen anno 1450.

Dorothea Hilchen de Lorch anno 1496.

---

(1) Acta academiae palatinae, Manheim 1773, volum. 3, pag. 33. — Günther, cod. Rheno-Mosell. tom. I. pag. 41.

Digitized by Google

Elisabetha anno 1543.

Eva Brenner de Loewenstein, obiit 1574.

Dorothea de Metzenhausen an. 1556, cui successit Catharina, Joannis II. Simmerensis ducis filia, quae praedium quoddam prope Clotten ad Mosellam in emphyteusin dedit d. 4. octobris anno 1563. Deficiente paulatim disciplina monastica, monasterium tandem anno 1566 deletum est. Scholamne an hospitale hic instituerat, dubitavit Richardus, Simmerensium princeps. Richardo mortuo, hospitale instituit Fridericus IV. elector an. 1598 (1). Mirabilis illa fundatio monasterii Beatae Mariae Virginis in Comeda in Palatinatu inferiori dioecesis Moguntinae anno 1180 per Eberhardum, octodecim annorum adolescentem, postea vero in ordine nostro (cisterciensium) subdiaconum contigit, scribit Caspar Jongelinus in notitia abbatiarum cisterc. lib. II. pag. 42.

Fuit autem iste Eberhardus, filius cujusdam Wolframi, natus in arce Stalecka, ubi ipse pedissequus beati Erenfridi vel Ezeconis et beatae Mathildis, Palatinorum Rhenique comitum fuit. Meminit hujus beati Eberhardi (P. Papebrochius in vita beati Ezeconis et beatae Mathildis ad diem 21. maji in actis Sanctorum tom. V. maji, pag. 48) scribens, dandam esse vitam istius beati Eberhardi de Stalecka ad diem XXX. novembris.

Post mortem beati Eberhardi, qui in Comeda defunctus et sepultus fuit, Arnoldus abbas Eberbacensis moniales ex monasterio in Aulenhausen illuc misit, quae liberalitate familiae Dickiorum in Simmern subnixae, aedificia satis ampla in Comeda erexerunt.

Caesarius Heisterbacensis, in dialogo miraculorum lib. I. cap. XXXII., de simplici sorore in Kummede narrat: »In »Kummede monasterio sanctimonialium ordinis (cisterciensium) »simplex erat puella ligneam habens imaginem crucifixi &c.« Coenobium Kummeda in Palatinatu situm, pertinebat ad Eberbacum.

(1) Widder, Beschreibung der Churpfalz, Theil 3, Seite 480. Frankfurt 1787.

Digitized by Google

Crescente autem numero sororum et florente disciplina claustrali in novo monasterio Comedensi, Emelricus de Monreal, dominus in Fankel, sororibus in Comeda villam suam prope Fankel legavit cum omnibus adjacentibus bonis ea lege, ut ibi monasterium erigeretur. Placuit consilium monialibus in Comeda, ex quibus sorores quaedam in dictam villam descenderunt, ibi habitaturae. Verum res non ex voto successit, quare iterum in coenobium Comedense revertuntur, donec miles Philippus a Wiltenburg, dominus in Treyss, in praedicta villa novam ecclesiae fabricam cum domo construere coepisset, adjectis quibusdam bonis suis, sicuti ex charta fundationis hujus monasterii didicimus apud Honthemium hist. Trev. diplom. tom. I. pag. 800 et apud Güntherum cod. Rheno-Mosellan. tom. II. pag. 407. Henricus archiepiscopus Trevirensis hanc ecclesiam dedicavit anno 1272 eique nomen Engelport — Porta Angelica — imposuit. Tres filiae fundatoris domini Philippi in Treyss sub sacro velo in hoc monasterio Deo servierunt.

N° 1.

Conradi archiepiscopi Mogunt. literae de fundatione abbatiae monialium in Comeda (Chumd) an. 1196 (1).

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Conradus Dei gratia Moguntin. sedis archiepiscopus, Sabinen. episcopus, inperpetuum. Pontificalis debitum officii exigit, et pietas persuadet, fidelium Dei equis peticionibus acquiescere, et justa Deoque placita desideria, ut efficaciter promoveantur, annuere. Unde notum facimus, tam futuris quam presentibus, quod Henricus de Dicke cum filio suo Alexandro, et filia Elisabeth, et fratribus Henrici, Friderico videlicet et Eusthacio, cum ceteris suis coheredibus, respectu diuine remunerationis, et pro peticione Palatini comitis Conradi, conjugis suae Irmin-

(1) Acta academiae Palatinae, volum. III. historic. Manhemli 1773. N° XIII. pag. 95.

Digitized by Google

gardis, plurimorumque nobilium et religiosorum, capellam, que Comeda appellatur, in episcopatu nostro, predecessorum nostrorum et nostra permissione fundatam, fratri Eberardo, et universis in perpetuum ibi Deo servientibus, totumque territorii illius predium sine spe questus, vel advocacie justo donacionis titulo tradidit. Cum autem hanc pietatis donacionem nostra auctoritate roborare teneamur. ita ut liceat inhabitantibus hec que ad ea pertineant, juste et legitime possidere, auctoritate qua fungimur confirmantes statuimus quatinus monastice religionis ordo, secundum regulam beatri patris Benedicti atque institucionem cisterciensium fratrum, ab ibidem commanentibus semper et inviolabiliter observetur. Illud quoque ipsis firmiter stabilientes, quod et ipsis et omnibus suae religionis et professionis a domino papa Alexandro pluribusque Romanae sedis pontificibus indultum et concessum esse dinoscitur, videlicet ut de novalibus et de locis suo labore ipsisque impensis ad culturam redactis, nec non de ortis, animaliumque suorum nutrimentis, nemini decimas aliquas exoluant, sed hac sibi concessa gaudeant indulgencia. Instituimus eciam ut pretaxati provisor cenobii in vendendis vel emendis ecclesiae rebus, sive in sororibus, sive in suscipiendis conversis, sine abbatisse consensu, conventusque consilio per se nullam habeat potestatem, nec sine conventus consilio edificia vel erigat vel destruat, oblationes quoque que ad manus sacerdotum offeruntur et que de remotis aut vicinis partibus ecclesiae supradicte deferuntur vel mittuntur . . in loco ad hec deputato, sub abbatisse, prepositi, et seniorum custodia reserventur. Domus utensilia cum appendiciis sana scilicet et lacticiniis sub dominarum custodia teneantur. Abbatissa et conventus sine prepositi consilio in predictis nihil ordinet. Prepositus quoque sine illis nihil disponat. Obeunte autem abbatissa sive preposito non ibi quacunque subreptionis astucia vel violentia abbatissa, vel prepositus instituatur, nisi quem, aut quam, conventus communi consensu, vel pars sanioris consilii secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam elegerint. Statuimus etiam ut non nisi de illarum ordine abbas ab eodem

Digitized by Google

conventu pro rigore ordinis conservando, aut questionibus ad quas sibi videbitur conventus non sufficere decidendis eligatur, et ille juxta mandatum nostrae institutionis non debet electioni in eum facte contradicere. Conversi preposito, sorores vero abbatisse obedienciam promittant, et sine murmuracione secundum beati Benedicti regulam persolvant. Precipimus item, nec conversi a predicto loco sine licencia debita exeuntes in aliquo locorum recipiantur. Quicunque igitur contra nostrae constitucionis hanc paginam aliquo temerario ausu quod absit venire attemtaverit, et ordinacionem supra notatam sigilli nostri impressione munitam et coroboratam ullatenus infringere aut perturbare studuerit, indignacionem Dei omnipotentis, beatorum apostolorum Petri et Pauli perhenni dampnatus anathemate, auctoritate domini pape Celestini et nostra se incursurum, nisi resipuerit, cognoscat. Acta sunt hec anno Dominice incarnacionis millesimo centesimo nonagesimo sexto, indictione quarta decima, domino Celestino apostolice sedi presidente, Henrico sexto Roman. imp. gloriosissimo imperium et regnum Sicilie feliciter gubernante. Anno quoque nostrae electionis in Moguntinensem archiepiscopatum tricesimo sexto, exillii tricesimo secundo, reversionis vero quarto decimo, sub hiis testibus, Lupoldo Wormaciensi et Ottone Spirensi episcopis, Theobaldo Schonaugie abbate, Henrico decano, Godefrido cantore, Prepositino scolastico, Rochardo cellerario, Ruchero, Emichone, et aliis quam pluribus majoris ecclesiae Moguntin. canonicis, Sifrido in ecclesia beati Petri Moguntinensis, Geuinone in Rauingesburch prepositis, Henrico pastore in Bacheraco, Carolo fratre de Himynrode, Johanne preposito et Berta ejusdem loci abbatissa, ad quorum instantiam hec pagina conscripta est. Laicis vero, Popone comite de Werthem, Wernero de Brunishorn, Godefrido Bernecothe, Henrico de Milewalt, Anselmo de Waldecke, Henrico de Staleche advocato, Mauricio et Ansfrido fratribus de Dille, Henrico de Alffeim, et aliis quam pluribus honestis et discretis.

Digitized by Google

Nº 2.

Literae renuntiationis monasterii Chumbdt super ama vini in Ockenheim.

Wir Sophia Eptisse tzu Comede und den gemeynn Convent daselbes jrckennen uns in düsme uffenen brieve und dun kunt allen den, die yn anseent oder horent lesen, daz wir gentzliche verzegen han und verzigen bit urkunde dies uffenen brieves uff eyn ame wynes jerlicher gulden die wir vallende hatten tzu Ockinheym und uns gab Wentze genant Kaselkalp dasselbes wonnfftig von syme gude umb druzehen Gulden, die er uns gegeben hat, also daz unser Cloyster zu Comede vorgenant die ame wynes nummerme geforderen sal an Wentzen vorgenant oder an syne erben. In quorum evidens testimonium sigillum conventus nostri presentibus duximus apponendum. Datum anno Domini M° CCC° LXX° ij° ipsa die beati Anthonii Confessoris secundum stilum Moguntinensis curie.

(1372, 17. Jan.)

De sancto Everardo Stalcckensi habemus legendam antiquissimam, quam, insimulque praefationem ab rev. et doctissimo domino Liehs elaboratam his adnectere placuit.

Im Bezirke des Gerichtes Kumbd, nahe bei dem Dorfe Kloſterkumbd im Kreiſe Simmern lag das in ſeinen Mauerreſten heute noch ſichtbare Frauenkloſter Kumbd (Comeda). Es iſt der Zeit nach die zweite unter den Kloſterſtiftungen des Hundsrücks und hatte ſeine Entſtehung einen ähnlichen Gang, wie die des Kloſters in Ravengirsburg. Die während des zwölften Jahrhunderts in der Umgegend von Simmern reich begüterte Familie von Dicke hatte mit Bewilligung des erzbiſchöflichen Stuhls in Mainz auf ihrem Gute zu Kumbd eine Kapelle erbaut. Um einen Gotteslohn zu verdienen, zugleich aber auch auf Bitten vieler Geiſtlichen und Edlen — vor andern baten dringend darum der Pfalzgraf Konrad und ſeine Gemahlin Irmengard — übergab Heinrich von Dicke in Gemeinſchaft mit ſeinem Sohne

Digitized by Google

Alexander und seiner Tochter Elisabeth, unter Zustimmung seiner Brüder Friedrich und Eustachius sowie seiner übrigen Miterben, sein Gut in Kumbd nebst der darauf erbauten Kapelle an den Cisterzienser-Orden zur Gründung eines Klosters und zwar ohne der Familie das Schirm- und Vogtamt oder sonst einen Vortheil auszubedingen. Die Stiftung wurde zu Mainz im Jahre 1196 durch Erzbischof Konrad bestätigt in Anwesenheit vieler Zeugen aus dem geistlichen und weltlichen Stande. In das Kloster waren damals bereits Klosterfrauen des Cisterzienser Ordens eingezogen; denn sowohl der Probst, als die erste Abtissin des Klosters waren bei der feierlichen Vorlesung und Besiegelung der Bestätigungs-Urkunde zugegen. Der Probst hieß Johannes; der Name der Abtissin war Bertha. Die auf uns gekommenen Urkunden des Klosters Kumbd beziehen sich ausschließlich auf des Klosters irdische Besitzthümer und Gerechtsame. Wir lesen da, wie nach dem Tode des Pfalzgrafen Konrad des Hohenstaufen auch die Pfalzgrafen aus dem Wittelsbacher Hause die Stiftung in ihren Schutz nehmen und ihr für einzelne Güter Zoll und Steuerfreiheit bewilligen, wie die Wittwe des Ritters Gottfried von Boppard den Kirchensatz zu Laubach dem Kloster schenkt, wie Irmengard von Treyß die Gefälle des Bartholomäusmarktes, der alljährlich vor dem Kloster gehalten wurde, den Klosterfrauen überläßt und dergleichen mehr. Keine einzige Urkunde belehrte uns bisher, wie es um der Insassen Zucht und Ordnung gestanden. Dieses erfahren wir erst theils aus der Lebensgeschichte des heiligen Eberhard, theils aus Kaspar Jongelins Buche Notitia abbatiarum Cisterciensium, theils aus andern Schriften. Daß die Zucht und Andacht der Klosterfrauen zu Kumbd in Flor und pünktlicher Ordnung gewesen sei, geht aus den raschen Fortschritten hervor, welche diese Abtei des Cisterzienser Ordens in der Rheingegend machte.

Kaum waren aus der Pflanzschule des heiligen Bernard von Clervaux die in hoher Frömmigkeit und beispielloserm Fleiße erzogenen Sprößlinge im Rheingau angelangt und hatten sich zu Eberbach angesiedelt, so suchten sie auch in ihrem Kloster die Grundgesetze des Instituts anzuwenden. Genau modelten sie nicht

Digitized by Google

nur ihre häusliche Einrichtung nach jener ihres Mutterklosters, legten ihre Wohnungen nach dem nämlichen Plane an, errichteten klösterliche Fabriken, führten dahin Wasserleitungen, rodeten ringsumher Waldungen aus, ordneten den Gottesdienst, sangen und beteten unter freudiger fast ununterbrochener Handarbeit, sondern übertrugen diesen ihren Kulturgeist auch außer ihren Mauern. Von Eberbach am Rhein ging gegen die Mitte des XII. Jahrhunderts eine neue Schöpfung des Rheinlandes aus.

Auch häusliche Frömmigkeit und Sittlichkeit auswärts war das hohe Unterscheidungszeichen der neuen Stiftung vor allen andern Klöstern und Ständen dieses Landstrichs. Eberbachs edle Eingezogenheit, Zucht und Religiosität war hierin das Muster. Alle Klöster ringsumher dachten jetzt an Erneuerung ihrer Disciplin und häuslichen Wirthschaft. Der größte Theil der weiblichen Klöster ließ es nicht einmal dabei bewenden; er ging gegen die Mitte des XIII. Jahrhunderts noch einen Schritt weiter, trat ohne Zwang und unaufgefordert, von freien Stücken in den neuen Orden ein, und zog das Ordenskleid der Cisterzienser zu Eberbach, damit aber auch den Kulturgeist desselben an. Das geistliche Stammrecht und die Visitationen von Eberbach unterhielten den ausgestreuten guten Samen, und ließ ihn, wie die Geschichte bewähret, in vortreffliche neue Pflanzungen und heilsame Früchte übergehen.

Von der Mitte des XIII. Jahrhunderts an finden wir Spuren von Nonnenklöstern, welche unter Eberbachs ordentlicher Visitation standen. Ohne an ein gewisses Kloster gebunden zu sein, wählten sie sich einen Abt, der für die Disciplin sorgen, dieselbe nach den Vorschriften des Ordens erhalten und in wichtigen Vorfällen die Entscheidung geben mußte. Diese schwankende Einrichtung war aber mit der Grundverfassung der Cisterzienser Klöster unverträglich und man fing an, den Nonnenklöstern ständige Visitatoren anzuweisen.

Unter der Fürsorge der Abtei Eberbach kamen nach und nach sechszehn Nonnenklöster zu Stande, unter welchen Altenmünster zu Mainz das erste war. Zu den übrigen gehört auch Kumbd (Comeda), welches das 13te in der Reihenfolge ist, Aulhausen

Digitized by Google

aber das 7te. Die sechs Pfälzer Klöster, worunter auch Kumbd, wie auch St. Agnes und Altenmünster erloschen in der Folge; die übrigen standen bis auf die allgemeine Katastrophe der Klöster von 1802 und 1814 und gingen in der neuesten Zeit mit der Abtei Eberbach zu Grunde. (1)

Wie wir in der Legende des h. Eberhard §. 10 lesen, wurde derselbe von dem Domprobste zu Mainz in das Cisterzienser Kloster zu Aulenhausen gesandt, um einige Klosterfrauen daselbst zur Ansiedelung des neuzugründenden Klosters in Kumbd auszubitten, welche daselbst den Anfang machen sollten.

Wirklich schickte der Abt Arnold von Eberbach einige Klosterfrauen von Aulenhausen nach Kumbd, um das neue Kloster zu errichten, worunter Bertha als Aebtissin im Jahre 1196 erscheint.

Das für adeliche Jungfrauen bestimmte Kloster zu Aulenhausen (Ulinhausen) war ebenfalls erst im XII. Jahrhunderte entstanden und hatte später den Namen Mariähausen angenommen, konnte sich aber nie recht wegen seiner stiefmütterlichen Lage und Abgeschiedenheit von den Rheinflecken jenen Schwung aneignen, welchen mehrere andere dem Rheine näher gelegenen Oerter und Klöster unter glücklichern Verbindungen erhielten. (2) Diesen Waldflecken Aulenhausen oder Ulnhausen gründeten im XII. Jahrhundert die Ulner oder Häfner wegen des dortigen brauchbaren Erdmaterials und der großen Menge an Holz. Durch das dahin gestiftete kleine Jungfrauenkloster erhielt dieser Ort ein besseres Ansehen und Kultur.

Das wichtigste, was uns aus den frühern Zeiten des Klosters Kumbd überliefert wird, das ist ein Versuch, in dem Waldthale, das der bei Treyß mündende Flaumbach durchfließt, ein Tochterkloster zu gründen. Die Anregung dazu empfing es durch Ritter Emelrich von Monreal, den Vogt in Fankel, der außer andern Gütern, seinen zwischen Mörsdorf und Fankel am Flaumbache

(1) Rheingauische Alterthümer, dargelegt von Franz Joseph Bodmann, Mainz 1819, erste Abtheilung, S. 178, 184.

(2) Gudenus, tom. I. pag. 37, in der Urkunde vom Jahre 1108, und Bodmann, loc. cit. pag. 112, »inter Husin et Hasemanneshusen«.

Digitized by Google

gelegenen Hof den Kloſterfrauen in Kumbd ſchenkte mit der Auflage, allda ein Tochterkloſter zu errichten. Man nahm von Kumbd das Werk auch alſobald in Angriff; es wurden etliche Kloſterfrauen in das Thal geſendet, dieſelben kehrten aber bald wieder nach Kumbd zurück, indem die Stiftung keinen rechten Fortgang gewinnen wollte. Was jedoch damals mißlang, gelang etliche Jahre ſpäter, und abermals war es ein an der Moſel begüterter Edler, nämlich Philipp Herr von Wildenburg bei Treyß, der das Werk unternahm. Derſelbe tauſchte im Jahre 1262 von den Kloſterfrauen den ihnen von Ritter Emelrich geſchenkten Hof gegen andere Güter, begann ſodann auf dem Hofe von Neuem einen Kloſterbau und führte ihn zu Ende. Als das Kloſter eingeweiht wurde, empfing es den Namen Engelport (Porta Angelica) und unter den Jungfrauen, die ſich daſelbſt einkleiden ließen, befanden ſich auch drei Töchter des Gründers.

30. November.

Der ſelige Eberhard von Stahleck.

Jahr 1191.

Zur Zeit als das Kloſterleben nach der Regel des h. Bernardus in Deutſchland allgemeinen Beifall fand, und im Rheingau ausgebreitet wurde, errichtete ein gottesfürchtiger Jüngling von 18 Jahren mit Namen Eberhard eine Kapelle zur Ehre Unſerer lieben Frau im Jahre 1180 zu Kumbd (Comeda) auf einem ihm von dem Ritter Heinrich von Dicke geſchenkten Platze, wie oben gemeldet worden.

Es waren aber in damaliger Zeit auf dem Hundsrücken drei Wallfahrtskirchen, welche die frommen Pilger aus Andacht beſuchten. Die erſte war auf dem Schöneberg erbaut, wohin die Andächtigen aus den Orten um den Schöneberg hinzogen. Schöneberg liegt am rechten Ufer des Simmerbaches ungefähr 20 Minuten unterhalb Kiſſelbach, $1^3/_4$ Stunde von Simmern ſtand die fragliche Kirche, dermalen iſt nur noch ein Kirchhof dort, welcher den

Digitized by

Einwohnern des Dorfes Steinbach zur Beerdigung der Leichen dient. Die zweite Wallfahrtskirche war zu Nunkirch in der jetzt protestantischen Pfarrei Nunkirch; die dritte endlich in Kumbd (Comeda), welche zur Ehre Unserer Lieben Frauen erbaut wurde.

Eberhard, auf der Burg Stahleck geboren, wo sein Vater Wulfram Burghüter war, stand auch in Diensten des Pfalzgrafen Konrad. Eberhard führte ein gottseliges Leben und baute für sich eine Klause an die Kapelle, wo er in andächtigen Gebeten und vieler Enthaltsamkeit Gott diente.

Eberhard trat auch in den Cisterzienser-Orden, befolgte die Regel des h. Bernardus und erhielt die Subdiakonats-Weihe. Im Jahre 1191 entschlief er zu Kumbd gottselig im Herrn. In dem von der Kirche aufgestellten Verzeichnisse der Heiligen wird Eberhard in die Zahl der Seligen eingereiht, und die Bollandisten wollen dessen Lebensgeschichte am 30. November geben, welche in der Anlage folgt, so wie sie sich in dem Archive zu Brüssel vorfindet. Dieselben erwähnen aber schon seines Namens am 21. May (1).

Der Ritter Heinrich von Dicke zu Simmern mit seinem Sohne Alexander, seiner Tochter Elisabeth und auch mit seinem Bruder Friedrich und Eustachius, schenkten auf das Verlangen des Pfalzgrafen Konrad und seiner Gemahlin Irmengard die Kapelle zu Kumbd mit allem Eigenthum in der dortigen Gegend dem Bruder Eberhard. Der Erzbischof Konrad von Mainz bestätigte, wie oben gemeldet, diese Schenkung im Jahre 1196 mit dem Zusatze, daß die Kapelle aller dem Cisterzienser-Orden von den römischen Päpsten ertheilten Privilegien theilhaftig sein sollte (2).

In der Folge wurde daselbst ein Kloster des Cisterzienser-Ordens für adeliche Jungfrauen gegründet, woher auch der Ort

---

(1) Acta Sanctorum bei Bollandus am 21. Mai, tom. V. Maji, Seite 48: Beatus Eberhardus de Stalecka. — Caspar Jongelin, notitia abbatiarum cisterciensium, lib. II. pag. 42, 43. Tolner, in additamentis ad hist. Palatin., pag. 28, 297.

(2) Acta academiae Palatinae, III. pag. 95.

Digitized by Google

Kloſter-Kumbd genannt wurde, (1) und als Eliſabeth, Tochter des Heinrich von Dicke in dasſelbe aufgenommen wurde, übergab derſelbe alle ſeine von Michelbach bis Kültz gelegenen Güter dieſem Kloſter. Dieſe Schenkung beſtätigten im Jahre 1252 deſſen Erben, der Biſchof Heinrich von Straßburg und Alexander Herr von Dicke. Auch der Archidiakon Rudolph zu Trier ſchenkte im Jahre 1241 dieſem Kloſter alle ſeine Güter nebſt dem Kirchenſatz zu Bornheim.

Als im XV. Jahrhundert die neue Lehre aufkam, verfiel die Kloſterzucht und das Kloſter ward im Jahre 1566 von dem Pfalzgrafen Georg der weltlichen Gerichtsbarkeit gänzlich unterworfen. Die Kloſterfrauen blieben zwar noch bei ihrer Ordensregel; als aber die letzte Abtiſſin im Jahre 1574 mit Tod abgegangen war, zog Pfalzgraf Richard die Gefälle gänzlich ein, und ließ von ſeinen Räthen überlegen, ob das Kloſter zu einer Schule oder zu einem Hospitale verwendet werden ſollte. Jedoch erſt nach dem Ableben des gedachten Herzogs verwandelte Kurfürſt Friedrich IV. dasſelbe in ein Hospital für Pfründner im Jahre 1598.

Nach Aufhebung dieſes adelichen Frauenkloſters ſind die um ſelbes gelegenen Güter in Beſtand verliehen und in 4 Meierhöfe getheilt worden.

Incipit legenda seu vita S. levitae Eberhardi famuli Dei.

Notissimum est, in terris et hoc mundo semper quovis tempore fuisse sanctos et virtute praeditos viros, qui tabernaculum Dei, hoc est, sanctam Christi ecclesiam ornaverunt

(1) Widder, Beſchreibung der Kurpfalz, 3ter Theil, Seite 478, und Friedrich Back, das Kloſter Ravengirsburg und ſeine Umgebungen, II. Band, Seite 27, 194, ſowie Metropolis ecclesiae Trev., tom. I. pag. 576—596. Kloſter Marienberg zu Boppard, aus welchem einige Kloſterfrauen nach Kumbd überſiedelten.

Digitized by

catholicae fidei sanctitate et operibus bonis, quique ornaverunt etiam templum gratiae Dei varijs et diversis modis: alii sapientia, alii doctrina sancta, alii confessione probae vitae, alii martyriis magnis et stupendis, alii rigore poenitentiae, et asperitate vitae; ita decoravere templum adjuvante Deo, qui in nobis operatur et perficit omnia opera bona.

Cum ergo nos simus in fine ultimo mortis Jesu Christi Domini nostri, hoc est in fine transeuntis mundi, hunc necessarium est maxime ut quaeramus an in fimbria istius vestis invenire possimus auream taeniam, quae tangat quidem terram sed a terra non maculetur. Hanc equidem invenimus, virum probum et sanctum, dignum cujus jugem memoriam habeamus, quia nomen ejus est benedictum in aeternum. Eberhardus is appellatur, S. Dei confessor, et famulus Domini nostri Jesu Christi. Nunc equidem raptus est e terris, et consortio Sanctorum in coelis aggregatus; ut autem ipsius nomen et testimonium in hisce terris non pereat, et similiter vitae ejus virtuosae monumenta oblivioni non tradantur, item ne laus Domini nostri Jesu Christi dilectissimi per ipsum amplificanda non supprimatur vel intereat, volumus ad honorem et gloriam Dei, emendationemque omnium, qui haec scripta legent, nomen ejusdem notificare, et his documentis perpetim confirmare. Quamvis autem non ita vivamus, ut digni simus proponere ad oculos viri tanti exempla, volumus tamen cavere sedulo, ne hujus Sancti vita praeclarissima maneat occulta et abscondita. Enim vero aliqui coeperant viri sancti vitam describere, sed accidit ut pars eorum intermorerentur operi, pars aliis rebus impediretur ab hoc opere perficiendo; cum itaque desiderium cordi meo subortum sit, viri sancti vitam et gesta cognoscendi, quandam adii Sanctam, cui Deus multa revelarat mysteria, et consilium ab illa petii quae ferventer oravit Deum, et haec ei dixit; certo scias Eberhardum in gratia Dei esse illique singulariter placere, omniaque esse verissima quae de ipso dicuntur. Quam ob rem quisquis habet aut legit hoc scriptum, laudet Deum, et imitetur sanctum Dei famulum; cujus vitam et miracula in ipso patrata hic brevibus et simplicibus

Digitized by Google

verbis descripsimus sicut a saecularibus et religiosis personis fide dignis intelleximus. Amen.

VITA S. EBERHARDI.

Cap. 1. Oriundus erat hic vir sanctus Eberhardus ex loco Stalecken perhonesto genere, pater ejus nominabatur Wolffgangus, matris nomen erat Adelheidis, fratres ejus quatuor erant, e quibus duo sunt profecti in Jerusalem nec inde sunt reversi, et S. Eberhardus erat inter eos natu minimus, qui se corpore et anima Deo prorsus obtulit, ideoque hic illi multa mirabilia exhibuit, ipse sacrarum virginum fundavit claustrum in Comeda, ibidemque mansit in Dei servitio usque ad finem vitae. Tertius frater ejus appellatus Nortpricht, relictis uxore ac prolibus fiebat conversus in eodem monasterio, ubi vixit vitam sanctam, mortuus eodem anno quo haec scribebantur. Frater quartus vocabatur Errich, manens saecularis, ita tamen ut filiam natu maximam in eodem claustro ad famulandum Domino Deo consecraverit. Altera filiarum appellabatur Adelheidis et alia Margaretha, ambae in eodem claustro Dei famulae, et hoc proveniebat a gratia quam in suis fratribus videbant. Adelheidis fuit ibidem multo tempore abbatissa. Hinc advertite et considerate puram sanctamque progeniem unde tot sanctae animae Deo sunt oblatae et consecratae. Habuit quoque fratrem nomine Sifert (Sibertum) qui conjugem quoque suam nomine Elisabetham reliquit, expeditius Deo famulaturus. De hac aliisque postea agemus, has vero personas tam distincte ac proprie nominavimus, ut constet unde cognoverimus omnia hic perscripta.

Cap. 2. Eodem tempore, quo S. Eberhardus nascebatur, datus est nutrici lactandus; in domum hujus mulieris veniebat quidam ex Palatini comitis servitio, nomine Sibertus. Accidit vero, ut in hac domo dormiret cum eadem muliere peccando, et brevi post manifestabatur utero gravido, hoc ipsum per Dei gratiam revelantem Eberhardo puerulo patefiebat, quia exinde nolebat amplius impudicae mulieris ubera sugere, et ita mansit

Digitized by Google

incibatus tres hebdomadas, corpore tamen vegeto et perfecto sanus. Puer itaque datus alteri est nutrici, cujus lac aliaque edulia prompte sumpsit: datus est postea mulieri priori ad probandam melius rei veritatem, sed hic ut prius horrebat ubera sugere, illamque fugitabat. Quare coacti sunt alteri cuidam commendare, ubi puer ita proficiebat et crescebat, ut articulate posset et loqui. Accidit autem quodam tempore, ut idem Sibertus, de quo diximus, ad puerum Eberhardum veniret, rogans, an ipsum amaret etiam? Respondit ille puer: non; et quaerebat, quam ob rem? tunc loquebatur sanctus puer, quia mihi quodam tempore cibum et nutritionem meam subtraxisti! erat enim puer repletus et circumdatus gratia divinae suavitatis.

Cap. 3. Contigit deinde ut eques quidam moreretur et portaretur Pingiam ad sancti Ruperti claustrum pro sepultura. Hic eques filiolum habebat praesentem, sanctus Eberhardus etiam erat praesens, adeoque duo pueri colludebant. Equitis vero filius dicebat: virgines illae erant pulchrae et bene cantabant. Subjungit sanctus Eberhardus: non; meae virgines sunt pulchriores; illae namque sunt grisiae et albae; sed hae omnes sunt nigrae. Haec erat mirabilis prophetia hujus pueri postea bene adimpleta.

Cap. 4. Aliquando puer S. Eberhardus, cum aliis pueris colludebat, leporino, ut vocant, lusu: S. Eberhardus debebat esse lepus, et praecurrebat aliis pueris insequentibus; ibi Eberhardus in cursu vehementi cadebat, ita, ut anima caderet, audit tandem vocem dicentem, Eberharde mi, faciam tecum sicut feci cum Ezechiele ad fluvium Chobar, quod verbum puer nunquam audierat, et cum puer ad se rediret, ivit ad prudentem virum, a quo intellexit, quid significaret verbum Chobar.

Cap. 5. Cum adhuc puer in puerilibus annis degeret, voluit quodam die missam audire, ibi vidit supra altare D. virginem cum puero in sinu, viditque Deiparam sibi annuentem, ut accederet. Mirabatur autem hoc aspiciens, et astanti loquebatur. Deus vide ecce est in altari, ecce! non, dicebat

Digitized by Google

alter, ego nihil video praeter sacerdotem, qui canit missam. Tacuit S. puer plenus solatio, et mox vovit D. Virgini suam virginitatem, et quod omnibus vitae suae diebus in ejus servitio perseveraturus esset. Deinde quodam tempore quadragesime veniebat Eberhardus ad sacerdotem missam cantantem, et cum ille sacerdos jam nunc sacram vellet hostiam sumere, videbatur Eberhardo carnem vere ac sanguinem sumere, cumque haec matri suae diceret, jussit illa tacere, nec ulli dicere. Postridie vero S. Eberhardus venit ad illum sacerdotem, et distincte vidit illum in calicem vinum et aquam fundentem, hostiam insuper imponentem, et licet ipso sacerdote non advertente, carnem vere ac sanguinem sumentem. Alio postea tempore stabat Eberhardus ad altare sub missa, et videbat sibi videre agnellum in calice, qui crucem habebat inter cornua. Alio tempore venit ad alium dominum sacerdotem oraturus dum missa cantaretur, et, quamvis duo muri inter ipsum et sacerdotem intermedii essent, videbat nihilominus in spiritu omnia quae fiebant in altari: tantumque lumen et claritas illi apparebat, ut murum non adverteret nec videret, volebatque currere ad ecclesiam et impingebat in murum, nam prae claritate murum distinguere non poterat.

Cap. 6. Subinde cum Henricus dux Saxoniae terris suis exul privaretur, venit Eberhardus ad suum Palatinum, qui commendavit illi filium ejus veluti paedagogo et magistro, venit ergo ex Stalecken Heidelbergam cum prolibus, satagens inter alia S. Scripturam discere, quod ipsius pater nullo modo permittebat, quare ivit quodam die in sylvam seu nemus Heidelbergae vicinum, fecit ibidem altare, quo solus assidue veniebat et orabat. Videns quoque crucifixi picturam in suo psalterio, exscindebat et imponebat altariolo suo, lapidem quoque aliquem parumper excavavit, et infudit aquam, et quo potuit modo ceram et ellychnium convolvebat, ut nocturnum arderet lumen ante altariolum, quotiescunque vespere et mane illuc venit, reperit semper ardere, et ita reliquendo vas invertit, adeoque celavit, ut nemo adverteret. Tunc coepit adversarius daemon adisse solitudinem illam optimi adolescentis,

Digitized by Google

et quodam tempore veniens ad illum, valde minaciter vetuit, ne ad altariolum istud nunquam se conferret. Sed Eberhardus his neutiquam territus, ea spernebat. Apparuit deinde in caprae similitudine, cumque postea vellet altariolum accedere, posuit malignus in via nobilem quendam militem, qui in aliquo torneamento occisus et mortuus fuerat, atque ita voluit illum turbare et impedire in bono opere, sed haec omnia Eberhardus flocci faciebat. Accidit quoque, ut Eberhardus Rheno secundo navi descenderet cum aliis, ibi vidit in aquis prope navim lucem magnam, et in ea crucifixum; mox se inclinavit, et susceptum tulit secum domum, posuitque in altari, dein venit Wormatiam, et in S. Nicolai sacello fudit preces. Exiturus autem, vidit imaginem Domini nostri in capella, inclinare ad ipsum caput.

Cap. 7. Aliquando S. Eberhardo novem ligaturae pellium apportabantur, ut eas a creta purgaret, cucurrit ergo cum pellibus ad suum altariolum, ibidemque pro more oravit, ibi quaerebatur; nemine ubi degeret sciente. Viderat quidem eum famulus aliquis, sciens ibi esse altariolum, sed quid ibi ageretur, nesciebat. Quaesivit igitur Eberhardum in sylva, adeoque prope accedebat, ut eum quodam modo tangeret, neque tamen aspiceret, tanto magis ipsum inclamans. Sed Eberhardus nihil respondit: famulus ergo rediit domum, asserens se non reperisse. Sequebatur mox eum e vestigio Eberhardus, et pelles domum reportabat. Tunc rogavit Eberhardus famulum, cur tam alte clamasset in sylva, cum proximus illi fuisset? Respondit servus, se neutiquam vidisse, tunc subticuit Eberhardus, notavitque id a Dei gratia accidisse.

Cap. 8. Utebatur B. Eberhardus sodali quopiam, eoque ad literarum studio incumbente valde familiariter, cuique formam insidiarum machinatur daemon mentitus, Eberhardum consuetis vacantem precibus accessit: quem Eberhardus socium suum ratus volens accedere daemon retrocessit. In reditu postea domum, sodalem suum obvium habuit, et ab eo interrogatus unde nam veniret? ex eo quam primum cacodaemonis illusiones in sylva sibi visas animadvertit. Nec destitit ulterius

Digitized by Google

insidiari, quippe servi cujusdam nobilis domini, Dude nuncupati, cadaver multis foedissimisque scelerum, ebrietatis, libidinisque sordibus in vita pollutum, jamque a diabolo permittente Deo sic scelerum vindice de noctu in somno strangulatum, in via B. Eberhardo necessario transeunda objecit. Exterritus quidem, attamen quam primum jussit ad eum locum, unde detulerat, reportari. Haec diabolum loquentem audiit frater ejus Wolffgangus, qui tamen, quid et cui loqueretur non intellexit, donec sequenti die servum undique investigatum, B. Eberhardus in stabulo mortuum strangulatumque inveniri diceret: aperta igitur janua, verissima esse quae dixerat, repererunt. Haec autem agens vitam degebat in aula, ut ante diximus, Palatini comitis, qui pro laudabili sua piaque consuetudine quot singulis profanis diebus septem pauperes in aula sua, festis autem duodecim ad mensam adhibebat, quorum tractandorum cura B. Eberhardo nostro demandata fuerat, qui optimas mundissimasque mappas sui comitis, et linteamina suis his pauperibus proposuerat, ita ut nonnunquam sua in mensa comiti prosternenda absurda foedataque invenirentur, quemadmodum etiam optima vina cibosque delicatiores suis his pauperibus liberaliter tractandis apponebat. Unde quidem hac de causa repraehensus, meruit tamen inter hosce suos hospites unum aliquando in fronte cruce consignatum, nihilque appositorum sibi ciborum sumentem, sed omnia inter suos socios distribuentem, suae mensae convivam adhibere et tractare.

Haec et similia persaepe in B. Eberhardo nostro divina gratia operabatur, omniaque ipse ab eis ignota, sibique soli conscia subticebat. Quare a duobus in somno sibi apparentibus viris, quorum alter D. Petrus videbatur, sic increpatus est: cur Eberharde non pergis tam sedulo tuae dominae inservire? Respondente Eberhardo, quotidie se in ejus servitia incumbere, S. Petrus subjecit: terrenae cuipiam dominae non, coelesti illi quam nuper suo in sinu parvulo in altari conspexisti; et cui virginitatem tuam, omniaque totius vitae obsequia devovisti in servum; ab hac mihi mandatum est, tui in se amoris tesseram

Digitized by Google

sibi adferrem, mandaremque ne quae tibi ostendere signa dignatus est Dominus, amplius celares. Haec inter verba. D. Petrus B. Eberhardo crines aliquot de vertice cum cute simul forfice abrasos detraxit, ita ut evigilans seseque vulneratum advertens, et capiti manus admovens, totas easdem sanguinolentas detraheret, ideo accenso lumine abscissam verticis cuticulam inquirit, sed nusquam tamen reperit.

Sic porro effervescente magis divini amoris flamma in corde B. Eberhardi nostri, desiderabat in monasterio cisterciensis ordinis Schonavia dicto creatori suo sese mancipare, ideoque apud abbatem Godefridem pro sui in fratrem admissione ferventer instabat, sed ab eo tum propter juvenilem aetatem, tunc propter parentum suique domini repugnantiam, tum etiam quod, licet admitteretur, ob inscitiam tamen et ignorantiam inter laicos censeri opporteret, rejectus est. Malebat autem B. Eberhardus in priori suo vitae statu perseverare, quam non quotidie divino ad aram sacrificio assistere, ideoque domum reversus est; invitis autem amicis suis haec omnia attentabat. Rediit tamen aliquo post tempore, et sese ut promissum antea fuerat, laicum indui ibidem petiit, quod etiam ei negatum iterum fuit. Jam vero hic, qua ratione omnibus itineris sui viarumque insciis, domum venire posset haesitanti, adfuit de coelis angelus, qui eum ita trans Rhenum in patriam aulam, 15 a saepedicto monasterio milliaribus dissitam, traduxit, ut vidente nemine aut conscio eum ibidem sisteret. Hinc autem quam primum Heidelbergam ad sacratas ibidem Deo virgines discedens, eodem adhuc meridie eo advenit. Et referente ipso quomodo ejusdem diei mane in patriis adhuc arcibus fuisset, indeque exiens huc circa meridiem pervenisset, ipse admiratione et inusitatae rei novitate stupefactae, fidem ei ante habere renuerunt, quam post dies aliquot superveniens nuntius, suo testimonio rei veritatem confirmasset, licet in veritatis testimonium chyrothecas a fratre suo domi sibi datas hisce virginibus comportaret. Elapso aliquo temporis intervallo jam tertiam tentat suum in monasterium ingressum et admissionem. Tum vero in monasterio, ne a proposito suo

Digitized by Google

per amicos impediretur, clanculum delituit, donec innotescente ejus in aula parentibus absentia scirentque eum Heidelbergae commorari, ideoque nullo alio ibidem in loco, quam in monasterio delitescere suspicarentur, Henricus frater ejus ad monasterium, eum inde abducturus festinaret, repertumque magna cum indignatione domum reduceret. Atque ita ab hac mente sua et proposito, non absque singulari tamen divinae gratiae providentia meliora deinceps in eo operatura praepeditus est.

Cap. 9. Aliquando adversa corporis laborans valetudine ad mortem usque decumbebat, quare coram parentibus suis ultimo sui filii adhuc vivi conspectu fruituris, ac comite Palatino ejusmodi verba, quae christianae catholicaeque fidei contraria esse videbantur, emisit, ut eisdem animi eorum moerore affecti plane consternarentur. Raptus enim in extasin, cum Divis apostolorum principibus Petro et Paulo, in spiritu sibi apparentibus, colloquebatur, suisque ex infirmitatis vehementia viribus destitutus, una solummodo ex omnibus membris lingua ad officium suum exequendum potentior. Idcirco existimantes, eum a malo daemone intemperiis agi, sacro exorcismo eundem depellere per sacerdotem voluerunt; qui haec sequentia verba venturae post se posteritati consecraturus transcripsit: Mane post actum divinum missae sacrificium, cum libro et stola veni, ab Eberhardo malos genios, quibus obsessus erat, sacris abacturus, et inveni eum clausis oculis membrorum omnium usus, praeterquam linguae, impotentem, qua multa et admiranda proloquebatur, posteaquam vero me mentemque meam cognovisset, haec ad me dixit: Quis qui seu religiosus, seu saecularis non credit verissima esse quae proloquor, sacratissimum Dominici corporis sacramentum huc afferat, priusquam hoc fidemque meam de nato passoque Christo negavero, in mille me potius partes disscindi permittam, vitamque meam et sanguinem profundam. Haec ego ab ipso utpote non fanatica aut contremnenda audiens abivi. Quis unquam hominem semivivum et omni prorsus membrorum sensu usuque carentem, et sola vix lingua promptum, talia loquentem audivit?

Digitized by Google

Eo subinde ex infirmitatis vehementia redigebatur, ut omnibus sensibus orbus poene delirare et jamjamque animam efflare videretur, quia tamen elinguis non reddebatur, non mortuum, sed in ectasin raptum fuisse manifestum erat, et in eam aliquando tam profunde demergebatur, ut stylis, acubus, aliisque instrumentis confossus nihil persentiret, quin etiam ictu gladii in pedem suum mutilandum intentato, eundem non retraxit et quanquam tamen corpori parcendum esse, subjiceret. Multo tandem post tempore pristinae restitutus sanitati, divinitus ei in spiritu revelatum est, ut in pagum quendam concederet, ubi hostiam quandam consecratam a muribus e sacrario delatam inquireret, inventamque debita cum reverentia susceptam honori ac loco suo restitueret, et hic idem locus erat, in quo deinde monasterium instruxit. Hujus vero monasterii primam exstructionem successumque sic percipitote. Pervenerat ad eum locum, ibidemque triduo ob victus ciborumque penuriam jejuniis perseverans, coepit animo quidem contristari, sed delapsa e coelis voce consolatus, mox fractum animum et corpus erexit, quae largam vesperi eidem coenam promittebat, nam superveniens illico pauper, et hordeaceum sub brachio panem gestans, eundem in altari sacelli cujusdam reposuit, et ante illud fusis precibus nimis diu haesitans movit Eberhardo nostro ex diuturna nimis famis tolerantia et expectatione taedium faucisque saturandae desiderium, nimis quam longe morabatur. Discessit denique homo ille, et Eberhardus panem abripuit, quem tamen tam durum postea grossumque reperit, ut eum non stomachus quidem, sed dentes manducare fastidirent: quare apud fontem panem illum aquis irrigatum lixatumque haud facile tandem, nec sine multis ad Deum gemitibus in stomachum trajecit. Haeccine, inquiens, est larga coena mihi praeparata? hiccine cibus ille splendidus, quem mihi pollicitus est, quare etiam coelitus illi promissum pollicitumque est, multa eum deinceps amplius aut victus aut caeterorum necessariorum inopia laboraturum, disponente nimirum ita omnipotentis Dei clementia factum est, ut quibuscunque eidem sua sponte necessario ferentibus et suppeditantibus nulla prorsus

Digitized by Google

eum deinde cibi necessitas premeret. Quemadmodum ex hoc manifesto liquet, quod confrater quidam Joannes ab Eberhardo mensam consternere jussus, nequidquam ciborum apponendorum sibi esse negaret, bono eum esse animo, summamque Dei providentiam, de se satis sollicitam sperare jusserit, fore ut nihil ipsis deesset, uti exitus etiam approbavit. Dum persaepe ad inanes vacuasque mensas acumbentibus a divina tamen largitate ac munificentia affatim suppeditatum est.

Cap. 10. Sed nunc ad monasterii fundationem progressumque revertamur, qua igitur divina bonitas providentia sacram sibi aedem per Eberhardum construi ab aeterno praeordinarat, eadem etiam hunc servum suum in ejusdem operis consummatione perfectioneque prosecuta est; ostendendo nimirum ei et locum et formam personasque huic operi suo perficiendo praedestinatas, ac primum quidem nobilem quendam equestris dignitatis virum *Henricum de Dick* accedens, divinam illi de construendo in haereditariis suis fundis monasterio voluntatem manifestavit, qui humaniter eum excipiens ultro libenterque voluntati ejus petitionemque consensit, et Eberhardum per universam suae ditionis regionem, quo locum a Deo habitationi suae electum inquireret, circumduxit. Multis igitur agris, bonis, multisque pagis perlustratis transitisque ad hunc tandem, ubi nunc monasterium constructum videtur, locum pervenere, ubi Eberhardus: hic, inquit, locus est quem mihi Deus ostendere, sibique *eligere dignatus est:* quod si fuisset, Eberhardus doctus est, potuisset dicere verba (1), quae Deus per os prophetae est locutus, dicentis: Haec est *civitas Sion,* hic volo *habitare in saecula saeculorum, quia hanc elegi civitatem,* et omnes habitantes in ea non indigebunt pane; et hoc quoque verum est, cum omnes, in claustro illo commorantes voluntariae quidem essent pauperes, sed per Dei gratiam semper panis et aquae satis habuere, prout praedixerat hic Dei servus, et S. Eberhardus a supradicto nobili equite Henrico, ejusque legitima conjuge, ac filio Alexandro in per-

(1) Psalm. 131, v. 13 &c.

Digitized by Google

petuum illo donatus est loco, ut ibi aedificare posset, omnique pro libitu constituere, quae Deo ejusque dilectissimae divinissimaeque matri placerent. Ivi ergo cum venia Moguntini praepositi metropolitani ad claustrum quoddam trans Rhenum *Altenhusen* dictum, orans, ut inde sibi darentur aliquot personae pro bonis sui monasterii auspiciis, cumque id ei negaretur, respondit, hoc tamen prorsus fieri opportere, nam sibi a Deo ita mandatum esse, rediitque ad eundem D. praepositum, a quo impetravit quoque mandatum dicens, sibi ita a Deo mandatum, ut illas et illas peteret, nomina singularum exprimendo, inter quas una erat dicta Bertha, prudens et honesta ejusdem claustri celleraria, sed hanc reliquae peraegre dimiserunt, quia erat fidelis procuratrix. Adduxerunt vero alias aliasque virgines, dicendo hanc esse Bertham, tunc vere prophetabat Eberhardus quasi novus Samuel; ordine inquiens nullam ex illis esse Bertham quam peteret, denique vidit stantem inter reliquas, edixitque, haec est, quam mihi Deus promisit, tum datae sunt ei ternae virgines, et antedicta Bertha fiebat domina et mater novi claustri. Nemo autem miretur hujus monasterii fundationem commissam huic adolescenti vix 18 annorum, quia non ex seipso solus faciebat, sed ope Dei adjuvantis famulum suum Eberhardum, ut omnes ejus terrae inquilini hanc in eo gratiam agnoscerent, et spiritum ejus esse ex Deo, alias ipsi non credidissent, sciebant animam ejus placere Deo, et posse hominem annis juvenem esse virtutibus senem, cujus vita est immaculata (Sap. 4.): *Senectus enim venerabilis est non diuturna neque annorum numero computata &c.*

Cap. 11. Alio postea tempore vis et potentia Dei erat cum ipso, et vidit in spiritu arborem magnam et mirandam, cujus radix seu truncus erat magnus, amplus et mirus, rami quoque illius et folia redundabant racemis uvarum, arbor vero erat ascensu difficilis, et in supremo vertice stabat flos pulcherrimus, et clarissimus, ut tota prorsus ex hac luce illustraretur; sub hac arbore cubabat animal nigrum et horrificum ore patulo. Tunc ibi S. Eberhardo apparebant omnes personae

Digitized by Google

ibidem Deo serviturae, festinantes ad arborem, et conantes ascendere. Angelus vero Domini habens in manu flagellum, urgebat Eberhardum ante omnes primum ascendere in arborem, alii volebant etiam ascendere, sed eorum multi decidentes et delapsi cadebant in fauces animantis nigri, quod eorum aliquos degluciebat totos, alii ex ore illo se proripientes, incipiebant denuo arborem illam conscendere. Jam audite quid haec omnia significent, prout sancto Eberhardo manifestavit Deus; arbor significat ordinis sancti disciplinam, truncus vel radix Christum, qui est fundamentum omnis boni operis, cui superaedificatus est cherubin, hoc est animae fideles ad aeterna coeli gaudia praeordinatae, flos autem pulcherrimus Mariam denotat, quae auxilio gratiae suae illuminavit omnes animas et castam piamque in hoc monasterio vitam. Alio tempore videbatur S. Eberhardo representare personas Deo in hoc claustro famulaturas, et apparebant cum cucullis ad instar monachorum, ideoque statutum est, ut virgines claustri talem gestarent habitum et ibidem famulentur Deo juxta regulam *ordinis cisterciensis*, vigetque sanctitas et justitia animarum, simulque corporis necessaria. Hoc modo fundatum est id claustrum a viro tali, quem Deus et homines amabant, utpote plenum spiritu Sancto.

Cap. 12. Quodam die, cum caneretur nona, moniales juniores stabant in choro, et ex qua, nescio, causa, immemores servitii Dei, non cantabant. Superveniens Eberhardus eas reprehendit desuper et licet ibi non fuisset, sciebat tamen quaenam essent maxime culpabiles, et monebat, ut coram oculis Dei omnipotentis majorem tenerent modestiam. Hoc idem faciebat assidue patribus monachis Eberhardus, cum domi esset, ac ipsi essent in sylva, tempus inutiliter transigentes. Cum subinde sanctimoniales consistentes loquerentur de SS. martyribus, quid passi essent in scholis et synagoga, videbat S. Eberhardus in medio earum SS. angelos maximo gaudio, sed cum inciperent de aliis materiis colloqui, videbat Eberhardus malos inter eos daemones versari et bonos discedere, cumque haec aspiceret, surgebat in vehementia spiritus, et currere ad

Digitized by Google

angelos volebat, tunc raptus in ectasin a terra elevabatur ad unius vix ulnae altitudinem, impos suimet, nil omnino sentiens, donec procideret humi, tunc enim cognoscebat, quid sibi accidisset.

Comes Palatinus habebat in suo famulitio domicellam aliquam nomine Juttam quae cogitabat fieri religiosa, consilium petens a S. Eberhardo, qui respondit illi: domicella Jutta, oculi tui apparent ita pleni prolibus, ut hoc fieri non possit, et hoc verificatum fuit, desiderium illud remisit in ipsa, adeoque elanguit et nubens viro, multas ex eo utriusque sexus proles susceperit. Miles seu eques quidam dictus Ludovicus habebat conjugem dictam Rilindem, seque parabat ad iter transmarinum Hierosolymas, dicens illi (cum ferret uterum) quodsi prolem pareret masculam, curaret filium illum sacris literis et bibliis erudiri, si autem esset filia, collocaret illam in aliquo monasterio. His dictis iter aggressus est, mox uxor gravida ivit ad fratrem Eberhardum, rogans, an gereret filium vel filiam? respondit ille: erit filia et vocabitur Volerada, imo erit religiosa in *Comede*. Nascitur itaque et nominatur in baptismo Volerada, uti S. Eberhardus praedixerat, agebatur vero ab amicis et consanguineis, ut collocaretur in *Altenhausen*, Deus tamen ita ordinavit, ut investiretur in *Comede*, ibique fieret magistra infirmariae. Eberhardus igitur verum praedixerat supramemoratae mulieri, quodsi contingeret ipsam gravidam portare filiolum, ad eas venturam angustias et necessitates, ut omnes ejus amici magnopere gravati premerentur, et hoc ipsum accidit hac ratione, quia maritus trans mare moriebatur, ideoque nubebat alteri, ex quo suscepit multas deinde filias, tandem in puerperio filii, prolis ultimae, angustias extremas passa statim emortua est. Ita Eberhardus multa praedicebat futura, non solum de hominibus, sed etiam de brutis, ovibus, quo colore gignenda forent. Erat quodam tempore mulier in Bacherach praetorissa, diu improlis: tandem vero gravida, interrogabatur S. Eberhardus quid in utero ferret, cui respondit, tu portas unum Hartmannum, qui fiet parochus in Bacherach; quod audiens ille, qui tunc erat

Digitized by Google

parochus Bacheracensis, valde mirabatur. Aderat quoque Eberhardi quaedam affinis dicta Elisabeth, etiam et ipsa gravida, cui quaerenti quid portaret, respondit quoque, ipsam gestare filiolum absque nomine et ita contigerunt omnia sicut praedixerat, prioris quidem mulieris filius est nominatus Hartmannus, factus postea parochus in Bacherach, alterius vero filiolus puerperio mox est immortuus, absque baptismo, adeoque mansit sine nomine. Supradicta Elisabeth habebat patrem, qui fratris filiam volebat facere nonnam, suadebatur illi, ut in claustro S. Eberhardi collocaret, sed putabat inconveniens, quia nondum erat fundatum, adeoque anceps et dubium erat, sed confirmatum est bene in perpetuum; tunc illi dixit S. Eberhardus: non arridet tibi, ut patris filia veniat ad hoc monasterium nunc cito, et carissimam tuam filiam, et filii tui filiam et nepotes tuae quatuor in hoc claustro ponentur, et ita prorsus evenit; praedixit quoque cuidam equiti nomine Eustachio a transmarinis regionibus feliciter rediturum.

Cap. 13. Nunc dicere volumus reperiri scriptum in libro S. Hildegardis, fuisse in *Schonau* monasterio, novitium nomine Joseph, sub habitu virili vere foeminam, *Jam audite:* ita loquebatur magister novitiorum, sub finem anni probationis. Tunc advenit f. Eberhardus, volens interesse professioni, nam erat quoque adjutor meae conversionis, meque juvit, ut in Schonau venirem eodem die, quo mihi meoque socio, mecum ibi suscipiendo erat danda benedictio a Godefrido, tunc temporis ibidem abbate; tunc erat praesens Eberhardus, cumque benedictio legeretur usque ad illa verba: *Exuat te Dominus veterem hominem,* tunc raptus in spiritu fuit instar vere mortui. Abbas cum fratribus astantibus valde mirabatur, quid et qualiter id illi accidisset, manseruntque ad horas tres in choro abbas et conventus expectantes finem et eventum rei. Coepit tandem loqui ad instar angeli verba supra hominem rara, nondum tamen potens corpore, sed ore tantum et lingua sui compos, faciebat sermonem hoc initio: *Angelus locutus est in altitudine laetitiae.* Tunc quoque locutus est distinctis hisce verbis: Eberhardus orat pro iis omnibus, qui tunc erant

Digitized by Google

in monasterio Schonau, et pro statu fratrum, omniumque in mundo hominum, pro liberatione item terrae sanctae, quomodo Saraceni permissu Dei illam subjugarent. Dicebat insuper ex monasterio Schonau novum aliud claustrum fundandum, quae omnia uti dixerat eveniebant, nam post biennium erigebatur monasterium nomine Bebinchausen e claustro *Schonau* fundatum, cum deinde taceret Eberhardus.

Nondum plura Germanicis reperi

Jac. Kritzrad S. J. mp.

Coloniae 20. Martii 1661.

NB. Si ammanuensis scripsit, Cap. nescio quo, monasterium Altenhausen; constet R. V. Germanum esse Thuringum conversum: voluit superiore Ger. lingua scribere cum bene sic sonet *Altenhausen*, sed re vera est *Aulenhausen* vel Allenhausen, ab alno arbore ut Comeda.

CAPUT VIII.

PARTHENONES DUO PRAEMONSTRATENSIUM EXTINCTI.

Dorlariensis.

Monasterium hoc, ut supra memini, sub Nassaviorum de Saraeponte, haud procul Wezflariam, ad Loganam, loco peramoeno collocatum, juxta Caesarium (lib. 7. hist. memorab. de S. Maria, c. 5.), originem suam refert ad Christi annum 1220, quando tenuis sortis conditionisque sacerdos, nobilis apud Ubios canonici, D. Hardenradii vicarius, singulari erga Dei matrem pietate inflammatus, sub illius auspiciis ac nomine virgines illic instituti praemonstratensis coepit colligere, Rommersdorffiano archimandritae et Trev. archiepiscopo parituras, quas sub

Digitized by Google

magistrarum ordinatione ad annum 1432 floruisse, necrologium Rommersdorffianum testari potest, ubi septenae suis expressae nominibus censentur.

Verum, ut fit temporum lapsu, disciplina rebus ac numero interlabente, praepositurae ejusdem ordinis virorum, Basileensi concilio probante, locus cessit, tresque eisdem pastoratus, in Dorlar, Waldgirmes et Atzbach administrandi fruendique concessi sunt, Saraepontano comite Philippo, et Trevirorum archiepiscopo probantibus confirmantibusque institutam commutationem; adeoque sub praepositi Rommersdorffiani gubernatione res illic immotae usque ad Christi annum 1545 constitere, quando violenter incumbens haeresis jura ecclesiae pristina possessionesque subvertit aut occupavit, donec Ferdinandus II. Romanorum imperator, anno salutis 1624 edicto restitutionis vulgato, repetendi occasionem fecit. Hoc enim fretus generalis praemonstratensium, D. Franciscus de Longo Prato, Rommersdorffianum praesulem, Limburgum, veteris possessionis sedem occupare jussit, quam et ipse caesario notario Heinsbergero praesente, adiit, satrapa comitis, Jona Pomer, adversa licet protestatione obnitente. Verum armis haud multo post Suecorum extirbati rursum excidere, neque enim tam facile haeresis rapta deserit, quam occupavit.

Thronense monasterium.

Sanctimonialium nobilium asceterium et Thronae quondam fuit, quod in Cattimelibocensium nemoroso loco, sub Dieze comitatu, trans Rhenum nobis, situm est, et licet ratione parochiae Werheimensis ad Moguntinam dioecesin spectet, Trevirorum tamen archiepiscopo, ex terrae inter ipsum Nassovicumque communione subjicitur. Sed haeresi in has se partes insinuante libertate et nuptiarum illecebris cum suo priore captae virgines lutheranismo initiatae sunt. Gerlaco etiam Vrant, scriba, velificante, Werheimensis praedicans ecclesiasticis istic officiis perfunctus est. Tam facile omnis, quae cupiditatibus nostris favet, disciplina admittitur. — Masenii

Digitized by Google

verba, mendosa tamen sunt. De Thronensi monasterio, ordinis cisterciensis, alibi erit disserendum. Sequuntur Besselich et Brunenberg, a Masenio praetermissi coetus virginum ordinis S^{ti} Norberti.

Besselich.

Abbatia sanctimonialium ordinis S^{ti} Norberti in centena Dernensi et parochia Dietkirchensi a quodam sacerdote Godefrido 1149 constructa, ab Hillino archiepiscopo Trevirensi 1163 abbati in Arnstein subjicitur, comite Cattimelibocensi, ejusdem advocato, hanc advocatiam in manus abbatis plenissime resignantem. Quam subjectionem iterato diplomate Joannes archiepiscopus Trev. aõ 1198 ratihabuit. Possessiones coenobii expost tum comites Decienses, tum dynastae Runkeliani largis donationibus cumularunt. Sic et aõ 1331 Gerlacus dynasta Limburgensis moniales a teloniis Limburgi exsolvendis exemptas declaravit. Nec non aõ 1334 Henricus comes Nassovicus ecclesiae in Besselich remisit illud, quod annue ratione juris advocatiae in Hattenhausen, Selebach et Hoven solvendum erat.

Primitivae disciplinae vigor in hoc virgineo coetu eo usque perseveravit, dum domini territoriales, Nassovicus et Runkelianus, intrusis praedicantibus omne catholicae religionis exercitium inhiberent: abinde sensim coepit emarcescere. Inter aliquas autem sorores fidei constantia maxime praevaluit soror exauthorati Hermanni de Weda archiepiscopi Coloniensis; quae oblatas saepe a praedicante nuptias spernens, aõ 1598 in claustro catholica obiit. Reditus coenobii desolati primo ad usum communis hospitalis impendebantur; dein pontificia, atque caesarea autoritate, de agnatorum Nassovicorum consensu, ac stipulatione etiam publicis tabulis firmata, princeps Joannes Ludovicus Nassovico Hadamariensis anno 1630 in residentiae PP. societatis Jesu, quae Hadamariae pedem fixerat, dotem convertit. Extincta vero hac societate, princeps Nassovicus aeque ac Runkelianus comes coram camera imperiali

Digitized by Google

de bonis et reditibus concertarunt, deductionibus pro et contra divulgatis. Parthenonis reditus hodie gymnasio Hadamariensi affecti sunt.

Brunenberg.

Abbatia vestalium ordinis praemonstratensis a vico Brunenberg, Bremberg, et communi loquendi modo Bremrich, nomen tenuit. Sita erat in pago Einriche et districtu capituli ruralis in Marienfels, ejusque ecclesia parochiali Kirdorf, sub obedientia abbatis in Arnstein, cui abbatiae suam originem in acceptis referre debuit. Heymo miles de Luremburg sanctimonialibus et conventui in Brunenberg legavit 12 marcas denariorum, »ut exinde comparetur marca annui census, ut peragant anniversarium meum, parentum meorum, et omnium heredum meorum. Item equum meum griseum et arma mea conventui in Brunenberg communiter, ut exinde comparentur reditus ad refectorium earum in anniversario meo. Item ordino, ut bona in Kezzilnhayn de quibus altare in Brunenberg dotavi, heredes mei recipiant, et recompensacionem faciant ad dictum altare de prompta pecunia equivalente.« Tempore reformationis reditus hospitali in Gronau attribuiti fuerunt, postea sub rubrica coenobii in Bramberg, hospitalis in Hayna aerarium augebant. Alheidis de Kiederich, magistra in Brunenberg, obiit aõ 1507, Lysa de Heppenberg, in ejus locum electa, confirmata est 10. septembris 1507. Heinricus praepositus de Bruniburc occ. aõ 1225.

CAPUT IX.

Abbatiae et monasteria ordinis cisterciensis; qua origine et ordine ad Treviros translata.

Cisterciensis familia agro Belnensi, regione Burgundiae, haud procul Cabilone, exorta traditur. Roberto Molismensi

Digitized by Google

abbate anno Christi 1098 praeeunte. Etenim laxioris hic ad salutem viae dispendia fugitans, gratiorem secessum in omni egestate quaesivit. Itaque locum cepit, quem uliginosum atque palustrem nomen a cisternis antiquitus tulisse fama est. Hic Hugonis, Lingonum, et Walteri, Cabilonensis antistitum ope ac consilio, tum Odonis, Burgundiae ducis, confirmatus autoritate, ad coenobium incohandum aggressus, et magnitudine exempli, et S. Bernardi eum in locum praecipue adventu eos brevi progressus habuit, ut in omnem se partem hujus religionis fructus longe lateque diffunderet, pontificum diplomatibus firmata, eximiisque privilegiis ornata.

Citius autem in Treviros ea pervenit, quod Adelbero archiepiscopus D. Bernardo antea familiaris singularique studio ac voluntate conjunctus esset. Quam ob rem conditae Claraevallis anno 19. circa annum Christi 1133, Treverim inde accersiti venere cistercienses; qui primo quidem in urbem recepti, juxta sacellum tunc quidem S. Sulpitio, nunc S. Bernardo sacrum, consederunt: verum haud multo post aõ 1134 solitudinis consuetae amore, secundo flumine Winterbachium Erangio, haud procul oppido ad alterum ab urbe lapidem excessere, ubi triennali hospitio morati, B. Helia, priore, morte amisso, angustias atque incommoda loci Himmerodiensi sylva commutarunt, et hic quatuor ab urbe metropolitana aquilonem versus digressi leucis coenobium inter nemora montesque clausum auspicati sunt, quod idcirco Claustri nomine a D. Bernardo donatum est. Quam ab eo tempore sylvarum recessum solitudinemque multorum qua genere, qua sanctitate vitae illustrium virorum incolatu nobilitarunt, ductis hinc etiam in loca alia religiosorum hominum coloniis, ut suis in annalium decursu temporibus signatum reperies, in quibus licet argumento brevi fundationis Himmerodianae literas expositas a Browero reperias: tamen operae pretium facturus videor, si easdem prout ab Alberone archiepiscopo datae, et mihi benevole a perquam venerabili eruditoque domino Joanne Post, Wambachio, hujus loci temporisque abbate, cum aliis scriptis, communicatae sunt, hic reponam. His igitur verbis loquuntur.

Digitized by Google

Literae fundationis claustri sive monasterii Himmerodensis.

»In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Adel-
»bero Dei gratia Trevirorum archiepiscopus et apostolicae
»sedis legatus praesentibus et futuris Christi fidelibus pacem
»et gaudium in Domino. Quoniam multis intervenientibus
»causis a suscepti regiminis cura interdum necessitate magis,
»quam voluntate ad exteriora rapimur, visum est nobis ex-
»pedire ad salutem (quandoquidem pro nostris nostrorumque
»excessibus sibi non sufficimus veniam apud Deum impetrare)
»illorum quaerere adjutorium, qui exuti a saeculi sarcina
»liberas Deo offerre possunt orationes. Inspirante igitur divina
»clementia, quae justa desideria movet et promovet et ad
»effectum producit, assumpsimus in Claravalle monasticae pro-
»fessionis viros religiosos secundum regulam B. Benedicti
»viventes in opus salutis et gratiae; annuente hoc nostro
»venerabili et amantissimo patre Bernardo, ejusdem loci ab-
»bate, eosque locavimus in quodam solitario loco episcopii
»nostri, qui Winterbach dicitur, infra terminum curtis nostrae
»Cordulae, quem de manu Lodewici camerarii nostri idcirco
»redemimus, ut circumjacens terra absoluta, tam culta, quam
»inculta, praeter dominicalem, illorum usibus in perpetuum
»deserviret. Eam vero quae absoluta non fuerit, et a man-
»sionariis possedebatur, aequa commutatione acquisitam, libera
»traditione illis delegavimus. Verum quoniam ad habitandum
»illic fratribus locus ille angustus erat, et minus secretus,
»transtulimus illos in vastiorem solitudinem cujusdam silvae,
»quae Kolewald dicitur, super fluvium Salmanam, cujus par-
»tem, quae de possessione B. Petri fuit, de manu laica eman-
»cipatam libere cum omni integritate perpetuo illis possidendam
»concessimus; et locum illum Claustrum appellari fecimus, ob
»amorem et reverentiam praedicti venerabilis abbatis, qui hoc
»ei vocabulum imposuit. Praeterea quasdam vineas nostrae
»potestatis in Withlica foris villam, in loco qui dicitur Vallis,
»sitas, eadem libertate, qua caetera, etiam et has contulimus,

Digitized by Google

»remittentes eis tributum et decimam, quae ante, dum a rusti-
»cis colebantur, nobis et antecessoribus nostris exinde per-
»solvebantur. Has supra nominatas possessiones, videlicet
»Winterbach, Haymerode, cum omnibus suis usuariis silvis,
»pratis et pascuis, et vineas designatas in Withlica, aliasque
»vineas in Chemetam cum domo et appendentibus sibi rebus,
»a Crathone presbytero nostro studio acquisitas, nec non
»vineas, quas habent in Couerna et in Ludendestorff, et ea quae
»possident in Dernaue, sed et omnia quaecunque illis, sive a
»nobis, sive ab aliis per nostram manum collata sunt, vel adhuc
»habituri sunt, sive ex liberalitate regum, pontificum, nobilium
»oblatione caeterorumque fidelium, sive emptione aut justa
»acquisitione, in terris, silvis, pratis, vineis, aquis, aquarum
»decursibus, dilecto fratri nostro Ranulfo, ejusdem loci primo
»abbati, ejusdemque successoribus regulariter substituendis, et
»fratribus illic Deo servientibus perpetuo tenenda concedimus,
»et ut inviolabiliter et inconcusse teneant, praesentis paginae
»scripto, et sigilli nostri impressione sub testimonio Christi
»confirmamus. Quod si quis temeraria praesumptione hanc
»nostrae confirmationis paginam infringere tentaverit, et in
»aliquo praedictos pauperes Christi conturbare, sciat se omni-
»potentis Dei iram incurrere, et nostrae maledictionis sententiae
»in perpetuum, nisi resipiscat, subjacere. Testes affuerunt
»Warnerus, Monasteriensis episcopus, Wybaldus Stabulensis
»abbas, Godefridus Prumiensis abbas, Constantinus Aureae
»Vallis abbas, Richardus Sprinckersbacensis abbas, Rainaldus
»abbas S. Martini, Godefridus majoris S. Petri ecclesiae prae-
»positus, Folmarus decanus, Arnulphus archidiaconus, Wernerus
»magister scholarum, Ebrardus cantor, Ludulphus, Anselmus,
»Hermannus, canonici. Laici vero, nobiles: Gerlachus de
»Isemburch et Raimbaldus frater ejus, Eberardus de Petra,
»Fredelo de Bruch. Ministeriales: Ludovicus camerarius,
»Engelbertus et frater ejus Fredericus, Erfo. Acta sunt haec
»Treviris anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo
»tricesimo octavo. Pontificatus domini Alberonis Trevirorum
»archiepiscopi et apostolicae sedis legati VII. Conradi Roma-

Digitized by Google

»norum regis secundi, primo, indictione XV. epacta XVIII. »concurrente VI.«

Archiepiscopalibus his literis firmandis, stabiliendisque, accedunt complures pontificiae, atque imprimis Innocentii II. et Eugenii III. quibus ad hunc pristinae religionis etiamnum studiosa perque longam abbatum posterorumque recta ductaque seriem Deo protegente nititur. Quorum ad nos usque propagatam in scriptis memoriam huic loco debere videmur; quanquam ex florentissima veterum ascetarum familia Witliacum nobis 1568 incendium, quod literaria documenta cum actis praesulum carpsit, gloriosam multorum recordationem subtraxerit.

CAPUT X.

Claustri sive Himmerodensis abbatiae et coenobii abbates.

1. Ranulphus (Randolphus) a D. Bernardo ad omnem pietatem formatus, dignus eidem, qua spiritualium, qua temporalium rerum experientia visus est, qui prima coenobiticae hoc loco vitae fundamenta auspicato jaceret. Trevirim igitur cum aliquot sociorum, quorum novem censentur nomina, Randulphus, abbas, Helias, prior, Winterbachii mortuus, Pontius, Joannes, Oliverus, Walterus, Durstinus, Salomon, David, nobilis Florentinus, qui aõ 1179 vita decessit, ex Claravalle appulsus, et sua et comitum virtute Adelberonis animum tenuit. Vidimus in aedis metropolitanae rituali Ranulphi chirographum, quo more rituque veterum, archiepiscopo fidem et obsequium addicit, seque Ranulphum, de Claustro abbatem, nuncupat. Adelberoni et Hillino, ejusdem successori, imprimis charus, multis pro ecclesia Trevirensi laboribus egregie perfunctus est, dum anno regiminis sui 33, salutis nostrae 1167, vita ac munere abeunti, succederet,

Digitized by Google

2. Giselbertus, sub cujus non disparis magistri disciplina, monastica Himmerodensium vita suo jam flore enitescere, atque exempli pulchritudine alluere praecipuam undique nobilitatem coepit; adeo ut deliciis innutriti, vitam olim lautam, agresti victus cultusque asperitate laeti permutarent. Quod hospes de saeculo nonnunquam curiosius arbitratus, cum interrogasset, qui perferre possent, delicati quondam juvenes hanc victus parsimoniam? respondisse pro illis Giselbertum ferunt: tribus piperis granis ad famem obsonandam cibos condivi; longis vigiliis, cum antelucana psalmodia, manuum laboribus (ἐργόχειρα, opera manuum, veteres ascetae dixerunt) et desperatione ferculi lautioris. Hanc Caesarius eidem laudem addit: quod miseratione paternoque erga delinquentes animo benigne sit usus, datisque errori agnoscendo indiciis, dilata maluerit poena, quam praepropere inflicta corrigere, cum saluberrima caeteroquin medicina, nisi opportune detur, pro salute nonnunquam perniciem afferat.

Sub hoc praesule celebrata Davidis, religiosissimi ascetae, vita domesticis juxta externisque admirationi exemploque fuit; cujus futura sanctitas D. Bernardo, priusquam ex Claravalle Hemmerodium destinaret praemonstrata coelitus innotuit, qua velut astrum quoddam hanc solitudinem illustravit. Precum illius vim in obduratis etiam animis flectendis, mirandorum operatricem manum, cum in annalibus suis descriptam temporibus reperias, hic non lubet adumbrare. Quadraginta ille et sex annis pie multorumque solatio utiliter Himmerodii transactis, denique inter mortales, in aeternum victurus, vivere desiit, miraculorum post mortem virtute et memoria sui, inter illius ordinis Sanctos ad 11. decembris relicta.

Sub eodem Giselberto novella ex hac cisterciensium familia tradux Coloniensem in archidioecesin, ex Treverica fuit translata, Philippo Agrippinensium archiepiscopo, ad hoc religiosorum seminarium suo in agro plantandum, Heisterbachium evocante. Quibus dux authorque primus Hermannus, ex canonico Bonnensi cisterciensis monachus, praefectus, auspiciis primo quidem, ut fit, durioribus, at felicioribus denique successibus,

Digitized by Google

opportunum coenobitis locum occupavit. Rem gestam praeter Caesarium, Lacense diarium Browero, mihi etiam transmissa ex membranis Heisterbacensibus manuscripta, distinctius suppeditavit. Unde haec depromo. Aõ 1188 Claustro Hermannus cum humili religiosorum coetu egressus, 16. aprilis, undecimo ejusdem mensis calendarum, monti Stromberg dicto (qui Draconis ex vicinia montem respicit, caeteris in Septemontio eminentiorem), propior factus, habitationis novae diversorium exploravit; qua in profectione illud admiratione dignum in Rheno navigantibus spectaculum objectum est. Circulum in coelo lucidissimum conspexere septenpari luce irradios soles complectentem, sive futuros ejus loci incolas sanctitate vitae illustrandos, et super totidem montes coelo inserendos, sive totidem Spiritus sancti dona religiosae illic vitae hominibus coelitus affundenda. Hoc velut siderio aenigmate, superi designarint, certe ejusdem apparitionis sacramentum Caesarius non praeteriit; et B. Hermanno hujus navigationis decursus olim in somno a coelitibus geniis adumbratus est, quando ex Himmerodensis ecclesiae choro, accepta de praesidis manu cruce, eo ritu, quo in nova religiosorum colonia ducenda extradi solet, se per flumen navigio transferri alio conspicatus est. Quod somnium nunc sua veritate impleri deprehendit, cum in portum Heisterbacensis orae se Hemmerodio emissum felicissime appulsum conspexit. Nec mora Strombergium montem suae sociorumque habitationi designatum conscendit, in cujus superficie sacellum Dei Genitrici et apostolorum principi, D. Petro (unde hodiedum monti nomen haeret) consecratum reperiunt, quod a Waltero quodam excitatum, canonicis regularibus S. Augustini cum aliquot aedificiis cesserat; sed hominum temporumque, atque ut credibile frigoris quoque sterilitatisque desertum injuria, Himmerodensibus cum adjunctis agris adjudicatum est, apostolicisque privilegiis roboratum. Verum eundem sibi montem iniquiorem experti, in vallem Heisterbacensem longe opportuniorem deflexere, ubi muris clausi magnificam assumptae coelorum reginae ecclesiam cum coenobio incolunt.

Digitized by Google

Suo interea apud Himmerodios Giselbertus praeclare functus munere, non sine miraculorum gloria, virtutis studium consectatus est, praesertim in mortuo sui ordinis converso, quem Mengosum nuncupant, ad vitam revocato celebratus, quem cum morti propiorem exspectare jussisset, dum ab oratione rediret, mortuum ad praestandam obedientiam revocavit, et adfuit, quanquam coelo jam receptus fuisset, donec exposita coelesti suorum gloria copiam abbas redeundi fecisset. Tam potens apud Deum obedientia est. Tandem et abbas, meritorum plenus, anno coepti regiminis 22. reparatae salutis 1189 officio, vitaque decessit.

3. Hermannus igitur Heisterbacensi coenobii auspicando magis concessus, quam traditus, ab Himmerodensibus ad praefecturam monasterii sui revocatus est. Verum ne Heisterbaci res feliciter ceptae sine perito ductore fluctuarent, Gerardum istuc destinavit, ex Agrippinensi ad Gradus Mariae canonici memorabili conversione ad monasticen traductum. Atque Hermannus haud multo post, qua valebat apud proceres aestimatione ac gratia, a Joanne Trevirorum archiepiscopo Romam, pallii a Clemente pontifice impetrandi causa destinatus, hoc non solum pro electore est consecutus, sed eximiis suum quoque monasterium privilegiis ab apostolica sede impetratis, exornavit. Ad extremum propagandae latius religionis cisterciensium studiosus, duobus Heisterbachio monachis assumptis in parochia trans Rhenum Kirchbergensi, quae Trevericae dioecesis est, castra haec sacra meditatus, aliquamdiu substitit, donec, ut alibi videbimus, sub Deiparae auspiciis ad Coloniense territorium Mariaestadium transmigrarunt, Hermanno tamen in prima statione, ubi per octennium haeserat, anno salutis 1223 naturae concedente. Pietatis in illo eximiae, atque intimae devotionis non obscura sunt argumenta, quod inter sacrificantis manus modo columba, modo pulcherrimus infans, simplicitatis atque innocentiae symbolum, versari sit visus; quin etiam, dum chorum conversorum, ut vocant, fratrum, circumiret, sub hymno Ambrosiano columba miro splendore circumfusa, euntis in caput descendere, eique immorari conspecta est, donec Her-

Digitized by Google

mannus angelico cantico evangelium subjungeret, sub quo columba sacram crucem Himmerodii etiamnum superstitem, et altari S. Joannis Baptistae imminentem, conscendit.

4. Theodoricus I. Hermanni transmigrantis successor vix paucis huic loco mensibus praefectus, coelum praemature spectavit, nam eodem anno 1215, quo Theodorici archiepiscopi donationis tabulae Hermanno concessae sunt,

5. Eustachius (Eustacius, Justatius) Claustri abbas subscripsisse legitur: quem nonnulli perperam Hermanno praeponunt. Hic vero, sive pietatem, sive regularem observantiam seu doctrinam spectes, cum primis sui seculi conferendus est. Ad cisterciensem hic synodum in Galliam saepius a Caesario profectus memoratur. Cujus familiae institutum hoc tempore a clarissimis tum genere, tum virtute viris mirifice floruit, quorum infra singulari capite memoria nobis recolenda est: fuitque id Quidanae, sanctae eo tempore in Gallia virgini, coelitus per scalam, illi, quam patriarcha Jacob in somno conspexit, haud absimilem, demonstratum, qua et divini numinis singularem erga hunc ordinem favorem, ejusque sub felici gubernatione progressum, haud obscure didicit manifestavitque. Eustachius vero Heisterbacensis monasterii cum aliquibus id temporis abbatibus visitationem adiit, reperitque salubri etiamnum primaevi fervoris instituto naviter insistere. Henrico abbati spiritualium illic rerum magistro, ut et laus hujus loci praecipua divino oraculo Christinae ad S. Walburgem, haud procul Colonia, sanctimoniali fuit demonstrata, Deiparaeque Virginis praesens ac singulare huic coenobio patrocinium declaratum, uti Caesarius ea aetate adolescens, a se observatum, traditumque deinde literis posteritati testatus est. Porro Eustachius, cum sub Henrico VII. imperatore anno salutis 1219 a sede apostolica immunitatum sui ordinis, cum amplissimis privilegiis, confirmationem obtinuisset, solitariae vitae amore dignitati renuntiasse creditur; defuitque ab hoc tempore scriptor, aut certe luculentior scribendi materies, qua praesulum ad nos per unam alteramve aetatem subsequentium res gestae per-

Digitized by Google

venirent. Quare ex ordinis calendario sterili nominum recensitione hos decurrere necesse est.

6. Henricus igitur de Andernaco, post Eustachium primus censetur, quamvis nonnulli eum, quem nos praemisimus, Theodoricum subjiciant.

7. Conradus, ejus nominis primus, consequitur.

8. Hermannus II. decanus olim collegii apostolorum Coloniae, quem Caesarius aeque literis, ac prudentiae laude floruisse meminit.

9. Henricus II. quondam, ut sentiunt, miles, abbasque olim S. Trudonis, ordinis S. Benedicti, demum institutum hoc complexus; quanquam ad Henricum III. id nonnulli referant.

10. Joannes de Colonia, quondam abbas loci S. Mariae.

11. Henricus III. Qui omnes, ab Eustachio, vix annis 30 praefuere.

12. Conradus II. quem anno salutis 1253 statuunt vixisse.

13. Alardus haud multo post, 1255, eidem succenturiatur.

14. Theodoricus II. quondam abbas ad S. Martyres Treviris, ex benedictina item ad hanc cisterciensem familiam transgressus. Occ. 1260.

15. Paynius, sive Paymundus (Raimundus) sub hoc anno 1273 praefuit.

16. Nicolaus, quondam abbas in Victoria, post quem,

17. Joannes II. abbas creatus, aõ 1278.

18. Richardus, stirpe Manderscheidiorum illustri, ex abbate Treverico ad S. Martyres huc per coeleste visum avocatus.

19. Joannes III. de Colonia.

20. Hermannus III. stirpis quoque Manderscheidiae, aõ 1285.

21. Joannes IV. de Treviri, qui 1300 abbatis honore inclaruit, praefuitque jam anno Christi 1297, quando Bohemundi archiepiscopi literis, concordiam inter Treysenses et Cardonensem ecclesiam restaurantibus, subscripsit.

Digitized by Google

22. Henricus IV. comitis Luzelburgici filius, 1310.

23. Theodoricus III. quondam dominus in Broich, aõ 1318.

24. Henricus V. ex comitibus Virnenburgi, 1321.

25. Joannes V. olim Malburgi dominus, aõ 1327, brevis vitae.

26. Henricus VI. olim Randecki dominus, aõ 1329.

27. Balduinus de Witlichio, aõ 1336.

28. Henricus VII. de Colonia, ex monasterio Vallis Dei huc accersitus abbas. Occ. 1341, nec non 1350.

29. Waltherus Witlichius, qui Coloniae diem suum obiit aõ 1366.

30. Matthias Sirckius abbatis fastigium tenuit, et in Claraevallis monasterio vi morbi occupatus decessit aõ 1370.

31. Tilmannus Witlichius, cujus probati mores, et cum pietate vita honeste transacta, anno salutis 1394 humatus in ambitu.

32. Gobelinus de Reinbach, vita excessit 1415.

33. Petrus I. Andernacus, obiit Bonnae, sepultus Heisterbachii 1423.

34. Arnoldus Urdingensis, moritur 1451.

35. Joannes VI. de S. Vito oeconomiam parum caute rexisse traditur; defunctus 1452, in curte Rohr, sepultus Confluentiae, in monasterio virginum antiquae Lehrae.

36. Petrus II. Witlichius, priscae severitatis et virtutis aemulator, sed senio morbisque infractior, decessit 1469, in curte Siebenborn. Illius hoc extat epitaphium:

MC quaterno X. septem sed minus anno
Roditur hoc busto Petrus, qui schemate justo
Zelator fratrum, rexit hoc provide claustrum.

37. Joannes VII. de S. Vito, omnibus ingenii ornamentis abundans, utriusque divini juxta ac humani juris consultus, Joanni archiepiscopo Trevirensi eo nomine gratus et familiaris, morte decessit 1498.

38. Jacobus ab Hillesheim, spectatae prudentiae vir, cum monasterium novis beneficiis ornasset, consiliisque dandis

Digitized by Google

favorem, gratiamque praesulum haud mediocrem collegisset, denique apud Confluentes in praedio Rohr suspicione veneni occubuit, sepulturam adeptus aõ 1510 in Lehra, Confluentino virginum coenobio, quod aetate proxima patribus S. J. pro collegio gymnasioque attributum est, virginibus in subjectam Confluentibus insulam migrantibus.

39. Wilhelmus ab Hillesheim a Leone X. jus mitrae atque infulae usurpandae consecutus, apud Richardum archiepiscopum morum comitate gratiosus, obiit aõ 1542.

40. Matthias II. ab Ediger. Vir moribus antiquis, et oeconomiae apprime peritus, mortalitatis leges explevit 19. septembris 1558.

41. Joannes VIII. de Briedel, 27. octobris 1558 electus, literarum ac scientiae, non in se magis, quam aliis, vir cupidissimus, unde Petrum Binsfeldium, observata latentis ingenii indole, a stabulo et domesticis Himmerodii servitiis ad Musarum castra traduxit. Is quantam inde scientiae et rerum divinarum cognitionem Romae in collegio Germanico adeptus sit, ejus in suffraganeatu archiepiscopali officium laudatissime gestum, et quae extant librorum monumenta posteritati loquuntur. Ceterum Bredelius morum gravitate non sine sale urbanitatis et facundiae spectatus, dies suos 25. junii 1571 cum honore conclusit.

42. Georgius a Cellis, electus 30. julii 1571, decennio suis praefuit, et Jacobi archiepiscopi gratia affluens, in Septifontii praedio vivere desiit 13. februarii 1581.

43. Joannes IX. Roderus, de S. Vito oriundus, postquam rei domesticae procurationem annis prope quindecim gnaviter et fructuose sustinuisset, die 7. martii 1581 creatus abbas (jur. 16. martii a. e.) aequabili regimen tenore, neque expers bellicorum motuum et insidiarum tenuit. Doctrinae, pietatisque cultores in pretio habuit, et eruditos doctosque viros coenobitarum ingeniis formandis liberaliter aluit. Quo e numero Fischerus fuit, Harlemii in Batavia natus, et Lovanii excultus, theologiae studiis Treviri suprema laurea donatus, cui post

Digitized by Google

alios, qui operam suam in commune contulerunt, Caesarii illustrium miraculorum libros emendatiores debemus, quos meritorum gratia Joanni abbati inscripsit; tum Matthias Agricius, Witlichius, quem Georgius abbas Colonia evocarat, graece latineque doctus sacerdos, et poeticae, jurisque facultate variisque lucubrationibus famam inter eruditos jam olim adeptus. Talibus igitur alumnis Joannes fretus, post impensam religioni juxta eruditionique promovendae laudabilem curam, Andernaci, cum praedonum insidias vitabundus declinat, in casses mortis incidit, 30. octobris 1596, sui apud multos desiderio relicto. Sepultus infra Confluentes est in Insula, monasterio virginum celebrata.

44. Ambrosius Schneidt, Cochemii apud Mosellam natus, Embricae apud Clivos literis humanioribus eruditus, denique adscriptus cisterciensium familiae, ab horum generale, Edmundo de Cruce, Himmerodiensium inspectore, Treviris Pontis Leonini virginibus praefectus est, atque collegarum suffragiis in Joannis defuncti locum accersitus (electus fuit 26. novembris 1596); morum suavitate ac modestia notus gratusque pluribus, rara etiam calligraphiae peritia Lothario archiepiscopo acceptus. Jam septuagenarius hydropis vitio confectus, 29. decembris 1612 exspiravit.

45. Matthias Nisaeus a Reill anno subsequente, 12. martii 1613, communi monasticorum suffragatione in locum cooptatus, non impari religiosae sinceritatis laude suo munere perfunctus est. Hoc etiam vigilantis in re oeconomica industriae fuit, quod non exiguo debitorum onere sublevatum monasterium, 4. maji 1631 vita abiens posteris reliquerit.

46. Matthias Glabus, Lesuranus, successor, electus 12. junii 1631, hoc emolumento fretus, ut erat praeclaris animi ingeniique dotibus praeditus, ad novae claustralis structurae erectionem, antiquis jam muris in casum inclinatis, mentem consiliaque adhibuit, nec leviter a fundamentis provexit, sed iniqua temporum bellorumque in patria penitus exhausta grassantium vis, jam laboribus et senio fessum oppressit, adeo, ut

Digitized by Google

abbatiali quoque dignitate resignata, anno salutis 1648 die 15. februarii quietem ante fata ambierit.

47. Fridericus Brandt a Kylburg, per electionem fratrum de die 19. septembris 1648 (juravit 12. octobris a. e.) depositum a Matthia onus suscepit, atque in vita integerrima, frequenti mortis memoria, calamitatum sibi suisque incumbentium sensum mitigavit. Quanquam in crescentibus paulatim malis, septennio regiminis vix expleto, terroribus repente incussis praematura morte patiendi vivendique finem 27. junii 1654 fecerit.

48. Joannes Post a Wampach, Ostlandicus, nominis illius decimus, conspirantibus suorum votis surrogatus (electus fuit 20. julii 1654); muneris hactenus suscepti partes sedulo tuetur, alteramque monasterio alam, quae hospitibus excipiendis serviat, egregio opere adjecit. — Obiit 3. januarii 1685.

49. Robertus Bootz, ex Grosslittig, electus 30. januarii 1685, vitam clausit 20. maji 1730. *Series abbatum Himmerodensium*, opus insigne, necnon satis amplum, ab illo conscriptum, extat in scriniis curiosorum.

50. Ferdinandus Pesgen, obiit 29. septembris 1731.

51. Leopoldus Camp, ex curte Rohr, electus 6. novembris 1731, 25. augusti 1750 defunctus.

52. Anselmus Rascop, sive Roscop, ex Grosslittig, elect. 25. octobris 1750, juravit 6. maji 1751, obiitque 16. decembris 1751.

53. Robertus Hentges, ex Driesch, electus 25. januarii 1752, obiit 27. octobris 1782.

54. Anselmus de Pidoll, electus 8. decembris 1782, obiit 3. maji 1827, aetatis 92.

Digitized by Google

CAPUT XI.

De nobilissimis hujus Claustri alumnis, ex omni pene cum generis, tum dignitatis ordine, idque primis post D. Bernardum temporibus delectis.

Cum florem olim nobilitatis Trevericae, vicinarumque ditionum hoc monasterium complexum sit, quo, tanquam ad gymnasium virtutis sapientiaeque divinae, et sanctioris vitae disciplinam capessendam, lectissimi quique heroes affluerent, qui admiranda rerum, morum, at gratissima superis metamorphosi, contempto natalium splendore, spretaque mundi libertate, in deliciis habuere, hic inter ultima claustri servitia sub aliorum imperio, inter sordes, et abjectissima humanae sortis munia vivere, curare pecus, sues pascere et (quorum delicatus animus mentionem refugit) in agris stabulisque ultima ministeria obire. Quod multi ex prima etiam comitum baronumque nobilitate, literis minus culti, adeoque sacris exclusi ordinibus, conversorum, qui ad servitia monasteriorum deputantur, gradu acquiescerent, contenti, quacunque in sorte Deo se suamque vitam, generosa animi demissione, consecrare. Exhibitum nostra memoria cornu est, quo ex Manderscheidiorum stirpe nonnemo, ut subulcus, ad porcorum gregem in pascua evocandum, usus est. Cujus gloriosior in omne aevum laus et recordatio futura est, quam venatoriae tubae, qua majores, aut posteri ipsius silvarum divortia oberrarunt, quo oblectarent feris agitandis animum. Utque non unius tantum, alteriusve illustrioris familiae hic nepotes in humillimis divinae majestatis servitiis versatos intelligas, aliquem tibi illorum catalogum ex archivio hujus Claustri suppeditabo, quorum alios in conversorum, alios in monachorum officiis Deo, in vita hac solitaria sancte famulatos esse accepimus. Ex his sunt:

Digitized by Google

Comites.

Wilhelmus, comes Virneburgi, conversus.
Hermannus, comes Virneburgi, conversus.
Henricus, comes Virneburgi, conversus.
Arnoldus, comes de Spanheim, monachus.
Joannes, comes de Spanheim, monachus.
Everhardus, comes de Hohenberg, monachus.
Joannes, comes de Heinsberg, monachus.
Theodoricus et Godofridus de Manderscheid, conversi.
Theodoricus, comes de Wieda, monachus.

Domini ac barones.

Arnoldus, dominus de Broich, monachus.
Arnoldus, dominus de Brunshorn, conversus.
Cono, dominus de Meisenburg, monachus.
Eckbertus, dominus de Brunshorn, monachus.
Godefridus, miles et dominus de Hourne, conversus.
Godefridus, miles et dominus de Monreal, conversus.
Georgius, dominus de Hackenbroich, conversus.
Henricus, dominus de Wamfre, monachus.
Hermannus, dominus de Duna, monachus.
Joannes, dominus de Ouren, monachus.
Joannes, dominus de Esch, monachus.
Lambertus, miles et dominus de Duna, conversus.
Ludovicus, dominus de Celobrio, monachus.
Nicolaus, dominus de Ouren, conversus.
Odo, dominus de Esch, conversus.
Theodoricus, dominus de Alfflo, conversus.
Theodoricus, dominus de Duna, monachus.
Walterus, dominus de Novocastro in Arduenna, monachus.
Walterus, dominus de Mailburg, conversus.
Wilhelmus, miles et dominus de Hourne, conversus.

Nobiles, sive ordinis equestris milites.

Absolon miles de Treviri, conversus.
Aemilius miles de Crove, monachus.

Digitized by Google

Arnoldus miles de Cröve, monachus.
Arnoldus miles de Remagen, monachus.
Arnoldus miles de Rode, conversus.
Arnoldus miles de Geilenkirchen, conversus.
Bernardus miles de Lutzenburg, conversus.
Bermigius miles N. archiepiscoporum Adelberonis, Hillini et Arnoldi dispensator, conversus.
Conradus miles de Unckel, conversus.
Carolus miles de Wetzweiler, conversus.
Comannus miles de Ludesdorff, conversus.
Constantinus miles de Colonia, monachus.
Diethardus miles de Arlo, conversus.
Embrico miles de Dille, monachus.
Emicho miles de Kempenich, monachus.
Freinardus miles de Aldendorff, monachus.
Gerardus et Boëmundus milites de Bottebach, conversi.
Gerlacus miles de Reinbach, conversus.
Godefridus miles de Manderscheid, conversus.
Godefridus miles de Bullingen, conversus.
Henricus miles de Socteren, monachus.
Henricus miles de Diedenhoven, conversus.
Henricus, Bruno et Sifridus, milites de Are, conversi.
Henricus miles de Remagen, monachus.
Henricus miles de Thyne, monachus.
Hermannus miles de Rottenheim, conversus.
Hermannus miles de Helffenstein, monachus.
Hermannus miles de Lessenich, conversus.
Jacobus miles de Lutzenburg, monachus.
Joannes miles de Trawerbach, conversus.
Ludovicus miles de Andernach, conversus.
Ludovicus miles de Büsse, conversus.
Martinus miles de Lutzenburg, conversus.
Oliverius miles de Confluentia, monachus.
Paynus miles de Gelsdorff, conversus.
Petrus miles de Ponte apud Treviros, monachus.
Philippus miles de Remagen, monachus.

Digitized by Google

Quimon miles de Hammerstein, conversus.
Reinerus miles de Hantweiler, conversus.
Theodoricus miles de Enckerich, conversus.
Theodoricus miles de Massolter, conversus.
Theodoricus miles de Meinscheid, monachus.
Theodoricus miles de Musce, monachus.
Tilmannus miles de Parva Confluentia, conversus.
Tilmannus miles de Rode, conversus.
Ulricus miles de Winterich, conversus.
Verwinus miles de Colonia, monachus.
Walramus et Heribrandus m. de Ponte Trevirorum, monachi.
Wenceslaus miles de Luxenburg, conversus.
Wernerus miles de Cröve, conversus.
Wilhelmus miles de Lahnstein, monachus.

En plerosque antiquae nobilitatis viros, qui relictis aulis, caulam saepe ovium et cellam religiosam habitare inglorii maluerunt, ideoque plerisque consanguineorum sine nomine et recordatione mortuis, hodiedum in gloriosa orbis hujus memoria supersunt, longe gloriosiores in coelo. Tanta nobilium humilitas, ante elationem tenebrae religiosae solitudinis, ante lucem aularum magis illustrant. Multi aliorum ubi vivi morari constanter non poterant, istic saltem mortui quiescere adamarunt, tum ut piorum suffragiis a morte levarentur, tum ut iis, quibus in resurrectione cuperent esse socii, ossa ac cineres sociarent. Possidet igitur ecclesia Claustri cor et exta Adelberonis fundatoris sui ab aõ 1152, velut argumentum amoris, quo D. Bernardum, ejusque sobolem in vita est complexus. Custodit Joannem, qui aõ 1213, et Boëmundum, qui aõ 1289 e vivis abiit, Trevirorum quoque archiepiscopos. Invenies eodem loci monumenta comitis Joannis de Spanheim cum uxore Mechtilde, filia ducis Bavariae, aliorumque utriusque sexus comitum de Spanheim, Manderscheida, Vianden, Salm, Kerpen, Marcha, Duna, Malberg, Dollendorff, Wartenstein, Burscheid, Pallant, Hunoldstein, Broich, Esch, Ulmen, quorum plerorumque istic emmeri videbis insignia. Hexastichon, quod Spanheimensi familiae positum, hic quoque locum meretur:

Digitized by Google

O quam te memorem, stirps o celeberrima dignam
Laudibus! o veteris nobile stemma domus!
Ornat ut astrophylax coelum splendoribus, ornas
Sic templum bustis Hemmerodense tuis.
Te Deus illustrem servet, servetque nepotes,
Ut videat placitos, tempora laeta, dies.

Reperitur ibidem sepulchrum R. P. Joannis Gibboni, societatis Jesu, natione Angli, professoris SS. theologiae in academia Trevirensi, qui huc divertens obiit. Epitaphium XI. distichorum haud procul ab ara S. Bernardi in tabella cum eximia ejus laude suspensum est. Alterius, Isfridi militis de Münstermeinfeldio, epitaphium, quia brevius in porticu exhibetur, lubet adscribere:

Vivatis in Christo, qui saxo clauditur isto.

Matthiae quoque Agricii, Witlichiani, poëtae laureati, istic ão 1613 defuncti, taphographicum, quod in perystilio ab ipso vivente conditum exhibetur, apponam:

Witlichium genuit, Musarum sacra dederunt
Coelesti vates, notus ut arte forem.
Auroram cecini, et volucres et cetera rerum.
Sunt speculum mentis, teste Platone, libri.
Terra meis membris, requiem dent manibus astra:
Ultima si teneam praemia, Christe, sat est.

Et suas hic quoque Manderscheidiorum monumentis epigraphas datas leges, in quibus parum elegantiae, nisi fortassis hunc versum de Theodorico, anno salutis 1469 defuncto ames:

Concordes pavit, discordes pace beavit.

Ceterum hac familia insigni numero ad Himmerodiensem disciplinam transeuntium, tum comitum hoc loco egregiae virtutis memoria sepultorum monasterium illud exornarunt, quorum genealogiam a domini Bernardi temporibus ad hanc nostram aetatem breviter Nicolaus Heesius, Himmerodensis professus, in suo *manipulo* exhibet, ad quem cupidum lectorem remitto.

Ad haec cum Arnoldus, Trevirorum archiepiscopus, nominis hujus primus, frequenter animi a secularibus curis avocandi

Digitized by Google

gratia ad Claustrum se transferret, disciplinae gravitate, et loci ad pietatem opportunitate invitatus, suo exemplo aliis quoque idem praestandi, author fuit. Unde factum, ut dissolutis clericorum moribus locus hic ad emendationem opportunus visus fuerit, quocirca a canonicis metropolitanis communi, ut consensu, ita et sumptibus paratus ibidem juxta loca regularia peccantium castigationis carcer laudabili instituto fuit, eoque nomine suus abbati in metropolitano collegio constitit honos, argumento non levi, pluribus hanc correctionem ad emendatiorem vitam profuisse.

CAPUT XII.

Dignitatibus et praelaturis amore Dei renuntiantes.

Subjiciam his nonnullos, qui post canonicatus, praelaturas, dignitatesque alias in seculo comparatas, his abdicatis ad religiosam simplicitatem solitudinemque abire maluerunt, quam in liberiore vita de salute periclitari. Quod tanto gloriosius autumo, quanto difficilius est honores vivendo sectari, quam occupare nobilitatem nascendo. In his sese offerunt:

Arnoldus, quondam canonicus S. Severini Coloniae, qui huc a lautiore vita ad religiosam severitatem transiens, brevi egregia vitae sanctitate fulsit.

Conradus, praepositus S. Florini Confluentiae.

Fridericus, quondam prior in Langheim.

Gerardus, olim canonicus S. Mariae ad gradus Coloniae, postea eo vitae morumque exemplo luxit, ut secundus abbas in Heisterbach praefectus sit.

Godefridus, olim decanus S. Paulini Treviris.

Henricus, quondam abbas S. Trudonis.

Henricus, decanus Stabulensis.

Digitized by Google

Henricus, quondam praepositus Bonnensis.

Joannes, quondam abbas Loci S. Mariae.

Meinardus, quondam canonicus S. Castoris in Confluentia, doctor.

Meinerus, quondam canonicus S. Simeonis Treviris; vir apprime sanctus.

Nicolaus, quondam decanus S. Simeonis Treviris, ac doctor.

Nicolaus, quondam in Victoria abbas.

Otto, quondam canonicus Cardonensis ac doctor.

Petrus, quondam canonicus majoris ecclesiae Spirensis.

Richardus, quondam scholasticus majoris ecclesiae Trevirensis.

Richardus et Theodoricus, ambo quondam abbates ad Sanctam Mariam prope Trevirim.

Sifridus, quondam canonicus ad S. Guidonem Spirae, ac doctor.

Theodoricus, decanus S. Florini Confluentiae.

Theodoricus, quondam canonicus Bonnensis ac doctor.

Wernerus, olim praepositus S. Castoris Confluentiae.

Wernerus, quondam canonicus Cardonae, in monastica disciplina ad insignem sanctitatem provectus.

CAPUT XIII.

De insigni multorum Himmerodensium sanctitate.

Nunc ad tertiam classem religiosorum Himmerodensium longe nobilissimam transeamus, quae praecipuum decus a sanctitate vitae rebusque supra naturam gestis mutuata est. Quam tamen nonnisi historice suisque nixam auctoribus proponam, cum Deo actionum nostrarum justo veroque aestimatori, ejusque ecclesiae principibus definitivum omne in hac re judicium deferam.

Digitized by Google

De sanctitate Davidis, Florentini, inter conversos religiosi, huc a S. Bernardo transmissi, alibi, et in annalibus, et paulo ante memoratum est. Huc solum nonnulla vitae spiritualis monita atque axiomata ab illo usurpari solita, tanquam aliquas morum regulas plurium instructioni servituras, transferam.

1. *Ante omnia*, inquit, *primitias cogitationum tuarum et meditationum offer Domino per preces, donec affectum devotionis concipias, et ex hoc toto die ad omne opus divinum alacrior redeas.*

2. *Ante omnia fac in templo ea, quae ad honorem Domini Majestatis pertinent, cogita et angelos psalmodiae assistere.*

3. *Ante omnia confessionem peccatorum frequenta, quia confessio est medicina animae vulneratae.*

4. *Duabus hostiis Deus plurimum delectatur, puritate cordis et devotione animi.*

5. *Homini christiano cuicunque, non addo religioso, obtrectatio fugienda est, quia scindit fraternam charitatem, propter quam Christus de coelo venit stabiliendam, et punitur in utroque saeculo.*

6. *In turba, ubi non tractatur de Deo, nec de aedificatione animae, anima ut navis inter pericula fluctuum vacillat.*

7. *Omnia vitia crescunt, nisi contrariis debilitentur, ut gula jejunio restringitur, humilitate superbia &c. Quod necesse est fieri, nam alias caro spiritum subjugabit.*

8. *Non solum otium fugiendum est, sed nec opera quidem otiosa facienda sunt.*

9. *Malis cogitationibus nostris atque actionibus tanquam instrumentis diabolus ad animam occidendam utitur.*

10. *Semper melius tua patientia erudies alium, quam aliis quibuscunque rationibus.*

11. *Semper est tutius domi latere, quam foris esse, si vis serio Deo mentisque puritati vacare.*

12. *Quidquid domi devotionis colligitur, foris spargitur potius, quam augetur.*

Digitized by Google

Haec quisquis non in solis tabulis, sed cordi inscripta Davidis nostri monita circumfert, vitae religiose transigendae praeclara jacit fundamenta, ut plerosque ex his, quos brevi catalogo dabimus, fecisse compertum est.

CAPUT XIV.

Sanctitate vitae spectabiles, ex ordine sacerdotum.

Multos Himmerodensium religiosorum sanctitate vitae eximios jam ante quadringentos et amplius annos suis in dialogis recensuit Caesarius, quem tamen maturo expendendum judicio censeo, quod nonnulla simplicium hominum relatione nitantur. Caeterum ubi aliorum suffragatione, scriptisve ex archivo monasterii depromptis fulcitur, illic tutius audietur. Conversio et vitae sanctitas multorum explorata est, visiones et spectacula quorundam imaginaria minus habent securitatis. Mihi brevem illorum ex fide suorum authorum indicem confecisse suffecerit. Ocurrit vero in caeteris,

Christianus, sacellanus comitis Lossensis parochiaeque curam sustinens, non sine insigni simplicitatis continentis vitae honore; qui cum singulari D. Virginis affectu teneretur, eam denique se in religioso Himmerodensium coetu sanctius veneraturum credidit; ideoque postquam filium comitis in apri velut daemonis pelle se territantem graviter vulnerasset, desertor aulae ac seculi, in religione hanc coepit impensius colere, egregiis virtutum, atque imprimis pietatis et humilitatis exemplis laudandus. Ceteros religiosorum tanquam angelos Dei occurrentes adeo revereri solitus, ut contracto cum vestibus corpore indignum se diceret, qui viros tam sanctos, gravissimus ipse peccator vel sola veste contingeret. Qua demissione ita Christo Deiparaeque placuit, ut frequentibus eum

Digitized by Google

alloquiis et conversatione dignati sint. *Caesar. lib. 7. dial. c. 16. Menolog. Henriq. 4. febr. Mss. Virorum Illustr. Himmeroden.*

Cuno, ejusdem asceterii religiosus, eam vitae sanctitatem in solitudine est consectatus, ut a morte inter coelestis gloriae consortes illustri splendore comparuerit. *Caesar. lib. 11. c. 3. Henriq. in Menol. 29. junii.*

Daniel, ex monacho Himmerodensi abbas postea Schönaugiensis; de cujus virtutibus *Henriq. l. 2. fasciculi Ordinis Cisterc. dist. 26. c. 41.*

Daniel alter, sacerdos quidem, sed parum eruditus, nisi illa Sanctorum scientia, quae in vitae simplicitate et terrenarum rerum desipientia suaeque carnis odio consistit, quam constanti afflictare jejunio solitus, procul omnibus deliciis habebat, hanc solum voluptatem captans, quam ex oratione et meditatione passionis Dominicae, manantibus ubertim lacrymis hauriebat; quam gratiam apparente per visum Christo et facultatem quidquid vellet, petendi, dante, petiit, obtinuitque. *Caesar. lib. 8. c. 11. Henriques in Menol. 11. augusti.*

Gereon, monachus, apud Philippum Seguinum in catalogo Sanctorum ordinis celebratus; isque est, quem Caesarius, lib. 9. cap. 41, memorat, sub sacro missae officio puerum Jesum, in festo nativitatis, non tamen ut recens natum, sed ut cruore ex vulneribus inflictis manantem intuitum, caeteris ad synaxin accedentibus, non ausum fuisse accedere, ideoque haud multo post a Deipara apparente increpitum, quod in illius amore usque ad sanguinem profusi gratiaque tam singularis, quamvis minus dignus, participationem non venisset, monuitque tantae imposterum negligentiae reus ne unquam fieret. Caeterum insigni sanctitatis vita hac defunctus est. *Menol. 1. augusti.*

Eustachius, abbas Himmerodensis, divinarum rerum contemplatione impense deditus, cui in corona coelitus demissa sub radiis sui nominis D. V. Maria Eustachii caeterorumque id temporis religiosorum nomina coronae inscripta coelesti

Digitized by Google

ostendit. Quanto ejus gaudio quis explicabit? *Henriq. in Menol. ad 16. maji.*

Giselbertus, etiam abbas, supra inter primos memoratus, huic ordini inserendus est.

Henricus, ex milite saeculari ac nobili religiosus; ut erat deliciis innutritus, ita graves principio difficultates ad surgendum psallendumque in matutinis expertus, cum aliquando ex animi anxietate defecisset, adfuit Deipara glorioso cisterciensium religiosorum choro accincta, quae solo vestis contactu tantam affiavit animi promptitudinem, ut deinde merae illi essent deliciae, his sacris pietatis exercitiis vacare. *Annales Ord. Caesar. l. 7. cap. 36. Menolog. 21. aprilis.*

Henricus alter. Senex celebrataeque inter suos sanctitatis, cum aliquando in choro conversorum sacrificaret, ad aram S. Joannis Baptistae dicatam patrocinio, Salvatorem nostrum humana effigie in manibus tractare omnibus visus est, ipse tanti muneris ignarus, sed qui fide spectaret, quod oculis alii usurparent. *Caesar. l. 9. c. 28. Menol. 22. februarii.*

Hermanni abbatis memoria celebris ad 31. maji supra sub Giselberto repetenda est.

Henricus, prior, ut vitae exemplaris, ita monasticae disciplinae exactor sedulus, mortis praescius, cum religiosi adsisterent, ultima pro moribundo soluturi vota, abesse, et crastinae diei nona hora sibi ad migrandum destinata redire jussit, et adfuere non illi solum, sed angelorum suaviter modulantium voces, ad coelum euntem animam anno salutis 1220 deduxere. Felices exequiae, ad quas hi musici audiuntur.

Hugo, monachus, hunc in ordinem jure optimo reponitur, ut qui maxima sanctitatis opinione ab hac vita ad meliorem abiisse memoratur. *Mss. illustrium hujus loci virorum.*

Jornandus, rarae abstinentiae sacerdos, quique ab omni sibi potu solitus temperare, cum messis tempore, gravis laborantes fratres sitis affligeret, nec nisi sordida atque amara in refrigerium aqua suppeteret, ipse oratione sua hanc in sapidam limpidissimamque transformavit. *Mss. virorum illustr. Caesar. l. 10. c. 16. Seguinus, lib. 3. SS. Ord. c. 118.*

Digitized by Google

Isenbardus, sacrista, eximiae vir sanctitatis, et admirabilis depredicator caelestis gloriae, quam in fatali morbo per extasin raptus spectaverat, ut ad plures audientium, singulari quodam gustu suavitatis, et conceptae in religiosa vita constantiae, eandem transfuderit, quem deinde B. Mengosus in eadem immortali gloria exultantem conspexit.

Mathaeus et Michael, Himmerodiani coenobitae, in censu illustrium ejus loci Sanctorum habentur, et ille quidem angelicae conversationis vir, hic severissimae poenitentiae fuisse cultor commemoratur. Ut *Henriques in Menol. ad 28. et 7. septembris.*

Petrus Confluentinus, honestae laudataeque indolis adolescens, cum in aliis pietatis exercitiis, tum praecipue in passionis dominicae meditatione frequens, et quamvis variis hoc in exercitio molestiis impugnatus, duravit nihilominus, concepitque desiderium ingens Salvatoris nostri vultum contemplandi, ut facilius evagantes ad hunc sibi impressum cogitationes dirigere, carnisque luxuriantis cupiditates, quibus mirifice conflictabatur, ad hujus intuitum refrenare posset, qua in lucta dum nonnunquam ardentius Deum esset deprecatus, jam ab ara discessurum Christus solutis a cruce brachiis amplexu dulcissimo ad pectus strinxit, simulque omnem extinxit cupiditatis aestum, tanto illius gaudio ac voluptate, ut velut inebriatus divino hoc solatio, perpetuis deinde in oratione lacrymis consolationis liquidissima affluueret, durumque prius ad sanctitatem iter laetus decurreret. *Caesar. l. 8. c. 13. Menol. 11. januarii.*

Richwinus, patria Coloniensis, cum ipso novitiatus sui tempore paribus luxuriae stimulis agitaretur, desperationi subsistendi obnixus fortiter super limen cellae in terram se abjicit, inquiens: »Diabole, nisi hinc me vi abstraxeris, nunquam te sequar!« Qua generosi animi resolutione victor, ab hac tentatione ad egregiam vitae sanctitatem enixus est. *Caesar. l. 4. c. 94. Henriquez in Menol. 15. octobris.*

Salomon; locis diversis religiosae vitae institutum aggressus, ab eodem turpi defectione abiit, donec conscientia stimulante Himmerodii cisterciensibus adjunctus, tentationum victor,

Digitized by Google

in magnis poenitentiae argumentis discessit, cujus animam ab exultantibus angelis exceptam, ejusdem loci religiosus conspexit. *Caesar. l. 11. c. 13. et Mss. Illustr. hujus loci virorum.*

Sigerus monachus, aetate quidem juvenis, sed corporis sui severus castigator, eximiusque Dei Genitricis amator fuit. Quare et haec exceptura morientem tempore ipsius discessus, religioso ejusdem monasterii viro apparens, jussit domesticos concinere, *Te Deum laudamus. Caesar. l. 11. c. 4.*

Fiacrium his, sanctitatis nomine in ecclesia pagi Bettingen, sub dominio Manderscheidiorum celebratum, licebit apponere; de hoc enim juxta aram lateralem haec legitur inscriptio: *Sanctus Fiacrius monachus Himmerodensis patronus.* De quo tamen rerum gestarum tabulae interciderunt.

Meinerus, de quo paulo superius, canonicus quondam Trevirorum, postea religiosus hujus coenobii, praetereundus minime videtur. Caesarius, lib. 11, cap. 2, de hoc memorat, quod hortatu S. Bernardi incitatus, solitudinem hanc ingressus, triginta et amplius annis per labores plurimos ad sublime sanctitatis culmen pervenerit, diversis plane officiis inculpate laudabiliterque perfunctus, cum ad extrema pervenisset, coelestium angelorum harmonia inter morbi angustias tanta dulcedine perfusus est, ut nullo verborum eloquio profiteretur hanc posse explicari.

Walterus de Bierbeck, ex illustri nobilitatis gradu, Henrici Lovaniensium ducis consanguineus, secularі, in vernanti aetate, militiae addictus, quam religiosa denique commutavit gloria sui nominis immortali. Deipara impenso etiam inter mundi vanitates studio ab eodem culta, hanc et denique mentem insigni beneficio injecit. Nam cum ad ludos certaminaque equestria profecturus (veteres torneamenta dixere) haud procul loco abesset, ad ecclesiam vicinam digrediens, sacrificium incruentum sub Deiparae Virginis titulo, patrocinioque decantari, pro felicis certaminis successu fecit. Ubi a sociis ad ludum properantibus desertus, dum sacris adest, equestri certamine depraeliari certum est. In quo absens licet Walterus inter primipilares eminere visus, ante omnes laudem plusumque

Digitized by Google

decertantium obtinuit; cumque etiamnum in persona deinde praesenti, catervatim gratularentur, obstupescens primum, mox affirmatione omnium victus, intellexit, caelestem a Deipara genium sibi surrogatum, palmam obtinuisse, quae causa cur perpetuam tantae patronae servitutem postea Himmerodii voverit, non infimae sanctitatis cliens, eidem ex asse consecratus. Caesar. l. 7. c. 39.

CAPUT XV.

Conversorum aliquot seu laicorum, qui in coenobio Himmerodensi sanctitate vitae excelluerunt, nomina et nonnulla facinora.

Arnoldus, minister D. Walteri de Bierbeck, domini sui sanctitatem aemulatus, miraculosis etiam ante mortem facinoribus inclaruit, qui et hoc de domino suo jam defuncto manifestavit, quod, ut solitus is erat in honorem Deiparae vigilias solennitatum ejusdem in panc et aqua transigere, ita aquam nonnunquam a se haustam, exhibitamque, in vinum conversam esse. Sed Walterum indignantem effuso vino dixisse, ut quid mihi vinum ministras? Qui cum affirmasset ex situla se hausisse, iteratoque inde aquam promeret, et hanc similiter in vinum conversam Domino offerret, fidem miraculi et benevolentiae divinae fecisse. Mss. de viris illust. Himmerod. et Caesar. l. c.

Everhardus, portarum custodiae et culinae officiis destinatus, ut erat orationis non minus, quam operis sedulus observator, illa se superis diligentia gratum esse experimento testatum reliquit, siquidem edulia fratribus ad laborem egressuris, cum festinans ad orandum, praepararet, aereamque foco ollam opposuisset, oblitus aquae, reversus totam reperit can-

Digitized by Google

dentem, quae infusis mox aquis rupta dissiliit: quare turbatus et consilii inops, quod aliae pro oleribus ollae excoquendis deessent, in orationem profusus, integritati hanc pristinae restitutam vidit, expertusque est, pietatem ad omnia esse utilem. Caesar. l. 10. c. 14.

Hermannus, agriculturae Himmerodensis villae procurandae adhibitus, sincerissimae apud homines, apud Deum vitae integerrimae, cum nonnunquam ferocientem operi bovem aptare non posset, ex silva vicina perticam resecuit, qua reluctantem frangeret. Verum bos reduci in genua supplex devolutus, obstinationem poenamque visus est deprecari. Tum Hermannus, age vero remitto culpam, sed cave unquam imposterum reluctiris; a quo tempore nemo inter boves mitior tractabiliorque. Ita servis Dei omnia serviunt. In morbo, priori invisenti dixit, tertio post die ad coelum evocatus, sub missae sacrificio eodem transibo, jam conspexi gloriam mihi in coelo preparatam, sed o longam mihi hujus tridui moram, qua promissa differuntur! Nihil in verbis ac tempore fefellit, ac velut ad triumphum properavit. Caesar. l. 7. c. 52. Henriquez in Menol. 7. aprilis.

Henricus, cujusdam etiam ministerio villae (grangias vocant) deputatus, pari simplicitati vitae sanctitatem junxerat, integritate non solum mentis, sed et corporis virgo, qui diversis a Deo ad coelestium rerum amorem spectaculis animatus est. Beatissimam Virginem saepius cum puero Jesu in gremio brachiisque maternis conspicuam habuit. Servatorem nostrum in specie pueri, ad altare se demittentem, et in Sacramenti eucharistici formam sub manibus sacerdotum se transmutantem saepissime conspexit. Spiritum Sanctum sub columbae specie in altare descendentem, sacraeque inhaerentim cruci, maxime in vigiliis, sub decantato evangelio, intuitus est, si Caesario in Dial. locis diversis, et Henriq. in Menol. 4. novembris, et annalibus coenobii credendum.

Cuno, magnus dominus castri de Malburg, vir potens opulentusque in saeculo, militarem diu vitam licentiamque secutus, denique tamen liberioris vitae scelerumque conscientia

Digitized by Google

ductus, Himmerodense claustrum poenitentiae et emendationis gratia subiit, tanto virtutum profectu, ut consummatus in brevi expleverit tempora multa; ejus felix ad coelum excessus hac occasione constitit. Comes Henricus de Isenburg proletarium monasterio equum subduxerat, cujus reducendi cura postquam Cunoni esset commissa, isque licet ante Henrico familiaris, nunc spretus rejiceretur. Cuno zelo inflammatus justitiae, ad divinum judicium praefixo die eundem provocat, domumque reversus abbati factum exposuit, simulque feria sexta (qua crucem aliquando militaturus susceperat, conversusque ordini se tradiderat, ac habitum ante triennium induerat) sibi ex hac vita migrandum significavit. Neglecta principio res, tandem vera eventu apparuit, quando in vigilia S. Jacobi ad extrema se componens, mortem victurus aeternum excepit, Henricumque hoc nuntio consternatum, nudipedem ac supplicem ad funeris exequias, cum publica veniae deprecatione, equique restitutione habuit. Ita quem vivus non flexerat, mortuus ad poenitentiam induxit. Exceptum autem coelesti gloria Cuponem, quamvis homines non dubitarent, tamen et daemon in obsessa id temporis muliere questus est, exclamans cum lamentatione, »videte quanta nobis injuria illata sit, »quando homo quadraginta annorum servitute nobis deditus, »postquam triennio alteri domino est famulatus, ab hoc nobis »ereptus ad pedes altissimi collocatur.« Caesar. l. 11. c. 17. Henriq. in Menol. 24. julii.

Lisardus, claro genere, sed clariori virtute commendandus, cum humillima quaeque ambiens, porcorum custodiam sibi deposceret, quo in officio tantis apud Deum meritis valuit, ut conspecta arbore, quam porcorum alveo idoneam sibi indulgeri optabat, repente arbor succissa prostrataque jacuerit. Caesar. l. 10. c. 54. Denique tamen spiritu superbiae jam senex ad egressum de religione incitatus, angelo bono duce ad foetentia mortuorum in coemiterio corpora ductus, cum admonitione, »quo vis ire miser, qui talis brevi futurus es?« perstitit duravitque ad coronam usque incoeptae humilitatis proposito, a mortis contemplatione ad meliorem instructus vitam.

Digitized by Google

Obertus (Vbertus, vel Hubertus), in conversorum officiis per triginta annos cum omni demissione et obsequendi promptitudine sedulus, annis deinde 20. patiendo magis, ob varias infirmitates, quam agendo exercitatus, longum trahebat martyrium, donec ad extremum agonem in scirpea matta (ut solent) depositus, respirare subito a discrimine visus, recepto ad loquendum spiritu: »Hic, quid ago?« exclamat, »modo »eram inter angelos, taedet vitae praesentis, revertar ad illa, »quae vidi, gaudia,« simulque composito ad mortem vultu, vita et doloribus ereptus est. Caesar. l. 11. c. 6. Menol. 26. decembris.

Ulricus dictus Marschart, Carolus ac Marckmannus, Colonia Ubiorum oriundi, divitiarum ac militiae nomine celebrati, spretis omnibus, laicorum Himmerodensium abjectam sortem mundanae felicitati praehabuere, ignorandi posteris, nisi sic ignorari a seculo hoc nequam maluissent. Mss. Virorum illustr.

Walewanus de Merzenich, postquam militiae strenuam navasset operam, sub Deiparae Virginis in ordine cisterciensium signis militare gloriosius duxit, et certe praecipuam hoc loco meruit ex celebrata ejus humilitate gloriam. Mss. de Viris illust.

Wernerum haec eadem Virorum illustrium manuscripta pluribus a Deo visionibus et rara consolationis divinae affluentia saepius ad coelestium rerum amorem memorant inflammatum, et singularia haec multorum, in hoc loco praecipue, fuere religiosorum beneficia, a Divo utique Bernardo, eximio Dei parentis cultore, et mirandarum rerum patratore suis clientibus coelitus impetrata. Quanquam et in omni retro historia observetur, Deiparae imprimis cultoribus, ut quae consolatrix afflictorum est, hanc visionum consolationumque gratiam prae ceteris deferri, quae quidem cum sit gratia, non tam gratum Deo faciens, quam coelestium virtutem ac benevolentiam ostendens, ut expetenda viris religiosis non est, ita nec cum datur, respicenda; quod istud nimium sibi sit arrogantis, hoc oblatum favorem reverenter admittentis.

Digitized by Google

Gosbertus diuturna poenitentia virtutumque studio maturus coelo, atque ab hac solutus vita, cum solitis pro eo precibus sacrificiisque in ecclesia litaretur, redditus sibi suisque, dolore quidem proprio, gaudio tamen non mediocri aliorum, post expositam coelestis paradysi ad captum mortalis ingenii amoenitatem, denique monuit, non quam diu, sed quam sedulo ferventerque Deo in religiosa vita servitium esset, a supremo expendi judice, et quandoque unius diei obsequium diligens triginta annorum servituti praehaberi; cavendum igitur, ne qui suae conversionis tempus censent, vel horam desidiose praetereant. Qua concione peracta, tanquam officio legationis suae abunde functus, post triduum ad coelites rediit. Vera haec, sed et illa Abrahae verba, »neque, si a mortuis resurgat quisquam, multi audient.« Vid. Menol. 23. decembris.

Hildebrandus, tam gratus aestimatus ob praeclaram virtutum gratiam ab aliis, quam vilis contemptusque sibi, ut vitam decurrit, ita absolvit sanctissime. Cum enim migrandi jam instaret hora, visa est de coelo allabi candidatorum illustris turba, quae beati viri animam sub forma speciosissimi pueri assumptam ad aeterna gaudia transtulerunt. Rarus triumphus, quo in hoc comitatu ad coeleste capitolium transitur; memoria ejus ad 24. decembris mansit. Caesar. l. 11. c. 8. Seguinus, l. 3. c. 29.

Mengosus, humilitatis eximiae, admirandaeque simplicitatis vir, culinae ministeriis inserviens, cui postquam nonnemo monachorum hebdomadario culinae servitio deputatus, pedem incautius servatum forte dissecuisset, Giselbertus, rarae etiam sanctitatis abbas, ut supra meminimus, imperasset, ne se absente, vita discederet, victusque dolore succubuisset, post gloriam coelestem delibatam, redire jussus, atque abbatis imperium exequi. Revixit igitur, nuntiusque coelestium suis rerum factus, superos ad abbatis nutum revisit. Henriq. in Menol. 19. decembris.

Remigius inter conversos caecus quidem corpore, verum coelesti intus lumine ad divinarum rerum contemplationem perspicax, daemonum saepe terribili vexatus forma, insidiisque

Digitized by Google

adversus castitatem sensibilibus expositus, at victor angelorum suavissimo concentu recreatus, pluribusque de coelo illustratus gratiis ac revelationibus, ut his nonnunquam elatus, haud procul a praecipitio steterit, certe non paucis spoliatum se bonis sensit. Unde ad pristinae demissionis studium reversus, amissa recepit dona, cura deinde majore ad sepulchrum usque custodita. Henriq. in Menol. ad 31. decembris.

Catalogum hunc finiam cum memoria triginta quinque religiosorum, qui ex Himmerodensium coenobio brevi temporis intervallo sepulchro coeloque illati sunt. Sicquidem pestilenti contagione istic invalescente correpti, cum omnes apostolico illo flagrarent desiderio, »*cupientes dissolvi et esse cum Christo,*« votorum suorum facti compotes, quod pro suo in D. Bernardum, loci fundatorem et singulari erga Himmerodenses affectu, Deipara sancto ejus coenobii converso manifesta exposuit monuitque, ut religiosos tot fratrum funeribus turbatos moestosque solaretur, hymnoque Ambrosiano *Te Deum laudamus* gratulandum collegis feliciter coelo receptis esse traderet. Ita a luctu cithara in plausum versa est, ejusque gaudii annua memoria pie ad tertium julii diem recolitur. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.*

Miraberis haec fortassis, mi lector, ex uno religiosae vitae domicilio tanta numero ac raritate exempla proferri. At praeterire haec universa, minus fidelis historici esse credidi; quaedam vero ex his tantum, ceu magis certa depromere, temere dijudicantis; cum alia, quam autorum haec fide, non potuerim exhibere. Illud securus affirmo, quod mirabilis Deus in sanctis suis sit, nec facile religiosae vitae privilegia capiat, qui ejus delicias non degustavit.

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Reliquiae Himmerodensium, memoria cultuque digniores.

Quamvis hic locus tot sanctae vitae hominum, quot ante memoravimus, ossibus monumentisque sacratus, venerationem mereatur, addunt tamen religiosam observationem ascetis majorem, quae inter eos insigni pietate asservantur reliquiae. In his vivifici Crucis dominicae ligni pars gemina, quarum maxima minorem alteram discussatim in formam crucis excipit, argenteae haec tabulae quadrati operis, gemmisque et auro distinctae includitur, quam insigni artificio elaboratam, hinc atque inde lipsanathecis Sanctorum praetiosam pro reconditorio est nacta, ut intelligas thesaurum abscondere. Non absimilem vero coenobitae rem memorant, suaque Heesius monasterii historia recenset, ab illustri milite Waltero de Bierbeeck, ejusdem deinde ordinis sancti nominis religioso, ducum Brabantinorum sanguine oriundum, hoc donum Himmerodensi ecclesiae illatum esse, acceptum a sorore, Hollandorum principe. An vero sorori ipse prior crucem auream sibi coelitus a Deipara submissam dono obtulerit, id aliis propugnandum relinquam, ego non asseram, nisi idoneos antiquae fidei testes nactus fuero; pretiosius enim cariusque hoc donum Waltero futurum fuisse, censeam, quam ut ad alios transferre voluerit, quod sibi coelitus destinatum intellexisset. Henriquez in fasciculo ab Ulrico et Carolo nobilissimis militibus, profectam hanc crucem, Friderici quondam imperatoris munus, existimat. Utut sit, ego post devictam Constantinopolim, hoc crucis cimelium non minus quam illud, quod in Stuba parthenone et Lacensi coenobio, de quo suis locis, ex Oriente in has Germaniae plagas transportatum sentio, nam et forma et artificio tabularum operisque ac literarum consentiunt, ut tanto majorem apud nos venerationem mereatur, quanto

Digitized by Google

nobiliori victoria comparatus hic thesaurus, et remotiori ex climate advectus possidetur.

A D. Bernardo, hujus monasterii auspicatore et incola felicissimo, quaedam etiam hujus loci reliquiae non contemnendae possidentur, ut sunt manipulus et stola, ab illo inter sacrificandum usurpata; de vestimentis ejusdem, capillisque ac barba, a religiosis contra aurum aestimata. Ejusdem Divi nomine annuli crucesque ex argento benedictae, sanitatis protectionisque in discrimine gratiam multis possessoribus attulisse, multorum experimento compertum est, ut anathemata D. Bernardi arae oppensa et votiva, tam ex cera, quam aere simulacra, grallaeque et fulcra claudorum ad testificationem beneficiorum relicta, non obscure loquuntur. Quanquam et nonnullis hoc loco usitatum sit (ut in Claraefontano et Bonaeviae Luxenburgicae ditionis monasteriis solenne est) post beneficium sanitatis impetratum, crucem acceptam Divo gratitudinis vice reponere.

Possident et cingulum B. Davidis, ejus loci quondam monachi, ex D. Bernardi disciplina profecti, angelicae ipsius puritatis symbolum, quo Deo placuit, ad illius sanctitatis testificationem, subvenire ex partu periclitantibus, felicique puerperio absolvere, ut neque a paucis, neque ab infimae conditionis personis compertum est.

In thoracidibus quinque affabre elaboratis custodiunt, 1º caput S. Macharii, archiepiscopi Constantinopolitani, cujus etiam corpus ex Oriente translatum ad se venerantur; 2º caput S. Juliani ex legione D. Gereonis; 3º caput S. Agnetis virginis, Ursulani sodalitii praesidis: corpus ejusdem religiose servant; 4º caput S. Albani martyris, ex legione S. Gereonis, quo in capite sanguis S. Joannis Baptistae, S. Stephani et Leodegarii, martyrum, inclusus fertur; 5º pars capitis Susannae virginis, S. Ursulae consanguinitate simul et martyrio junctae.

Praeter haec, capita gemina ex eodem decem millium consortio ab Eiffliaco castro Dollendorff Himmerodium extra humanam operam translata memorantur, atque illic frustra

Digitized by Google

quaesita, ubi miraculorum jam gratia inclaruerunt, hic vero reperta, mirisque etiam effectibus celebrata esse, uti hodiedum honoris et memoriae gratia utrumque venerabilis Sacramenti latus summa in ara stipant, in quorum capitibus versus hi reperti feruntur:

Qu An di tri fu stra
os guis rus sti cum nere vit
H san mi Chri vul la

Caeterum plurimae aliae SS. reliquiae praecipueque ex illa societate SS. virginum, tum Gereonis, Thebaeorum, Maurorum, S. Cassii et innumerabilium martyrum Trevirensium hoc asceterio religiosorum virorum reconduntur, quae partim distincta, partim confusa recensere longum sit. Nos plura cupientes ad Heesii *Manipulum* remittimus, illoque cum eodem disticho, quod ad odei sinistram sub primariae aree reliquiis legitur, concludimus:

Omnes hi Sancti pro nobis jugiter orent,
Qui simul in coelis, ut candida lilia, florent.

CAPUT XVII.

Abbatia et monasterium S. Mariae veteris Claustri, nunc Mariaestadanum.

Hoc cisterciensis instituti monasterium prima sui origine, et quam tenuit fundatum statione, ad Trevericam spectare archidioecesin alibi declaratum est; quia tamen miraculosa, quam ibidem exponimus, translatione, nunc Coloniensis archidioecesis jurisdictionem subit, parcius res illius, bellorum etiam temporumque injuria obliteratas, persequemur. Quanquam et aliae quaedam rationes hanc a nobis memoriam postulent, tum quod abbatiale coenobium hoc protectione Trevirorum

Digitized by Google

archiepiscoporum hodiedum gaudeat, tum quod, vicario caritatis officio ex eorundem commissione vicinis Trevericae dioecesis ecclesiis loci abbas advigilet, atque ubi res exigit, a sua nonnunquam disciplina idoneos viduis parochiis pastores subministret.

Occasionem religioso huic domicilio illustris dominae pietas dedit, haec fuit comes Adelheidis Molsbergia, quae cum steriles Eberhardi Arbergensis comitis diu thalamos coleret, eo virum impulit, ut bona ipsius gratia, quas tenebat in paroecia Kirchbergensi vicinisque locis possessiones eas ad obsequium magnae matris Virginisque novae cisterciensium habitationi addiceret. Assensus est, et Henrico Heisterbacensis non ita pridem coepti monasterii abbati donatio, Theodorico Trevirorum archiepiscopo probante, oblata est anno salutis 1215, ex quo tempore operam ille dedit, ut in loco, qui veteris deinde Claustri nomen retinuit, domicilium religiosae cisterciensium disciplinae idoneum suggeret.

Hermannus porro Hemmerodensis monasterii delectus abbas, qui Heisterbachium ejusdem non ita pridem ordinis coloniam felicibus auspiciis deduxerat, hisce quoque religiosorum hominum castris noviter metandis, imprimis idoneus est visus: neque cunctanter hanc provinciam, quamvis ut prima quaeque principia ferunt, arduam suscepit, duodecim ex Heisterbacensi secum claustro assumpsit boni nominis zelique monachos, atque in ipsa D. Bernardi festivae diei memoria, 20. augusti luce ad parochiam Kirchbergensem, suis quoque usibus assignatam, excessere. Jacta novi monasterii, simul et religiosae vitae non inauspicata principia, Hermanno in omnem curam religionis eo loco promovendae incredibili studio vigilante, octennium propemodum decurrit, quando aetate ingravescens senex, spem rebus melioribus alitam cum vigore ac vita sensit deficere. Religiosos igitur domus suae inter necessariarum rerum defectum querulos ad Deiparae patronae suae intercessionem apud Deum filium jubet confugere, nec defuturam in necessitate suis bene ominatur; et vero adfuit illa niveo talarique fulgens habitu, medio brumae frigore,

Digitized by Google

virentis florentisque ex alba spina ramum manu praeferens, atque ea quam in annalibus recitamus oratione affatus, istuc transferre habitationem in majorem Nistriam jussit, ubi ejusmodi medias inter nives spinetum efflorescens deprehendisset. Quod postera luce circumvectus, cum incedere imbecillitas non sineret, eo loci inter caetera omnia frigoribus emortua reperit, ubi hodiedum Mariaestadium subsistit et ejusdem protectione Virginis (quo prius miraculum vincitur) inter medias heterodoxorum spinas et oppressae religionis frigora, pristinae adhuc pietatis studiis efflorescit, cujus, ut alibi vidimus, monasterii fundamenta Henrico Seynensium comiti, post mortem Hermanni abbatis anno 1226 debentur. Observatione posteris digna, ut intelligant, quam diversis hoc tempore studiis ducantur, qui tanto studio a majoribus excitata, praepostero zelo destruunt, quibus nulli hactenus caelites frondentia in hieme spina ad hanc operam praetulisse sunt visi. Pars ex miraculosi rami stipite etiamnum superest, partibus caeteris magna cupiditate ab aliis postulatis translatisque, aut in orbiculos rosariorum precatorios versis.

2. Ulricus interea monasterii ejusdem abbas Hermanno post octennium praefecturae successit anno 1223; sed intra unius anni curriculum honore simul ac labore in morte defuncturus.

3. Conradus exinde abbatum in ordine census, a Theodorico Trevirorum archiepiscopo aegre tandem missionem accepit, ut ex veteri claustro Mariaestadium mutata archidioecesi ad novam possessionem, junctis utriusque terrae censibus adire liceret, quos tamen hac aetate protestantium aviditate haud leviter accidit. Duodecimo igitur post incolatum Trevericae dioecesis, anno qui salutis nostrae erat 1227, domicilium translatum est, et Coloniensi archiepiscopo subjectum.

Abbates a Conrado praefuere septem, priusquam suo absoluta opere ecclesia sacro ritu inaugurabatur. Hi solo cogniti nomine: Henricus, Cuno, Petrus, Wilhelmus, occ. aõ 1248, Joannes, Theodoricus, occ. aõ 1287, Nicolaus recensentur. Quorum ultimus anno 1298 extinctus.

Digitized by Google

Wigandus, illustris familiae dominorum de Greiffenstein laudatus Mariaestadiensium praesul, anno regiminis sui 27. qui erat salutis nostrae 1324, nobilissima jam basilica ad operis absolutionem producta, solemnem ejusdem consecrationem ab Henrico Virnenburgio, Coloniensi archiepiscopo, impetravit, atque in S. Joannis Evang. die ejusdem sub Cruce designatae matri Dei genitrici dicatam, post Deum voluit: ne memoriae posterorum excideret, cujus potissimum ductu hunc locum obtinerent. Vita ac munere functus est anno 1337.

Nova abbatum post hunc nomenclatura catalogum sine rerum gestarum recordatione implet, quorum hi tredecim: Theodoricus II., Albertus, Arnolphus, Theodoricus III., Joannes II., Bernardus, Henricus, Theodoricus IV., Roricus, Wilhelmus, Bruno, Godefridus, Fridericus, aõ 1439, nudis solum agnoscuntur praenominibus. Post hos Joannes a Westerburg aõ 1514, Tilmannus 1519, Henricus nobilis a Cleburg 1552, Petrus Wenden 1558, Theodoricus V. nobilis a Bierenbach, 1559, Petrus Herschenfelt, Coloniensis, 1562, Adamus nobilis a Selbach 1565, in officio praesulari occubuere. Sequuntur nunc etiam vitae aliqua morumque aestimatione noti.

Joannes Wenden ea vixit aetate, qua incumbens monasterio haeresis non leves eidem clades dedit, certe patientiam omnium exercuit, ita ut praesul ipse exilio locum vertere coactus, extremum Andernaci diem anno clauserit 1576.

Godefridus a Drolshagen jus monasterii sui adversus inimicorum vim insidiasque egregie tuitus, pristinam stationem, dum mors anno 1586 moverat, non sine victoriae laude patrocinio auxiliatricis Deiparae nixus, occupavit.

Philippus Monasterii-Meinfeldius, successor, occonomiae non minus, quam literariae rei studiosus, aes alienum exulceratis contractum temporibus, diluit, et quidquid pene ex domesticis documentorum scriptis supererat, hoc solerti industria collectum, posteritatis usui vendicatum, ab oblivione consignavit. Vita abiit anno 1626.

Adolphus Strodt, Drolshagensis, in locum surrogatus, diruta monasterii aedificia multis partibus instauravit, com-

Digitized by Google

paratamque a decessore pecuniam, in commodum monasterii usum collocavit, praefuitque usque ad annum 1634.

Joannes Wesler subinde exiguo, quo suos moderatus est, tempore, doctrina ac pietate caeteris praeluxit, mortuus aõ 1636.

Michael Textorius, vix electus, terris ereptus est.

Joannes Widtig substitutus, impar oneris curarumque honore ac praesulatu cessit aõ 1658. Lapis ejus sepulchralis, pedo signatus, hodie inservit limini domus Confluentinae sub nº 1192. Lapidis haec est inscriptio: *Anno 1667, 10. octobris obiit Reverendissimus dominus d. Joannes Widtig resignans abbas in Marienstadt sepultus in ecclesia Rhein Mettrich.*

Joannes Casparus Phluger, Confluentiae natus, primus inter hos praesules, ut ferunt, mitratus, res monasterii hac aetate non sine laude administrat, cui vitam ac felicitatem Deus addat.

De patrocinio coelitum et SS. monasterii et templi reliquiis.

Amoeno Seynensis comitatus ad Nistriam amnem loco monasterii templique structura sistitur, ipsa de coelo Deipara sacra haec castra, ut diximus, opportuno regionis situ metante, cujus nec dubium est, praesidio inter omnes juxta comites principesque a religione prisca deficientes, hactenus majori quam olim florentis in bruma rubi miraculo stetisse coenobium, contra vim fraudesque intactum, vicinorumque cum avita pietate loci, fidem tueri. Illustris basilicae species est; septendecim in hac altaria, diversis coelitum consecrata, summam aram coronae in morem cingunt. Illa Sanctissimae Trinitati et beatissimae patronae, magnae Dei Matri est consecrata, reliquorum altarium haec facta nuncupatio. Primum est Salvatoris, D. N. Jesu Christi. 2. B. Mariae et Trium Regum. 3. S. Michaelis archangeli. 4. S. Laurentii et omnium Sanctorum martyrum. 5. SS. Petri et Pauli et omnium apostolorum. 6. S. Bernardi et omnium confessorum. 7. S. Thomae apostoli. 8. S. Mauritii et sociorum. 9. S. Blasii martyris.

Digitized by Google

10. Sanctissimae matris Annae. 11. S. Mariae Magdalenae. 12. S. Agatae martyris et omnium virginum. 13. S. Crucis. 14. S. Barbarae virginis et martyris. 15. Omnium Sanctorum. Porro singulari per annum festivitate universorum memoria usitatis diebus colitur, tanto studiosius, quanto majori Sanctorum neglectu haec apud heterodoxos religio conculcata est.

Jure tamen admirandum est, quod tam recenti quam veteri miraculorum gloria, qua suis Deipara clientibus adest, etiam ad venerationem heterodoxi rapiantur, est dolorosae istic Matris Christum a cruce depositum excipientis imago, quae vel ipsis pie intuentibus compatiendi affectum ingerit. Multa hanc circum anathemata et donaria sacra, ab ipsis quaedam etiam suspensa acatholicis, multa etiam restitutae sanitatis in appensis signis relicta testimonia, caecis istic visus, surdis auditus, claudis incessus aliisque aegris sanitas reddita est, ut caeci jure apertis licet oculis habendi ex haereticis sint, qui haec non videant, surdi, qui audire detrectent.

Inter reliquias eminet S. Agnetis, virginis et martyris caput, aliae praeterea ex sodalitate Ursulina undecim millium virginum et martyrum Thebaeorum. Adhuc pars funis, olim in usum, ecclesiam hujus loci aedificantium coelitus subministrati superest, cujus materia mortalibus incognita est. Ita suorum Deus beneficiorum plura hoc loci vestigia reliquit.

Monumenta etiam complura extant illustrium in hac ecclesia ac monasterio familiarum, atque imprimis eximium in media basilicae navi eminet comitum Seynensium, loci fundatorum sepulchrum, statuis picturis excultum; Nassovici utriusque lineae, tam Cattimelibocensis, quam Saraepontanae, alii in choro, alii extra illum suis cineribus conduntur, quibus nunc posterorum ossa jungere religio est. Invenies ibidem ex Schaumburgica, Westerburgica, Greifensteiniana, Hatzfeldicaque stirpe quiescentes sub inscriptis lapidibus proavos. Leges Wildenburgicae, Holdinghusanae, Selbachiae et Ottensteinianae nobilitatis priscos heroas, quorum ex posteritate nunc pluribus, vel dignus non est, vel ipsi loco. Interea, quae fuerit majorum fides pietasque, cum homines his late terrarum plagis

Digitized by Google

taceant, muti etiam hac in ecclesia lapides, tot aris per eosdem in vita et tot a morte sepulchralibus monumentis excitatis loquuntur.

Privilegia loci a pontificibus, imperatoribus principibusque diversis justa diplomatum vi stabilita sunt. Honorius III. pontifex anno salutis 1219 monasterii leges opesque ad fundationem collatas firmat. Adolphus e familia Nassovicorum imp. favore suo magis ornat. Maximilianus II. et Rudolphus caesares adversus heterodoxorum invasorum vim tuentur. Salentinus Isenburgicus et Ernestus Bavarus Agrippinatum, Jacobus Eltzius, Joannes a Petra Trevirorum archiepiscopi, defensionis protectionisque suae literas opemque offerunt; sub quorum successorum umbra post coelitum auxilia etiamnum defensum consistit.

CAPUT XVIII.

Abbatia et monasterium Aureae Vallis.

Aureavallis, cisterciensis ordinis coenobium, archidioecesis Trevericae, in comitatu Chiniacensi sub Luzelburgiorum ducatu, tertio ab Yvodio oppido situm lapide, paulo ante Hemmerodensis abbatiae exordia a divo Bernardo huic disciplinae auctoratum, anno salutis 1131, cum ante complures annos benedictinae familiae religiosis, ante proximos canonicis regularibus, sed tenuiori censu habitatum fuisset, ut in annalibus nostris ad annum Christi 1070. Benedictini ex Calabria allapsi locum excolere coeperunt, Barbati Godefridi Arduennatis ducis et Beatricis conjugis ex Italia lectissimae auxilio opibusque freti, et 1108, quando revocatis monachis successere canonici, signatum reperies. Nunc unde hoc loco nomen Aureae Vallis haeserit, quae hac aetate ferro flammaque hostili excisa

Digitized by Google

vastataque saepius, hanc re ipsa appellationem minime tuetur, recolere non erit injucundum.

Ut primum hic locus ad monasticam habitationem disciplinamque a Calabris formari coeperat, jamque a severitate ac sanctimonia religiosorum ejus vitae hominum late inclaresceret: magno populorum concursu aut pietatis aut etiam curiositatis studio frequentari visus est. Unde factum, ut et Mathildis, Beatricis filia, illustris genere atque opibus foemina, gemina recens calamitate afflictissima, moeroris sui aliquod quaesitura apud religiosos homines solatium, huc diverteret. Siquidem maritum, Godefridum Gibbosum Lotharingiae ducem, bello non ita pridem conflictantem Brabantico amiserat, florenti etiamnum aetate virum, sed quod supererat solatii unico filiolo magnarum possessionum haerede post se relicto. Verum et hic octennis in glacie a familia non observatus, libere saltans ludensque, dehiscente, infausto casu, flumine, haustus est, tamque inexpectata morte attonitam extremeque afflictam matrem reliquit. Sed hujus aliquod tristitiae levamentum casus novus, parum licet fortunatus, attulit, quem cum admirabili Dei providentia conjunctum vidit, quod per aliam afflictionem afflictae daret remedium.

Duxerat illam secum laxandi a curis et moerore animi gratia Arnulphus Chiniacensis comes, qui anno 1080 illic rerum potiebatur, ad vallem Calabris monachis habitatam, ut loci fontiumque istic amoenitatem, tum angusta religiosorum tuguriola et aediculam eorum sacram hymnodiamque expenderet, tum aliquod solatiolum a pietate captaret. Venit admirataque est, in tenuitate illa ac solitudine vitae exporrectam religiosorum frontem laetumque animum ex vivo hilarique sermone spirantem. »Et quomodo,« inquit, »in tanta rerum penuria, victus parsimonia, vigiliarum, cantus ac laboris assiduitate, tot annis inter frigora aestumque duratis?« — »Facilis,« inquit prior loci, »o domina, res eis est, qui se meminerunt regi regum et liberalissimo remuneratori Christo id praestare servitium, quod etiam in hoc mundo plus habet consolationis, quam qua ullae principum aulae affluant; nihil

Digitized by Google

vero hunc sûum rigorem aestimandum esse noveris, si cum primorum patrum, Antonii, Hilarionis, Pachomii, aliorumque rigore comparetur, qui tamen jam coelo potiti, et praemiis labore suo dignis munerati, parum sese praestitisse sentient; et siquis in hanc vitam receptus daretur, longe acrius in temporaneum hunc laborem incumberent, ut praemia coronasque in omnem aeternitatem reponendas cumularent.« Subiit oratio illa ducissae animum, hominumque ac vitae talis amorem aestimationemque conciliavit. Interea propiores fonti adsistunt, ad quem inclinata ducissa abluere et confricare in limpida manus coepit. Quod dum facit, pronubus e digito annulus, quem in defuncti conjugis memoriam circumferebat, ad profundam fontis scaturiginem devolutus, magnoque investigatus studio omnem quaerentium fallebat diligentiam.

Sed cum pignus hoc mariti intime a se dilecti superesset unicum, Mathildis omnem animo versabat curam rationemque, qua amissi compos annuli fieret, cumque alii post alios accedentes suscitarentur, ut quid tanto studio vestigaret, »aurum,« inquit, »aurum est, quod hic quaero, utinam Deus faciat potiri?« Nec mora intimo pectoris sensu ad Deiparam versa, »Te,« inquit, »o mundi domina et mater Servatoris nostri dignissima obtestor, per miserationis ac bonitatis tuae viscera ne patiaris me frustrari desiderio hoc meo, sed mersum aquis annulum restitue, et polliceor hunc me tibi locum filiique tui obsequiis locupletari stipendio, et basilica illustriori dicaturam.« Vix conceperat finieratque verba, et ex imo annulus fundo cum arenis ad superficiem aquae regurgitatus. Mathildis sese manibus captandum obtulit, exclamante ad circumstantes illa, »En aurum, quod inquirebam, vere aurea haec mihi vallis est et perpetuo nuncupanda,« nec defuit, aut vaticinio aut promissis fides, nam hodiedum nomen prostat. Sed et ipsa liberali auri argentique collata stipe inopiae religiosorum subvenit, novumque suo aere Deo Deiparaeque templum voluit excitari, fontem etiam coronari labro operibusque non inscite excitatis ornari, quae in suis hodiedum ruderibus visuntur. Nec satis: Arnulphum comitem induxit, ut certam illic terrarum

Digitized by Google

possessionem aeterno jure coenobitis transscriberet, cujus donationis testes literas ab anno Christi 1080 superesse, Bertelius memorat. Extat quoque in veteribus ecclesiae metropolitanae monumentis diploma, quo Gorziensi monasterio plura in Satanaco et Mosaco bona consignat.

Caeterum religiosi Aurevallenses hac freti pecunia, ad Dei domum magnificentiori istic opere excitandam versi; quo in labore dum occupantur, literae e Calabria perferuntur, quibus ab abbate suo revocati, nec ausi resistere, parendum sine mora esse censuerunt; unde non sine ingenti comitis Arnulphi et Mathildis, in Italiam, unde nata erat, profectae dolore, inchoata ad Dei honorem fabrica, improvisa destitutione haesit. Sed Arnulpho, haud multo post fatis concedente, Otho comes, filius, Treveri Brunonem archiepiscopum convenit, ejusque consensu regulares istic canonicos, ab omni saeculari jurisdictione exemptos, collocavit. Quibus praepositus est Fulbertus, vir ab eruditione et sanctitate imprimis commendatus, sub quo basilica ad suam perfectionem, Othone suffragante, educta, et ab Henrico Virdunensium antistite, sub titulo patrocinii magnae matris Deiparae, et geminorum ecclesiae apostolicae siderum, BB. Petri et Pauli, solenni ritu est consecrata.

Verum ut lubrica est mortalium vita et conditio, Othone anno Domini 1150 e vivis sublato, praeposito etiam suo canonici, velut geminis custodibus destituti, in Valle hac Aurea, sub Herberto ignavo custode, libertatis subsidio freti, parum aureis moribus versari coeperunt. Observavit illa id temporis Albero, Virdunensis ex Chiniaca familia episcopus, indoluitque, majorum suorum opes, a Dei cultu ad vanitatem conversas, dissolutae vitae hominibus in usum cedere. Quocirca cum Alberto nepote Chiniacensi tunc comite, re in omnem partem animo versata, constituit ex D. Bernardi Claraevallensis abbatis ea aetate efflorentibus alumnis, huc religiosos viros traducere, qui dignos pietatis a proavis spectatae hoc loco fructus ferrent; admisit probavitque Trevirorum archiepiscopus Albero, eodem nomine ac tempore cum Virdunensi praefectus. Nec divus Bernardus invite, cunctanterque assensus est, et

Digitized by Google

licet ipsi per occupationes coram admittere hanc donationem non esset integrum, misit tamen loco suo virum longe praestantissimum, Constantinum futurum coenobiarcham, in septem collegarum comitatu; qui ad possessionem jure optimo admissi, insigni istic morum sanctimonia ab anno 1131 Vallem hanc auream usque ad hanc aetatem illustrarunt, ut in ferreo licet saeculo nominis hujus dignitatem si non opibus, certe moribus tueantur.

1. Primus igitur abbatum, Constantinus, ex Trium Fontium recens in Campania Galliae excitato coenobio transiens, hunc cum aliquot collegarum subsidio locum ad eximiae pietatis fructum excolere aggressus est, ac pristina religionis neglectae damna cum foenore instauravit. Albertus comes etiam cum Agnete conjuge eodem transgressus donationem firmatam auctamque novis possessionibus locupletavit, Albero vero Virdunensium praesul, ut sanctitatem religionemque loco conciliaret majorem, martyrum illuc sanctorum reliquias illustres transtulit, in quibus integrum corpus S. Mennae, et duodena Ursulanae societatis censentur virginum capita. At Constantino, egregio Christi athletae cura haec fuit praecipua, ut sanctis religiosorum virorum moribus et disciplina, juxta D. Bernardi institutum, monastica coenobium imprimis ornaret, quod sine his loci sanctitas necquidquam profutura videretur. Caeterum egregius ipse animi virtutumque dotibus, morum integritate vitaeque innocentia, quantumvis eruditione cultus, et oratione potens, plus tamen persuadere omnibus visus est, et quos verbo non poterat, exemplo flectere; denique annis 14 in hoc magistratu transactis, non sine opinione Sanctitatis, mortales deseruit anno salutis 1145, sexto idus decembris, ut in menologio domestico notatum est. Addunt de Constantino ejus domus monumenta, ab Henriquezio ad 8. dec. citata, quae hic lubet annexere: »Non degener a sanctissimo P. Bernardo filius, ut nomine sic re ipsa constans, ea qua apud Deum et homines praecellebat gratia, adeo in vultu potenti amabilis fuit, ut non modo a diversis episcopis et principibus diversa beneficia consecutus sit, verum etiam a summo ecclesiae

Digitized by Google

principe Innocentio II. quaterno diplomate sit honoratus, ejusdem Constantini diebus pauperculam vallem per semetipsum invisens, deaurato calice donavit, quem patres nostri ipsius armis gentilitiis ad perpetuam rei memoriam insigniri voluerunt. Laetabatur sub Constantini disciplina sterilis eremus, et de verbis sapientiae, quae procedebant de ore ejus, germinans germinabat.«

2. Theodoricus I. de Vitry Constantino surrogatus est, abbatum ejus loci secundus; vir strenuus et disciplinae regularis non ignarus propagator, cui suorum eruditionem pietati ceu custodem promotricemque adjungere curae fuit. Quocirca ab ipso sui regiminis exordio bibliothecam lectissimis instructam libris, ac diversarum codicibus linguarum ad scripturae sacrae intelligentiam faciliorem locupletavit. Immortalibus deinde, ut spes est, anno salutis 1152 sociatus, V. idus aprilis.

3. Theodoricus II. Virdunensis, successor, non impari religionis ac virtutum studio suorum insistere decessorum vestigiis conatus, annum 1167, februarii calendis, fatalem habuit.

4. Adamus de Longuiono idem honoris onus habuit subinde, posuitque moriens anno 1177, die martii 29.

5. Stephanus Lucileburgius, moribus scientiaque hoc pedo dignus, singulari illud gubernandi dexteritate ad annum Christi 1188, octavum idus martii tenuit, fatis obsecutus.

6. Remigius de Longuiono eisdem cum laude muneribus functus, his moriens anno 1193 ad VII. calend. octobris decessit.

7. Gerardus de Rupeforti, eidem substitutus, post novem magisterii sui annos, morte quievit aõ 1204, pro quo Henriquez male ex catalogo domestico substituit 1240, cum Walterum abbatem successorem se alterum nonnisi 1209 decessisse ibidem fateatur. Caeterum primae augusti calendae Gerardo in vita fuere ultimae.

8. Joannes d'Estalles post biennii moderationem fata antecessorum suorum secutus est die 31. decembris 1206.

9. Walterus de Virtono, obiit 31. martii 1209.

Digitized by Google

10. Petrus Leodiensis, obiit 2. augusti 1214.

11. Henricus de Satanaco, obiit 13. septembris 1228, qui et moribus suis et matris Ivetae (de qua inferius) longe praestantissimis memorabilis est.

12. Joannes II. de Novocastro, qui ob singulares animi dotes, ut Bertelius memorat, et impensa in rem publicam officia, pater patriae appellatus est. Decessit 10. martii 1237.

13. Joannes III. de Firmitate, ut habet catalogus domesticus, non Ferivate, ut vult Bertelius, vir a prudentia et negotiorum expediendorum dexteritate celebris, abiit 15. martii 1245.

14. Henricus II. Bulloniensis, aedificiorum et rerum monasterii sui egregius instaurator, quem mors sustulit 1259, calendis januarii, non februarii, ut vult Bertelius.

15. Joannes IV. Namurcensis, obiit 21. augusti 1263, ut est in catalogo domestico.

16. Guido de Chiny, 30. septembris 1267. Ibidem.

17. Nicolaus de Lupifonte, vir gravis et sapiens, ait Bertelius. Obiit 5. octobris 1299.

18. Nicolaus II. Trevirensis, sapientiae laude conspicuus, defunctus 24. martii 1311.

19. Joannes V. de Huyo, 24. martii 1317: ex cujus sepulchri epitaphio claret, abbatem quoque fuisse Trium Fontium et episcopum Delmitensem.

20. Jacobus de Mosono, vir, ut Bertelius refert, admodum liberalis, et in Christi pauperes beneficentissimus. Mortuus 28. februarii 1325.

21. Robertus de Prentey, obiit 18. februarii 1342.

22. Theodoricus III. d'Ansart, 11. junii 1376.

23. Joannes VI. Metensis, ob morum sinceritatem virtutumque ornamenta singularia celebris. Sublatus e vivis 18. aprilis 1384.

24. Jacobus II. de Barenseio, vir prudentia atque eruditione spectatus, obiit 8. januarii 1399.

25. Nicolaus III. Arlunensis magistratum adeptus est in magno coenobitarum eligentium dissidio; sed junioribus denique

Digitized by Google

cedendum et jure fuit facessere, compulso Jacobo ab Haim, quem juventus factione distincta abbatem esse jusserat. Ita et in sanctis ordinibus ambitioni subinde locus; at facilius a virtute, quam apud seculares remedium est. Obiit, monasterio solerter frugaliterque administrato, anno Domini 1423, die 27. septembris.

26. Joannes VII. de Prouvy, obiit 17. martii 1429.

27. Joannes VIII. de Philomena, vel, ut alii, de Philomela, vita et munere defunctus 25. martii 1442.

28. Nicolaus IV. de Baronisvilla, scientia, ut ait Bertelius, scripturarum, et in rebus agendis prudentia, ordinis sui eximius defensor extitit. Migravit 16. octobris 1474.

29. Godefridus de Aremberg, nobilitate juxta ac eruditione religioneque conspicuus, abbatialis mitrae usum, quo majores honore caruerant, summi pontificis indulgentia monasterio intulit, posteris hactenus usurpato. Obiit 27. maji 1479.

30. Nicolaus V. Villariensis, obiit 6. decembris 1504.

31. Balduinus de Presseux, quem a rerum spiritualium temporaliumque perspicacia Bertelius laudat, qua et religioni et oeconomiae egregie providerit, dum fatis cessit 13. februarii 1530.

32. Godefridus II. de Presseux, minime degener successor, obiit 1. novembris 1540.

33. Matthias de Malmundario, qui liberalioris doctrinae fama commendatus, comitum Chiniacensium seriem, et actorum epitomen digessisse, non autem publicasse scribitur. Extat, ait Bertelius, tractatus apud Auream Vallem. Obiit 19. martii 1555.

34. Lambertus I. de Vagnée, excessit vivis 17. martii 1563.

35. Dominicus de Satanaco, qui ea morum integritate, ac vitae sanctimonia suis praefuit, ut alter a suis Bernardus diceretur. Verum hoc ad immortales anno salutis 1570 translato, 30. martii die, a rege Hispaniarum surrogari novus abbas prohibitus fuit, quod ob invalescentem per utrumque Belgium

Digitized by Google

haeresin rex plures episcopos constituisset ad firmiorem vacillantis populi custodiam praeficere, ne haereticorum perfidia pessundaret universa. Quo consilio, cum et suum Luxenburgensibus episcopum destinaret, cui ad sustentationem Aureaevallis abbatia cederet, effectum res sortiri non potuit, quod suam sibi Trevirensis juxta et Leodiensis antistes jus eripi contenderent. Quorum repugnantia factum, ut episcopalis ab his dignitas ad tertium surrogandum non transferretur, et Aurevallensibus sua rursum constaret electio. Itaque a Lamberto Hansemburgio, qui septennio titulo prioris res monasterii administrarat, ad novi praelati electionem consuetis suffragiis processere.

36. Lambertus II. igitur de Villario suorum votis et regis catholici approbatione electus abbas functione sua honeste pieque expleta, adjutorem muneris in deficiente jam aetate adlegit, extremumque diem clausit 2. septembris die 1588.

37. Lambertus III. Hansemburgius, patria Leodius, brevi novennalis regiminis curriculo ad metam pervenit 28. augusti 1596.

38. Nicolaus Servatius (Remaculus Cerfay) a S. Huberto, qui diligenti cura ecclesiam asceteriumque sibi commissum moderatus, 5. januarii 1605 successori locum fecit.

39. Bernardus de Montgaillard, doctor theologus, ut elogium typis Reulandi a morte excusum habet. »S. ordinis cisterciensis in archidioecesi Trevirorum et ducatu Luxemburgico vicarius generalis, qui ex illustri Persinorum apud Vascones natus familia, jugum domini in monasterio Fulliensi (Feuillants) anno 15. aetatis complexus est, et praecipuus ejus congregationis, post R. P. Joannem de la Barriere fundator, jubente Clemente pontifice, cui sicut et Innocentio IX. acceptissimus fuit, ab illa avulsus, in ordine cisterciensi perseveravit. Anno aetatis suae 18. eum Henrici III. Francorum regis summum concionatorem Gallia tota obstupuit, Hispania, Italia in transitu est mirata. Roma ipsa suspexit, Belgium annos quadraginta maximo fructu et applausu audivit, serenissimorum Alberti et Isabellae principum aula regia sex fere lustris ecclesiasten

Digitized by Google

coluit, et ab ejus ore mellifluo pependit. Oblatas Pamiensem et Andegavensem in Gallia infulas, religiosa humilitate recusavit. Alberti pii jussu Nizellensis triennium, postea Aureae Vallis tres supra viginti annos abbas, utriusque, sed hujus praecipue, in utroque statu, non tam restaurator, quam de novo fundator dici jure merito potest. Vir fuit praeclaris animi dotibus ornatus, eximiae in consiliis, tam secundum Deum, quam secundum seculum prudentiae, omni scientiarum sive humanarum, sive sacratiorum genere instructissimus, divinae et spiritualis doctrinae magister insignis, spirituum discretione mirabilis, in pauperes liberalis, familiari conversatione blandus, in quoscunque potuit, beneficus; et in eloquentia vix ulli secundus, haereseos et vitiorum oppugnator acerrimus, catholicae religionis assertor invictus, humilis, mansuetus, nulli gravis, omnibus amabilis. Magnam vitae partem unica refectione, plures quadragesimas bina tantum hebdomadis singulis tenuissimi cibi degustatione, noctes innumeras contentus transegit. Post acutissimas annorum plurium nephrididis et arthrididis passiones novissimum vitae decennium patientia ad medicorum etiam stuporem admiranda in continuo traxit martyrio« &c. Anno demum 1628, ipsa dominicae Ascensionis octava die, aetatis 65, terras reliquit animo, corpore subiit juxta gradus dormitorii, ut vocant, sepultus, hoc adscripto epitaphio, quo sibi vivis ipse parentarat. Illud praecipua sua parte insero.

Chari patres, filii, fratres,
Hic jacet vester Bernardus,
Cui vos dilecti, qui vobis dilectus,
Miser et miserabilis,
Misericordiam Domini et vestram exspectans.
Eia heu eia estote misericordes!
Memores estote judicii mei, sic enim erit et vestrum,
Heri mihi et vobis hodie.
Haec charissimi hac expendite et mihi preces pendite,
Abite, sancti estote, et valete.
Exspecto donec veniat immutatio mea
Frater Bernardus de Montgaillard, hujus ecclesiae abbas XXXIX.
Vivendo moriens, et moriendo vivens posuit sibi.

Digitized by Google

Aliud eidem successor condidit, quod dignum quoque posteritatis memoria; tale est:

Bernardus de Montgaillard H. s. E.
Magnum ordinis et seculi sui decus.
Nobili apud Vascones Persinorum familia ortus,
In sacram Fulientinorum adscriptus,
Et mox in Cisterciensium translatus,
Toto virtutis nisu ad Deum surrexit.
Pontificibus Innocentio IX. et Clementi VIII. acceptus,
Regi Henrico III. et Principibus Alberto et Isabellae a concionibus.
Italiam et Galliam, adolescens, vir,
Aureo ore in admirationem sui traxit.
Infulis Pamiensi et Andegavensi oblatis et neglectis,
Tres Nizellis annos, tres et viginti Aureae Valli
Quo affectu eo fructu verus Pater praefuit.
Quid tandem
Anno MDCXXVIII.
Pietatis, doctrinae, facundiae in terris jubar extinctum est,
ut in coelo fulgeret.
Post annos exactos LXV. menses VI. dies XV.

Chronographicum.

BernarDo AVreae VaLLIs AbbatI frater LaVrentIVs
De La RoChe SVCCessor, hoC pIetatIs EpItaphIo
parentabat.

40. Laurentius de la Roche, ex adjutore creatus abbas, gravissima bellorum tempestate hostiumque injuria exercitatus, suum denique monasterium in cineres abiisse Gallorum flammis indoluit, superstesque aliquamdiu calamitatibus, denique et ipse succubuit anno salutis 1638, decembris 5. Vir eruditione non minus quam religione spectatus.

41. Henricus III. a Meugen, electus anno 1639, hodie licet inter diversas temporum calamitates laudabiliter praesedit, adjutore Carolo in praesidium aetatis deficientis nuper adlato. — Obiit Henricus 1668, die 7. junii.

42. Carolus de Benzeradt, restaurator domus et disciplinae monasticae, obiit 12. junii 1707.

43. Stephanus Henrion, ex coadjutore abbas, fatis cessit anno 1729.

Digitized by Google

44. Joannes Matthaeus Mommerts, occ. anno 1742.

45. Albertus de Meuldre, occ. 1760.

46. Mennas Effleur, occ. 1762, obiitque aõ 1765.

47. Stephanus II. Scholtus, occ. aõ 1766 et 1787.

48. Bartholomaeus Lucas, occ. 1789, obiitque die 7. januarii 1792.

49. Gabriel Siegnitz, ultimus abbas, vidit excidium horribile, destructionem monasterii et templi, dispersionem monachorum. »Vidit et commota est terra.«

CAPUT XIX.

Sanctitate hujus loci illustres.

Dionysii hoc loco Claraevallensis abbatis in Aurea Valle cum insigni sanctitatis fama et miraculorum gloria mors celebratur, quem ut adhuc viventem magna demissione coluit Bernardus de Montgaillard, ante memoratus abbas, ita paucis ante se annis, hoc est 1624, defuncto, in coelesti gloria visus est a morte sociari. Raris ille virtutibus cum mirifico propagandae religionis zelo excelluit, quas diserta oratione in ejus exequiis Laurentius de la Roche prosecutus est, ipsique adhuc exhorrescunt daemones, qui frequentes ab obsessis corporibus ejus reliquiarum contactu ejiciuntur. Multa sunt, quae mira post mortem virtute in diversis ad opem intercessionemque suam confugientibus operatur. Unum alterumque attigisse juverit. Pridie calend. novembris, quibus Dionysius mortales reliquit, sacerdos quartana jam propemodum febri consumptus, benedictionem a morituro petiit obtinuitque, quam ipse mortis die, sibi de coelo confirmari postulavit, et repente se febrili malignitate liberum sensit, tantique patris virtutum encomiastes fuit. Ita alium ejusdem Vallis religiosum tertiana conflictantem,

Digitized by Google

anno 1625 restituit, gravique insuper apostemate solutum exemit. Cumque is, ut variis erat morborum molestiis obnoxius, sequenti anno pulmonibus exulceratis et deficientibus aegre respiraret, foedumque ab his ejactaret sanguinem, medicorum etiam inter venae intersiones aberrante cura, nervis obstupescentibus contraheretur, aliis remediis deficientibus, ad expertum saepe curatorem recurrit, et floribus, quibus coronare sepulchrum solebat, admotis immobile ante brachium, ut vulnera sanie ac tabo manantia, pristino usui integritatique restituit. Unde floribus hisce honor deinde haberi coepit; et anno 1627 pastor in Henstert, dioecesis Trevirensis, in decanatu Arlunensi, jam conclamata valetudine moriens, postquam unum ex hujus sepulchri floribus sibi ex Aurea Valle submissum, amici agonizantis jamque cereum manibus tenentis, labiis in vino tritum admovissent, confestim velut ex gravi somno evigilans, apertis oculis levataque voce, plusculum sibi ex illo deposcit propinari, quo hausto, »laus,« inquit, »Deo, sanatus sum,« rursum tamen obdormiscens, trium dierum sudore ac somno, malum omne abstersit; surgensque, benefactori suo, oblato quinque librarum ad tumulum ejus cereo, gratias rependit. Eodem tempore, julio mense, quo religioso Aureae Vallis presbytero apostema faucibus innatum, loquendi respirandique facultatem pene ademerat, flos ejusdem monumenti faucibus pie adhibitus, integritatem sine mora restituit. Ita Deus sese honorantes, hoc etiam in orbe honorat. Plura de hoc Sancto in suo Menologio Henriquez promittit. Breve hoc illius epitaphium appono.

Ortum Treca, gradum Sorbona, et Clara tiaram
Vallis, at exequias Aurea, et astra Deus. Nempe dedit.

Anagramma ex nomine redditum tale est:

Dionysius de l'Argentier.

Anagramatismus.

Ales Dei ingreditur Syon.
Raptus amore Dei sanctam Dionysius ales
Ingreditur terram corpore, mente Syon.

Digitized by Google

Florentius, ejusdem loci conversorum ex ordine, religiosus in Turcia progenitus, et Mahometanae sectae nutritus, qui profligato in Hungaria infidelium exercitu, christianorum interceptus captivitate, salutem in vinculis deprehendit, tanto majori admiratione, quod non humana instructione, sed divina commonitione Divorum Nicolai et Claudii, qui visibili cum eo vigilante congressi specie ad christianae religionis studium (in quo sola est salus) cohortati sunt. Nec potuit, licet ceteris monitoribus durus, tam potentibus oratoribus reluctari; sed accepta instructione, a Bernardo de Montgaillard sacro fonte ablutus, Christo ac cisterciensium etiam ordini in Valle Aurea initiatus est, tanto pietatis ardore virtutumque praeclarissimarum exemplo, ut appareret non ab hominibus, sed Deo ad hanc religionis perfectionisque palaestram vocatum esse. Ex qua demum cum sanctitatis opinione vita decessit ad alteram; de quo pluribus eorum annales.

Ivetta, vidua, hoc nobis loco praetereunda minime videtur, tum sua, tum filiorum parentisque causa, cum et illa cisterciensium denique vixisse legibus feratur, et utrumque huic ordini filiorum consecravit, ac Henricum de Satanaco quidem Aureae Vallensi, Eustachium Trium Fontium monasterio, sanctitate vitae celebratum. Ipsum etiam parentem, suae primum virginitati, posteaque viduitati adversantem, non tantum ad probandum, sed imitandum quoque in ordine cisterciensium vitae rigorem induxit.

De qua, ut paucis multa stringam, asseritur: Huy ad Mosam, Leodiensis dioecesis oppido, natam esse anno salutis 1157, vixque annum decimum tertium aetatis ingressam, ut erat forma et opibus praestans, procorum parentumque importunitate ad nuptias invite pertractam. Sed hunc statum ipso magis experimento molestum cum viro saepius a se morti devoto, aversari coepit zelo immaturo, quem deinde multis lacrymis poenitentiaque expiavit. Cum tamen jam lenius viri onus, pietatis gratiaeque divinae cultu emollita ferret, Deus conjugem sustulit, facultatemque fecit, sibi plene serviendi. Arripuit hanc cupidissime, et quamvis octodecim jam annis

Digitized by Google

nata, novas cum pater, tum loci episcopus suaderet nuptias, pervicit tamen hoc etiam laudante, Deiparaque adversus lenocinantium insidias visibili specie protegente, unde pauperum et elephantiasi in nosocomio laborantium, non opibus tantummodo, verum et servitio addicta, cisterciensi in habitu, ut Henriquez contendit, vixit, ac denique anno aetatis trigesimo, solitariae vitae contemplationisque amore inclusa tuguriolo ecclesiae contiguo, quod patri converso excitaverat, legibus quoque cisterciensium vivere placuit, patrem enim ab hac disciplina aversum, suo traxit exemplo, ut in nosocomio et basilicae adjunctam cellam subiret, ac demum in cisterciensium institutum Villarii concederet, quamvis Ivetta Remigio de Longuiono, Aureae Vallis abbati, obedientiam promiserit. Sed filiorum non oblita pia genitrix, hoc imprimis egit, ut hos secum Deo addiceret. Nec alter eorum, Henricus, magnopere obluctatus ad Auream Vallem divino sese obsequio consecravit, tanto eruditionis virtutumque profectu, ut caeteris denique cum suprema abbatis potestate anno 1214 praefectus sit; sed difficilior alter, spreto matris imperio consilioque aliquamdiu lubricum adolescentiae ingressus iter, postquam laxasset omnes cupiditati habenas, Deus maternis inflexus precibus, raptum nocturno ad tribunal spectaculo, quo judicis sententia tam horrendis poenis sibi visus est castigari, ut restitutus libertati, omnem illas cogitatum superare fateretur, haeseritque earum tam vehemens in omnem vitam memoria, nihil ut deinde in cisterciensium religione (quam in monasterio Trium Fontium amplexus est) occurrerit perpessu difficile et asperum, sed insigni locum hunc ordinemque sanctitate vitae exornarit. En quantum ab una hac muliere in totam familiam boni promanarit. Attamen, quod jure obstupescas, illa tot sanctorum operum in se aliisque propagatrix femina, tam severae cultrix vitae, tam salutis suae aliorumque cupida, nondum Deo satis placere visa est, quod aversionem erga maritum quondam conceptam, satis detestata non fuisset. Quare abstracta animo per visionem Christus severa comminatus est ob hoc delictum sententia, nec nisi per intercessionem supplicis Deiparae

Digitized by Google

intentatam sibi divinitus poenam subterfugere potuit. Unde reddita sibi majori deinceps severitate in se actionesque suas coepit animadvertere, nec quidquam vel suspicione noxae, infectum tolerare, adeo vero divinarum rerum contemplatione rapi absorberique, ut corpore quidem in terris, animo in coelis arctissimo cum Deo divinisque rebus nexu versaretur; jamque dolor illi laborque esset, ad se humanamque societatem reverti. Inter quae demum pietatis exercitia attenuato sensim corpore, postquam amplificato suis opibus nosocomio alias ad idem vitae institutum traxisset, anno salutis 1226 idibus januarii a Christo Deiparaque, ut ipsa significavit, praesentibus, ad vitam in coelis immortalem invitata transiit, suavissimo juxta tugurium concentu avium, licet hiberna coelum intemperie rigeret, inaudita id temporis musica applaudente. Ita sanctitati coelum terraque favet ac famulatur.

CAPUT XX.

Monasteria virginum ordinis cisterciensis.

Monasterium Sancti Thomae Cantuariensis, quod recens a martyrio S. praesulis in Eiffliae finibus exstructum ad Gelbim amnem, loco Erlersbeuren dicto, qui limes quidam dominiorum vicinorum Densborn, Seinsfeld, Malberg et oppidi Treverici Killburg est. Conditor loci celebratur Ludovicus miles, ex equestri stirpe Dudesfeldia, qui imperante Friderico I. sub Arnoldo Trevirorum archiepiscopo, et Giselberto, Hemmerodensi abbate secundo, ibi recepit institutum cisterciense anno 1170. Quantum in adscriptitiis colonis, pecudibus, agris, omnique possessione ac patrimonio illi fuit, universum in hunc parthenonem cum praestantissimis reliquiis Ss. profudit, duasque ibi Deo dicatas filias habuit, quae antistitum primae

Digitized by Google

fuerunt. Quarum frater Ludovicus pietatis gratia in Palaestinam profectus, ubi redux invenisset sorores deserto mundo addixisse se Deo, et ipse sacerdos factus, parochiam ibidem a parente fundatam ad dies vitae administravit, moriens coenobio addixit. Porro S. Thomae martyris et archiepiscopi oratorium anno Domini 1185 surrexit; at primaria basilica aõ 1222 sub Theodorico archiepiscopo dedicata est S. Dei Genitricis et D. Thomae honori. Anno 1225, quo Engelbertus archiepiscopus Coloniensis pro ecclesiastici juris defensione caesus est, vel maxime effloruit, Elisabetha abbatissa loci primordia exornante, quam Caesarius laudavit lib. II. cap. 16. actorum B. Engelberti, ubi et sanctimonialium in dioecesi Trevirensi coenobio nomen fuisse scribit ad S. Thomam, et ibidem martyris oratorium extitisse. Praeclare de hujus monasterii virginibus merita est Agnes Malburgi domina, cujus ex fratre nepos Rudolphus, cum quae matertera donarat, eripere studet, a Joanne archiepiscopo repressus est circa annum Domini 1230. Antistitum, quarum fama nomenque hucusque profertur, nobili genere, ornataeque nobilius virtute, abbatissarum titulo gaudent. In quibus tamen Ludovici fundatoris filiae nominetenus non exprimuntur. Earum syllabum D. Matthias Agritius, Himmerodii alumnus, ex archivo paulo ante suprema fata collegit, transmisitque ad posteros.

1. N. filia Ludovici fundatoris.
2. N. soror abbatissae prioris.
3. Mechtildis de Deinsbergh, vixit ad an. 1220.
4. Ida.
5. Elisabetha I. a Caesario celebrata, qui ad hujus parthenonis asylum virginem pudicitiae causa convolasse scribit, habitu sumpto virili aõ 1229. Occurrit abbatissa anno 1260.
6. Margaretha de Duna.
7. Lucia, vixit usque ad annum 1294.
8. Cunegundis de Duna.
9. Mechtildis de inferiori Manderscheid, occ. 1317, obiitque aõ 1350.
10. Elisabetha II. de inferiori Manderscheid.

Digitized by Google

11. Lucardis de Brandenburg, nata de Wittlich, occ. aõ 1378.

12. Margaretha II. de Runckel, obiit 1391.

13. Bela de Bourscheidt.

14. Catharina.

15. Elisabetha III. de Schöneck, Obrincana, obiit aõ 1402.

16. Margaretha III. de Brandscheidt, obiit anno 1410.

17. Anna, obiit aõ 1417.

18. Bela de Lissingen, obiit aõ 1434.

19. Margaretha IV. de Winnenburg.

20. Margaretha V. de Lahnstein.

21. Elisabetha IV. de Enschringen, occ. aõ 1494 et 1500.

22. Mechtildis III. de Enschringen, abdicavit ob senectam aõ 1527.

23. Maria Landolphin de Biedburg, anno 1528.

24. Oistgina de Winnenburg, obiit anno 1543.

25. Maria a Frocourt, aõ 1544 et 1557.

26. Anna de Lonzen condicta Roben, ob aetatem adjutricem habuit Claram de Manderscheid; obiit aõ 1591.

27. Maria III. ab Eltz, aõ 1592.

28. Margaretha VI. de Benzenrad, effigies vera pietatis et virtutis. Ita Matthias Agritius in indice olim transmisso. Abiit ad meliora anno 1611.

29. Anna III. de Lonzen dicta Roben, obiit anno 1636.

30. Anna Catharina de Kesselstatt, anno 1642.

31. Anna Catharina de Enschringen, anno 1664.

32. Anna Joanna a Metternich ex Rodendorf, coadjutrix praecedentis, confirmatur abbatissa 1665, anno vero 1667 incepit reparationem domus ruinosae.

33. Barbara Antonia a Duna, electa anno 1690.

34. Anna Apollonia Mohr a Wald, electa aõ 1718. Familia nobilium Mohr a Wald hodie extincta est.

35. Maria Theresia Isabella de Meuthen, electa aõ 1744.

36. Maria Anna a Gressenich, electa anno 1778.

37. Maria Victoria comitissa de S. Ignon, electa aõ 1781, obiit 13. septembris 1787.

Digitized by Google

38. Maria Catharina a Lestryeux, electa 15. octobris 1787, juravit 10. novembris 1787.

Elenchus secundus magistras collocat in alio modo, nempe: 1. N. de Deudesfeld, soror, et 2. filia fundatoris. 3. Elisabeth. 4. Lucia. 5. Kunegundis. 6. Mechtildis de Manderscheid. 7. Margaretha. 8. Elisabeth de Manderscheid. 9. Maria de Runckel. 10. Lucardis de Brandenburg. 11. Bela de Brandscheid. 12. Elisabeth de Schönecken. 13. Bela de Lissingen. 14. Anna. 15. Catharina. 16. Margaretha de Winnenburg. 17. Margaretha de Brandscheid. 18. Elisabeth de Enschringen. 19. Mechtildis, aõ 1526 defuncta. 20. Maria Landolph de Bittburg, obiit aõ 1528. 21. Ostgina de Winnenburg, obiit aõ 1543. 22. Maria de Frocourt, aõ 1557 defuncta. 23. Anna de Lontzen dicta Roben, electa aõ 1557.

Extat etiam tertius catalogus, sequentis tenoris: 1. N. de Deudesfeld. 2. N. de Deudesfeld. 3. Mathildis a Widenbach. 4. Ida. 5. Margaretha a Daun. 6. Elisabeth. 7. Lucia. 8. Kunegundis a Daun, aõ 1294. 9. Mechtildis a Manderscheid, aõ 1350. 10. Elisabeth a Manderscheid, aõ 1368. 11. Kunegundis a Brandenburg, aõ 1376. 12. Margaretha a Runckel, aõ 1381. 13. Bela a Brandscheid, aõ 1388. 14. Catharina, aõ 1402. 15. Catharina a Schönecken, aõ 1410. 16. Margaretha a Brandscheid, aõ 1417. 17. Anna, aõ 1439. 18. Bela a Bettingen, aõ 1444. 19. Margaretha a Winnenburg. 20. Margaretha ab Hundheim. 21. Elisabeth ab Enschringen. 22. Mechtildis ab Enschringen, aõ 1510. 23. Maria Landolf, aõ 1528. 24. Christina a Winnenburg, aõ 1543. 25. Maria de Frocourt, aõ 1557. 26. Anna de Lontzen, aõ 1591. 27. Maria ab Eltz, aõ 1593, &c.

Monasterium ad Macram, virginum item nobili satu amoeno secessu, juxta Mosellam infra Berncastellum oppidum, ripa sinistra, vulgo Macheren appellatum, fundatur anno 1238 septimo idus junii, per Adolphum praepositum S. Paulini. Origine par caeteris, quae de familia cisterciensi, sed literis parum custodita, aut certe suppressa. Vixit olim ibi datus parthenio coetui custos Philippus Romaeus, qui tabulis literisque a pulvere

Digitized by Google

extersis, et ab oblivione, quoad potuit, vendicatis, haec pauca abbatissarum saltem nomina in medium protulit:

Maria de Platten.

Christina ab Esch.

Anna de Bullingen.

Catharina de Lesura, aõ 1555.

Catharina Zand, aõ 1574.

Maria de Metternich, electa aõ 1576.

Odilia de Ahre.

Regina Catharina Braun a Schmidtburg, anno 1665.

Regina Odilia a Fels.

Inter Sanctorum reliqüias hic spectatae S. Everhardi, levitae, et caput S. Cornelii, papae et martyris, quorum et patrocinium efficax et advenis expeditum avertendo morbo comitiali. Unde frequens ibidem accursus et crebra anathemata, praesertim infantium ab epileptico malo liberatorum.

Series magistrarum auctior.

Aleydis, occ. aõ 1280.

Juliana, aõ 1295.

Poncetta, occ. 1305—1341.

Himmegardis, Irmengardis, 1313 et 1317.

Elsa de Merinck, 1354.

Lisa, occ. 1357—1378.

Irmengardis de Wittlich, occ. aõ 1400.

Barbara, aõ 1437.

Catharina Specht, de Treviri, occ. aõ 1439, resignavitque subinde; »quondam domina in Macheren« dicitur in instrumento donationis, ab ipsa peractae die dominica post festum Epiphaniae 1445.

Aleydis de Ley, aõ 1444.

Margaretha a Dalberg, occ. aõ 1445.

Gertrudis, aõ 1449.

Margaretha de Platten, sive de Wittlich, aõ 1453, 1462 et 1473.

Digitized by Google

Margaretha de Lieser, aõ 1477.

Christina ab Esch, 1482—1528.

Anna de Düllingen, electa aõ 1528, occ. aõ 1543.

Catharina de Lieser, aõ 1550 et 1555.

Catharina Zandt a Merl, aõ 1574.

Maria de Metternich, electa aõ 1576, occurrit usque ad annum 1601.

Odilia ab Ahr, occ. 1606—1630.

Catharina Mohr a Wald, occ. 1633—1646.

Regina Catharina Braun de Schmidtburg, 1646—1664.

Regina Odilia von der Fels, 1665—1670.

Maria Catharina Mohr a Wald, 1670—1680.

Maria Ursula a Metternich ex Burscheid, electa 1680, obiit 12. januarii 1727, aetat. 72, prof. relig. 56, dignitatis abbatialis anno 47.

Maria Theresia Antonia de Kolb, electa aõ 1727, obiit 1. julii 1766, aetatis 73, professionis religiosae 56, dignitatis abbatialis anno 40mo.

Anna Joanna Philippina a Falkenstein, electa 21. julii 1766, occ. aõ 1794.

Carlotta de l'Atre de Feignies, hucusque priorissa, obiit .... julii 1804.

Monasterium S. Catharinae supra montem Linz. Hic vetus loci titulus, qui prope a Lincio oppido, ditionis Coloniensis, ad Rhenum fluvium. Sedes ea virginibus tunc nobilibus, consentiente Mechtilde, olim comitissa de Seyne, attribuata a Gerhardo Renneburgi domino, et Benedicta, uxore, aõ 1208. Arcis gentilitiae reliquiae in vicino hodie monte videntur. Henrico II. archiepiscopo Trevirensi concertatio de finibus cum Coloniensi antistite fuit, sed dioecesis Trevericae jus potius virgines secutae sunt. Commissio hujus parthenonis abbati Hemmerodensi obtigit ab Henrico de Vinstingia, archiepiscopo Trevirorum anno 1281. Non aliud monasterium sanctimonialium pluribus gaudet lipsanis Sanctorum, quorum singulari gratia diu fuit conservatum in observantia religiosa. Verum tempestate belli Suecici sacrilega factione anno 1631 penitus

incineratum; mox a ruina coepit insurgere anno 1636 industria et labore non modico hodiedum superstitis abbatissae Veronicae.

Abbatissae ad S. Catharinam.

Aleyde, 1270.
Christina de Güls, 1333, 1335.
Lutwigis, 1343.
Guda, 1358.
Catharina, 1365.
Paulina de Selbach, 1368, 1388.
Hilla de Selbach, 1390.
Cunegundis, 1396.
Hilla de Wederstein, 1406, 1420.
Gertrudis de Berenkot, occ. aõ 1513 et 1518.
Anna de Blanckard.
Maria de Holtzsadell, aõ 1558 et 1569.

Catharina de Blanckard, Joannis de Blanckard in Burgsahr filia, velata aõ 1558, abbatissa aõ 1580. Agmen illa claudit abbatissarum equestris ordinis, cum per injuriam temporum conventus coactus fuisset, admittere novicias plebeiae conditionis.

Clara, ex Ediger, occ. aõ 1615, 1624, 1626, 1629, obiitque aõ 1632.

Magdalena Flad, occ. aõ 1634, obiitque anno 1636.

Veronica Knod, occ. 1636—1672, obiitque aõ 1674, tempore paschali.

Catharina Küntzer, occ. aõ 1674, nec non 1698, mense majo, obiitque eodem anno 1698.

Anna Maria Cludt, occ. 20. julii 1698, nec non aõ 1710.

Johanna Catharina Gaman, occ. aõ 1714, mense januario, nec non 1717, 1727—1745.

Maria Josepha Thoma, occ. 1749—1772.

Maria Josepha Driesch, 1774—1777.

Maria Walpurga Queng, 1778—1803.

Digitized by Google

Suppreſſions-Protokoll

vom 31. Auguſt 1803,

aufgenommen von dem Naſſau-Uſingenſchen Commiſſair, Hofrath Dormann, von Altenkirchen.

1. Aebtiſſin, Maria Walpurga Queng, aus Coblenz, 67 Jahre alt, und 50 davon im Kloſter verlebt. 2. Priorin, Franciſca Volcks, aus Linz, alt 56, im Kloſter 42 Jahre. 3. Kellnerin, Maria Thereſia Queng, aus Coblenz, alt 52, im Kloſter 37 Jahre. 4. Clara Thereſia Deutſch, aus Hönningen, alt 59, im Kloſter 40 Jahre. 5. Aloyſia Monreal, aus Coblenz, alt 56, im Kloſter 37 Jahre. 6. Bernarda Kalkofen, aus Coblenz, alt 51, im Kloſter 37 Jahre. 7. Maria Joſepha Frohe, aus Montabaur, alt 48, im Kloſter 27 Jahre. 8. Maria Walpurga Schäfer, aus Vallendar, alt 40, im Kloſter 23 Jahre. 9. Maria Edmunda Nolden, alt 42, im Kloſter 23 Jahre. 10. Joſepha Franciſca Obladen, aus Cöln, alt 41, im Kloſter 22 Jahre. 11. Benedicta Wiltmann, aus Rheinbrohl, alt 64, im Kloſter 47 Jahre (iſt blödſinnig). Sämtlich Profeſſen. 12. Catharina Siery, aus Ransbach, Layenſchweſter, alt 53, im Kloſter 30 Jahre. 13. Propſt: Friedrich Zaun, aus Dorndorf, alt 53 Jahre, Propſt hierſelbſt ſeit 1791.

Monasterium virginum ad omnes Sanctos Wesaliae, amoeno et pervetusto ad Rhenum oppido superest, vel eo nomine non obscurum, tum quod antiquissimum hoc virginum sacrarum domicilium tempore S. Willibrordi inchoatum feratur, tum quod exclusam a vicino Bacharaco apostatante reliquiarum sanctimoniam castiori cultu suscepit. Origo ignium populatione labefactata duplici; postrema ante 200 annos accidit, a cujus clade benignas manus virgines expertae sunt, tam gentis ibidem clarae Schönenbergiorum, quam olim fundatricem habuit, quam civium et aliorum fidelium, pontifice maximo indulgentiarum liberalitate piorum hominum subsidia provocante. Visitationem in Palatinatu S. Disibodi primitus respexit abbatem, quo ordinem simul et fidem orthodoxam, serpentibus undique haeresibus, rejiciente circa annum 1532, sub brachii saecularis

Digitized by Google

gubernatione sensit inopiam extremam, donec authoritate Joannis archiepiscopi Trevirensis et Nicolai Boucherat, generalis ordinis cisterciensis, anno 1574 abbati Hemmerodensi fuit creditum. Maria Justina Kröschel, abbatissa, occ. 1762—1794.

Monasterium Vallis Rosarum, vernacule *Rosenthal,* quatuor circiter passuum millibus a Mosella visitur in vasta solitudine juxta rivum apud Pomeren se exonerantem subter Clottenam in fundo paroeciae Nassoviensis curiae, votiva paupertate quam censu locupletius. Originem duxisse creditur a comitibus de Virnenburg, pro nobilibus excitatum virginibus, paulo ante monasterium S. Thomae Cantuariensis episcopi, circa annum Domini 1169, quamvis pervetus scriptura sic loquatur: »Theodoricus de Wesalia b. mem. initiator et auctor nostrae ecclesiae in Rosenthal.« Subditum est inspectioni abbatis Hemmerodensis a Benedicto summo pontifice, VI. calend. februarii, pontificatus ejus anno primo.

Abbatissae in Rosenthal.

Irmengardis, occ. aõ 1322, 1328, 1331, 1337, 1347. In literis de aõ 1328 occ. Irmengardis de Schonenberg, subpriorissa, Lucia, ejus soror, cantrix, nec non Irmengardis de Halle, monialis.

Lucia, occ. aõ 1350 et 1357.

Demudis, aõ 1369.

Elisabeth, aõ 1381.

Catharina a Scharfenstein, 1410, 1416, 1430, 1442.

Eva a Metternich, occ. aõ 1540.

Walpurgis a Virnenburg, occ. aõ 1546, 1551, 1553, 1565. Ultima nobilis sanguinis abbatissa.

Elisabeth Castell, Coloniae nata; occ. aõ 1587.

Catharina Esch, aõ 1622.

Anna Catharina Kelter, aõ 1627 et 1628.

Anna Maria Keess, 1679, 1685.

Anna Gertrudis Müller, sive Molitoris, 1686, 1712, 1717.

Elisabeth Ehll, aõ 1731.

Maria Catharina Müller, 1735—1771.

Maria Rosa Pellenz, 1772—1794.

Maria Rosalia Bachers, aõ 1796 et 1799.

Monasterium Pontis Leonini, apud Treviros, suburbana via, quae versus meridiem ducit ad S. Matthiam, adjacet praeterfluenti Oleaceo rivo, qui torrentibus auctior pontem non magnum sustinet, in honorem olim Leonis papae constructum. Magno exinde commeantium emolumento originis clariora vestigia clades et vastitas loci sustulit, una cum vitae subsidiis, quibus fretas virgines plures Christo hic aliquando famulatas, easque nobili domo profectas opinio est. Nicolai IV. pontificis diploma proferunt, quo favisse coetui anno 1289 doceri potest, Gregorius IX. autem visitationi Hemmerodensis abbatis subdidit VI. calend. junii, pontificatus anno VI.

Monasterium hoc, quod Hortus deliciarum et inde Pons Leonis appellatum, liberalitate familiae nobilis Trevericae, quam vulgo de Schöler dixerunt, fundatum circa annum Domini 1156 sub Adriano IV. papa et Friderico I. imperatore ex veteris schedae testimonio cognoscimus, qua in familia Ordulpus Scholerius, senatus princeps, id temporis eminebat, Trevericae historiae non ignobilis scriptor, anno 1323 ibidem in templo tumulatus.

Virginum praestites abbatissae, prae ceteris laudatae.

Jutta, occ. aõ 1317.

Catharina, aõ 1365.

Margaretha Treissia, odei et coenaculi architecta, ad annum 1474.

Hildegardis a Steziis, quae ex egestatis aerumna ad annum 1500 jacentes virginum fortunas excitavit. Iterum pleraque hujus monasterii aedificia nobiliora cum ipso templi tecto perierunt incendio in civitatis Trevericae obsidione, anno 1632, dum Anna Magdalena abbatissa, modico solatio pecuniario per belliducem Gallicum adjuta, pro viribus omnia reintegravit.

Anna Scleiffort praefuit usque ad 1513.

Margaretha Schwibel, attigit annum 1521.
Apollonia Nassovia, obiit anno 1540.
Maria Uerzig, usque ad annum 1557.
Barbara Schwarzbach, desiit aõ 1572.
Lucia Trier, 1582.
Apollonia Enz, 1602.
Elisabeth Dezem, decessit aõ 1608.
Anna Pfaltz, ex monasterio Clarefontano postulata.

Ejus parthenonis suprema cura quondam abbati Villarii de Bethnach commissa, denique a Gregorio IX. pont. maximo abbati Hemmerodensi demandata est, literis datis Spoleti VI. calend. julii pontificatus ejus anno sexto.

Asservantur in hoc sacro domicilio ex sodalitio D. Ursulae virginum capita ad septem supra quadraginta, et pars semicinctii, quo Christus in cruce velatus est. Porro hoc monasterium anno Christi 1674 a Gallis urbem occupantibus, munientibusque dirutum est, ut nimium muris propinquum, quando carthusia illi vicina jam ante dejecta erat. Neque spes reparationis apparet, unde virgines ad urbem translatae sunt, ubi monasterium, S. Annae dicatum, habitarunt usque ad annum 1803. Aloysia de Gessner, abbatissa ad S. Annam, occ. 1760—1770. Successit aõ 1771 Anna Jacoba Fröauf, aõ 1782 defuncta. Roberta Pacen occ. 1783, obiitque 1793.

Monasterium in Lehra, apud Confluentes, parte civitatis dextra, quam vinetis occupant incolae. Benigna, filia domus de Helffenstein, sive, ut alii, de Ehrenbreitstein, literis antiquis fundatrix celebratur novelli coenobii, quod claustrum S. Mariae, ordinis cisterciensis appellarunt primae religionis alumnae, estque anno 1242 inchoatum. Supersunt et hujus Benignae codicilli, quibus affirmatur ad annum 1293 adhuc fuisse in vivis, et anno 1258 ecclesiae exstruendae stipem undique corrogatam literae piaculares testantur, a Joanne de Diest, Lubicensi episcopo 1258 concessae, quibus invitat fideles ad basilicae structuram stipe juvandam, quam ancillae Dei, magistra videlicet et conventus sanctimonialium cisterciensis ordinis retro

Lere in honorem Dei matrisque ejus, coeperant moliri. Curae abbatis Himmerodensis subditur bulla Clementis IV. papae, consentiente Henrico archiepiscopo Trevirorum. Denique invenitur aõ 1290 a Boemundo archiepiscopo principem aram dedicatam. At orbe hoc circumacto, cum Jacobo archiepiscopo placuisset, societatem Jesu Confluentiam evocare, anno 1580 Gregorii XIII. authoritate virgines in Rheni Insulam inferiorem migrarunt, cedentibus, qui istic domicilium habuerunt, Windesheimensis congregationis reliquis duobus adhuc canonicis regularibus. Atque ita Lehra novo istic societati Jesu constructo fundatoque a Joanne Schönenbergio, archiepiscopo Trevirensi, collegio mutata est, Inferior Insula majori religiosarum virginum frequentia cultuque nobilitata. Quanquam non deessent principio quo restitarent nollentque urbe discedere virgines, inter quas Gutta abbatissa jactabat morituram sese ante, quam loco cederet. Quod sive illa ut vates enuntiaverat, sive ut votum annuente Deo assecuta sit, in fatalem sese componens lectum, eodem anno complevit, ultimumque sui ordinis in templo Lehrano funus juxta altare Divae Virginis, sub tali epitaphio condita est: *Guttae de Mertlach hujus monasterii abbatissae, quae tempore translati hujus conventus cisterciensis in Insulam infra Confluentiam animam Creatori suo reddidit, et hic sepulta conquiescit. Anna Meser de Horchem ei in dignitate et officio succedens, posuit. Obiit XXII. Septembris anno MDLXXX.*

Series abbatissarum.

1. Benigna ab Helfenstein, aõ 1242.
2. Adelheidis de Wederstein, aõ 1301.
3. Sophia de Mertloch, aõ 1306.
4. Suanildis de Stein, aõ 1308.
5. Paulina, 1323 et 1327.
6. Aleydis, 1331.
7. Paulina, iterative 1338, 1343, 1345.
8. Hedewigis, electa 1350.

Digitized by Google

9. Elisabeth, electa 1359.

10. Gertrudis, occ. 4. maji 1362.

11. Agnes, 1366 electa.

12. Suanildis, 1384.

13. Elsa a Montabaur, aõ 1392.

14. Stina de Stockheim, occ. 3. februarii 1395 m. Trev., nec non 15. martii 1405.

15. Catharina Schilling de Lahnstein, electa 1429, occ. 1446 et 1457.

16. Elisabeth Schilling de Lahnstein, occ. 13. maji 1466, 1469 et 1482.

17. Catharina de Cleeberg, aõ 1483, 1488.

18. Adelheidis Fryen, aõ 1491.

19. Helena Basels, aõ 1536 electa.

20. Guta Bolen, de Mertloch, electa 1567, obiit 22. septembris 1580.

Abbatissae in Insula.

Anna Maria Meser, Horchemensis, electa 26. septembris 1580, occ. aõ 1607.

Maria Thorney, Confluentina, electa 24. januarii 1608, obiit aõ 1610.

Anna Durschug, Confluentina, electa 2. decembris 1610, obiit 1612.

Catharina Gereon, Confluentina, electa 14. maji 1612, obiit post regiminis annos 45, menses 9, anno 1658.

Maria ab Uefflingen, occ. aõ 1654, 1663, 1666.

Anna Renata ab Uefflingen, occ. aõ 1669, 1691, 1697.

Maria Catharina Sinner, occ. aõ 1707, 1708, 1711.

Catharina Scholastica Doetsch, occ. aõ 1719, 1721, 1723.

Maria Bernarda Paccius, occ. aõ 1736 et 1738.

Anna Margaretha Gaman, occ. aõ 1741, 1742, 1767, 1770.

Maria Bernarda Paffrath, occ. aõ 1771, 1777, 1780.

Anna Humbilina Claus, occ. aõ 1781, 1785, 1787, 1794.

Monasterium Warshemium, seu Wallersheim,

ad sinistram Rheni fluvii prope Confluentiam, a multis retro temporibus, videlicet circa annum 1278, ad cisterciensem familiam sub archiepiscopo Henrico sese aggregavit; Joanne marchione Badensi, Trevirorum etiam archimista idipsum renovante et confirmante diplomate, anno 1469, duodecimo mensis februarii.

Abbatissae in Wallersheim.

Benedicta Gertz, occ. 1762—1781.

Maria Scholastica Finck, mundo Anna Maria dicta, occ. 1782—1794, obiitque Confluentiae, 15. novembris 1808. Erronee dicitur Victoria. Occ. aõ 1770 in officio priorissae, nata erat aõ 1724.

Monasterium Namedey,

sive a fundatoribus, sive a loco, seu, ut alii volunt, a nomine Dei sic dictum, prope ab Andernaco, fundatum esse creditur a militibus de Summersberg, vocatis Romeschutel: non modicum contribuentibus generosis nobilibus de Huismann a Namedey. Cum memoria patrum insigni pudicitia et religionis contubernio floruisset, tandem utroque archiepiscopo Trevirensi et Coloniensi mandata dirigentibus, ut antiquae habent literae, ex defectu personarum religiosarum alio translatum est. Redditus in territorio Coloniensi urbi Andernacensi cedunt, partim ecclesiae, partim cantoribus et ludimoderatoribus. Bona Trevirensia Jacobus ab Elz, archiepiscopus, aõ 1573, die 28. augusti, abbatiae in Insula superiori donavit, de decimis in Kretz 15, de curia in Ettringen 18 maldra siliginis annuatim, &c.

Abbatissae in Namedey.

Elisabeth, occ. 1270 in crastino purificationis, 1280 et 1288.

Hellinburgis, 1327.

Digitized by Google

Alveradis, 1360.
Carissima, 1368 et 1373.
Hilla de Mudersbach, 1399, 1400.
Catharina de Bell, 1409, 1414.
Gutgin van Esch, 1447.
Hildegardis Husmann de Namedy, 1518, 1535, 1559.

Monasterium Alfolderbach.

Coenobium illud in pago Einriche, et tractu capituli ruralis in Marienfels, non procul a villa Müllen situm, fundatorem habuit Rupertum comitem Nassovicum, qui anno 1222 ecclesiam a fundamento erexit, Theodorico de Weda, archiepiscopo Trevirensi fundationem confirmante (Orig. Nassov. parte I. pag. 427). Alias literas confirmatorias dedit Arnoldus II. archiepiscopus, aõ 1258. Perstitit in Alfolderbach regularis disciplina ad annum 1544, quo sequens diploma Joannis Ludovici, archiepiscopi Trevirensis prodiit:

»Joannes Ludovicus &c. Ad futuram rei memoriam. Universis et singulis presentibus et futuris, notum facimus et manifestum. Pastoralis curae officium, quod ab altissimo nobis creditum est, nos hortatur et admonet, ut circa ecclesias et monasteria nostrae dioecesis propensius cogitemus et eis opem operamque nostram prebeamus efficacem, ne bona, fructus, redditus et proventus eorundem aufferantur ab eisdem et in alios quam deputati sunt usus, convertantur. Cum itaque, sicuti accepimus, monasterium sanctimonialium in Affolterbach, ordinis cisterciensis, dictae nostrae dioecesis (in quo abbatissa et sanctimoniales Deo inibi famulantes esse consueverunt), ipsis fere omnibus defunctis et nullis aliis sanctimonium facere et Deo dicari, dictumque monasterium ingredi affectantibus personis ita sit destitutum, penitusque in desolationem collapsum, ut divinus cultus ibidem non amplius vigeat nec observetur. Ne igitur ob desolationem et destitutionem hujusmodi bona, fructus, redditus et proventus dicti monasterii desolati

Digitized by Google

in usus perveniant prophanos, sed potius, ut par est, aliis ecclesiis seu monasteriis pro divini cultus incremento, applicentur et reddantur. Cumque testimonio fidedignarum personarum edocti simus, quod in monasterio sanctimonialium in Walstorff, ordinis S. Benedicti, praefatae nostrae dioecesis, sint abbatissa et sanctimoniales, de nobili ac militari genere procreatae, quae etiam gravissimis his temporibus, quod mirum videri potest, valde devote Deo ibidem servientes et horas canonicas psallentes, honestae vitae disciplinam et regulam professae, laudabiliter observent atque custodiant. Nos propterea in earum favorem et gratiam non inmerito moti, atque ut proposito tam pio inhaerere et orationibus horisque canonicis commodius vacare, divinumque cultum augere possint et valeant, ad preces et humilimam supplicationem earundem abbatissae et conventus dicti monasterii in Walstorff, eisdem et dicto earum monasterio, omnes et singulos fructus, redditus et proventus ac quaecunque bona et jura, mobilia et immobilia, culta et inculta, ad dictum monasterium in Affolderbach hactenus spectantes et spectantia, ubicunque et in quibusvis rebus consistentes et consistentia, in augmentum divini cultus perpetuo, authoritate nostra ordinaria appropriavimus, univimus, annexímus et incorporavimus, prout per presentes appropriamus, unimus, annectimus et incorporamus. Volentes tamen, quod si quae sanctimoniales dicti monasterii in Affolderbach in humanis adhuc superstites egerint, eisdem per abbatissam et conventum in Walstorff de victu et amictu decentibus et necessariis, earum vita durante, honeste provideri, ac jura nobis et ecclesiae nostrae Trevirensi et cuivis alteri hactenus per abbatissam et conventum pro tempore in Affolterbach prestita et debita, deinceps et futuris temporibus per dictos abbatissam et conventum in Walstorff prestari et persolvi, quae per praemissa nobis et successoribus nostris ac ecclesiae nostrae Treverensi, et cuivis alteri illaesa reservavimus et per praesentes reservamus. In quorum fidem et testimonium sigillum nostrum hisce literis est appensum. Datum vicesima die mensis februarii anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo quarto.«

Digitized by Google

Walsdorffii sortem dein monasterium in Alfolderbach consecutum est.

Gnadenthal.

In meditullio Cambergiam inter, et Kirbergam, grata valle, quam sylvae montibus insitae coronant, situm habuit. Abbatia erat nobilitatis avitae sequioris sexus ex praescripto regulae S. Bernardi, Deo inservientis. Fundatores habuisse fertur comites Nassovicos, qui multis beneficiis, praerogativis, et regalibus parthenonem distinxerunt. Hodie ecclesiam in stabulum, refectorium in granarium, altare in praesepium immutata dolemus. Vallis Gratiae evasit erroris, et vertiginis. Sub eminentissimo nostro Jacobo ab Eltz archiepiscopo (teste Mechtelio) abbatissa venit Monthaburum laicali habitu induta, consilium auxiliumque contra Nassovicorum praedicantium vim, illatamque templi imaginibus injuriam imploratura. Ast princeps non dignabatur eandem audire, sed jussit resumere cappam, atque cum decentia redire. Abiit illa, et non diu post transiit ad nuptias. Huic suffecta est Magdalena ab Irmentraud, quae laudatae parsimoniae, sed Calvini sectatrix, multis annis praefuit, coenobitasque in hunc ordinem redegit, ut liceret singulis quidem nubere, sed nuptae non auderent pecunias investiturae repetere, de caetero vestitus esset tam intra, quam extra monasticas sepes vel niger, vel niveus.

Thron.

Parthenonis sanctimonialium nobilium sub regula S. Bernardi ordinis cisterciensis anno 1242 fundamenta posuit Gerhardus comes Deciensis, ejusque conjux Agnes. Situm obtinuit in tractu Wetteraviae, quondam Moguntinae, nunc Trevirensis dioecesis, parochiaeque Werheim fuit inclavatum. Ecclesia erat Divae Virgini dedicata, abbatissa vero cum suis monialibus abbati in Rommersdorff subjecta. Proventus coenobii fuere uberrimi, ita, ut praeter census, sylvarumque emolumenta 2400 maldera

Digitized by Google

siliginis, mensurae Moguntinae, non computatis hordeo, tritico, et avena annuis in redditibus numeraret. Prod. hist. Trev. pag. 1135.

Disciplina claustralis coepit indormiscere, cum dogmata Lutheri has in oras penetrarent. Historiam exponit Mechtelius, »Hypothecarius, nobilis Fridericus a Reiffenberg, quem vulgo dixere den Herren Oberſten zu Sayn (cui pars Treverensis satrapiae Werheimensis oppignorata erat), putabat, omnino suarum partium esse, ne nobilis et virginalis conventus detrimentum pateretur, advigilare quomodo autem et quam probe vir militaris in castris enutritus, unde scivisset? Sed habuit in utraque hypotheca, Camberg et Werum, quaestoris nomine Gerlachum Urant (qui adhuc hodie superstes est), de quo in diverbio: si quid recte curatum velis, huic demandes. Cui quoque nobilis iste injunxit attendere, ne quid indebite factum praeteriret impune, et quo accuratius, debuit nobilis conventus magistra ipsum Gerlachum suis praeficere rationibus, et qui esset religione medius inter calvinistam et lutheranum, nimia sagacitate praeditus, optime dissimulare didicerat.

»In illo tempore Gerlachus, et praedicans de Werum erant duo lumina Thronensis coenobii, Gerlachus temporalia, praedicans procurabat divina, nec deerat, qui deferret ad principem dominum electorem Trevirensem, Jacobum ab Eltz. Archidioecesanus Moguntinus autem indormiisse videtur.

»Reverendissimus dominus Jacobus ab Eltz, archiepiscopus Trevirensis, forte nescius, quod provincia haec ad dioecesanum Moguntinum pertineret, datis literis ad abbatem in Romersdorff et ad nobilem hypothecarium, singulos sui officii, serio et minaciter, admonuit, et ut nobili, fragilique sexui diligenter attenderent, mandavit. Abbas ex Romersdorff, una cum juveni, sed non indocto monacho ad praedictum locum in Throna venit, visitavit, reformavit, et eundem fratrem monachum sacris praefecit, Gerlacho temporalia commisit, rediitque ad suos. Fidelis Gerlachus Urant, quo praedicanti jam eliminato denuo aditum pararet, omnem quaesivit occasionem, ac semel atque iterum nactus monachi

prioris soliloquium his vel similibus verbis usus est. Lieber Herr, verziehet mir ein Wordt, ich glaube und vermeine ſehe es an Euw. Angeſicht, daß ihr mehr weltlich alß geiſtlich ſeyt. Zudem wäret ihr ein junger, feiner Herr, und gelehrt genug, anderswohe Gott und der Welt beßerer alß alſo in dieſer Wiltnuß zu dienen. Verbis addidit promissa, si excussa, abjectaque cuculla profugeret, se ipsi annuum stipendium, salarium inquam 8 dallerorum, duplicare et anticipare, sive in antecessum dare, ne fugae adminicula deessent. Der junge Herr Prior ware der Sachen zufrieden, nahme an Gelt und gute Wordt, gienge darvon ins Luthertumb. Sed quid hic iterum consilii? Tam generosam familiam pastu salvifici verbi fraudare, donec nuntius novae rei curreret ad abbatem et ad aulam archiepiscopi, magnum foret piaculum. Timendum quoque, ne familia, deserto famulato, ultro abiret. Decretum itaque inter magistram venerabilem, et Gerlachum fidelem, praedicantem ex Werum non quidem evocare, sed tamen ultro venientem, pro honore Nassovicae dominationis admittere, donec aliter mandaretur.

»Nuntius diu post reversus ex aula archiepiscopi Trevirensis, et a nobili Friderico hypothecario cum fasciculo literarum unius ejusdemque argumenti, quo venerabili abbatissae praecipiebatur, mandabatur quoque Gerlacho, sub interminatione gravissimae indignationis, den Praedicanten vor allen Dingen abzuſchaffen.

»Gerlachus Vrant exspectavit horam, qua ex condicto praedicans in Thron suggestum ascenderet. Illico Gerlachus cum fasciculo literarum et nobilis hypothecarii satellite, ceu fulmen coeleste ingressus ecclesiam, mandavit silentium, quo reverendissimi domini Trevirensis coram omnibus lectis literis mandatum publicaret, et de suo addidit: So hoch, alß er da im Nahmen Ihrer Churfürſtlichen Gnaden, und ſeines gnädigen Juncken, des geſtrengen Herren Oberſten, hätte zu gebieten ꝛc. Sed praedicans intulit ex actorum 5to capitulo, oportere Deo obedire magis quam hominibus, peragensque concionando horam detrivit. Tum demum Gerlachus coram toto auditorio protestatus est &c.

»Erat in aula Trevirensi nobilis Philippus a Reiffenberg, generalis aulae seu provinciae praefectus, a consiliis, hypothecarii in Werum agnatus, cui negotium Thronensis coenobii uti concreditum, ita perspectissimum esse putabatur. Hunc informabat Gerlachus de prolapsione sanctimonialium, religionisque, et de praedicantis indurata cervice et contumacia &c., unde in consilio loqueretur, erudiretque principem dominum electorem. Intervenerunt literae abbatis, visumque est principis Trevirensis secretiori consilio, accersiri Gerlachum, de multis interrogare, et comminus audire, qui condicta die Confluentiae comparuit, Fridericus literas addidit ad suum agnatum» Philippum a Reiffenberg. Abbas ex Romersdorff ultro suo juri cedere visus est.

»Gerlachum Vrant intra parietes secretioris consilii admissum, nunc princeps elector, nunc vero Philippus, der Landthoffmeiſter, interrogarunt, post multa tandem archiepiscopus princeps elector non conclusive, ob er bey ſeinem guten Wißen und Gewißen alles wahre ſage, was geſchrieben, oder des Throner Cloſter Ohnweſen alda vorgebracht und geſagt worden? Antworte Gerlachus manu dextera levata ad praecordium usque, ja gnädigſter Churfürſt vnd Herr, bey meinem Gewißen, und ſo wahr daß Fleiſch und Blut iſt ꝛc. Iterum princeps, ob er keinen guten Vorſchlag dan wüſte, wie daß Cloſter in vorigen Ehrenſtandt wieder zu bringen ſeye. Et Gerlachus prorsus negando ait: nein, nein, gnädigſter Churfürſt und Herr, und wan man auch daß Cloſter oben zuwölbete, ſo wolte ers nit verbürgen, die Nonnen bey Ehren zu erhalten. Idipsum quoque nobilis Landthoffmeister adstruere non dubitavit, auditoque, ingemiscens princeps ait: wohlan, ſo dan kein Mittel, dieſer Sachen ꝛc., wolte Ihro Churfürſtliche Gnaden die beyſitzende Räthe zu Gezeugen angelangen, und wegen dieſes heutigen Rathsſchluß über daß Cloſter Thron ſich ohnſchuldig gemacht haben, ꝛc.

»Decretum ex tempore, scribere Nassovico comiti in Tillenberg, quo cuncta communicato consilio fierent. Et Gerlachus Vrant risit in sinum suum.

»Omnia praemissa, vel saltem formalia, pleraque, ex ore ipsius Gerlachi Vrantii transsumpsi annis 1598 et 1599, quibus ego licet immeritus Cambergae pastor, eo ipso vicino meo familiariter usus sum. Negotium Thronensis coenobii utriusque domini quaestoribus demandatum est, quorum adventu nedum exspectato, pleraeque sanctimoniales prolapsae sunt, vel diu erant ante. Erecto inventario, praedia, decimae, census, horti, agri, sylvae &c. manere indivisa, exceptis curia in Francofurt, et praedio in Niederbrechen, quae sic compensantur, ut Nassovius sibi desumeret curiam in Francofurt,, quam dixere der Throner Hoff (atque nunc revendidit nobili caesareae majestatis capitaneo, N. a Schonburgk, domino in Hartelſtein), Trevirensis vero elector curtem in Niderer Brechen retineret. Gerlachus Vrant spinetum carbonarium, vulgo die Throner Heck bey Dunnebach, et circa Widergis agros, prataque, si vel dono, ob tam egregie novatam operam, vel locato teneat, non accurate memini.

»De suppellectilibus sic concordatum esse inter utrumque dominum audivi, ut Nassovicus omnem profanam suppellectilem acciperet, quo sacram omnem gazam salvaret archiepiscopus Trevirensis. Et factum, ut brevi post imago B. V. M. cum tabernaculo inferretur in Villae Mariae templum. Senatus Francofurtensis, auditis his, quae circa Thronensis coenobii statum facta essent, omnes obseratas arcas scriniaque extulit, recepitque in suam custodiam; detinuit ultra annos 30, at jam pridem reddita sunt utrique domino conjunctim omnia.«

CAPUT XXI.

Monasteria ducatus Luxemburgici.

Monasterium Clarifontanum, ditionis Luxenburgicae, haud procul Areluno, in opaco nemorum recessu situm est, loco ad vitam coenobiticam perquam commodo et amoeno. Nomen a

limpidissima fontis illic prosilientis scaturigine sortitur, quamvis Germanica voce apud vulgus Bardenburgum dicatur, ab antiquo castro, cujus etiamnum ruinae quaedam supersunt. Originem illius ad Ermesindam, Henrici Luxenburgici et Namurci comitis filiam, et Theobaldi Luxenburgensis etiam comitis uxorem, scriptores et annales monasterii referunt, quam ex Chrysostomo Henriquez, ejus loci diligenti exploratore, ejusdem fide exponere non pigebit. Memorat fundationis ejus domus, ut ait, historia, Ermesindam pomeridiano quondam tempore egressam castro, haud procul a fonte ad pedem montis, aurae amoenitatisque perfruendae gratia consedisse sub quercu, atque illuc in dulcem somnum resolutam, per quietem vidisse matronam specie decoram ac majestate venerandam, quae formosissimum complexa ulnis infantem per declivia collium ad fontem usque progressa, istic consedit, ad quam deinde affluere circumquaque oves visae quam plurimae, vellere quidem candidissimo, sed quas niger a collo per dorsum vergens balteus, atque idem per umbelicum pectusque ad collum usque recurrens, grata varietate cingebat. Quas omnes manu demulcere et velut ad sinum blandiendo visa est domina illa admittere. Ermesinda fugiente somno, cum ad mentem rediisset, spectaculum hoc mysterio nequaquam vacuum esse sensit, nec suae sat fidens interpretationi, celebratum istic sanctitatis nomine anachoretum invisit. Qui re, ut erat, cognita, Deoque in precibus commendata, significavit, Deiparam istic (sub illa matronae specie visam) cisterciensis ordinis religiosas virgines, candido in habitu nigrum scapulare gestantes, suo servitio deposcere, quibus singulari illa favore maternum affectum sit exhibitura. Neque Ermesinda morata, illud a se officii deposci sentiebat, et domum commoraturis illuc virginibus excitaret; quod insigni deinde liberalitate ac diligentia est prosecuta, locupletantibus inceptam parthenonem ex eadem familia posteris. Unde et antiqua visuntur principum Luxenburgensium sepulchra, ut Henrici comitis et Margaritae comitissae conjugum, quibus nepos ex Henrico filio, Henricus, postea Augustus Romanorum imperator natus est.

Digitized by Google

Ex parte templi dextra fontem salutarem a D. quondam Bernardo potatum benedictumque, emicare ferunt, quem hodie difficilium saepe morborum remedium afferre sentiunt.

Virgines sub abbatissa nobili claroque illic genere juxta divi Bernardi disciplinam vivunt; de prima ejus loci antistite non unus omnium sensus. Henriquez ex domesticis asceterii monumentis Havidem sanctitate inclytam virginem et nobilissima stirpe genitam producit, quam nonnulli etiam memorant Theobaldi ante dicti comitis sororem, certe angelicae vitae humilitatisque admirandae virgo et loci domina praedicatur, quae exemplo ductuque suo multas post se virgines Christo dicatas traxerit. Alii Andernaco Catharinam Berrensem primam loci abbatissam accersitam ferunt, quae ad formandos rite virginum mores longaeva annis 44 chorum hunc virgineum duxit, sed quidquid ejus rei sit, Havidem sive primo sive deinde praefuisse satis compertum est, uti et Joannam, neptem Havidis, sanctitatis non minus, quam dignitatis ipsius vestigiis insistentem, quae filia Henrici comitis Luxenburgensis, secum dotem magnamque bonorum parthenoni addictorum partem traduxit, nihil tamen se ipsa dignius intulit, siquidem vitae innocentia morumque integritate ac singulari erga Deiparam pietate divum Bernardum aemulata, paribus Virginis favoribus gavisa est, nec tantum Deiparae resalutantis alloquiis in imagine fructa, sed inclinatione etiam statuae ejus lapideae (quae in porticu monasterii ad rei portensae memoriam religiose asservatur) creditur traditione constanti honorata, idque frequentissime. Cujus facti fidem penes Henriquez ejusque authores relinquo. Caeterum ut gloriosa Havidis illic memoria ad 7. diem octobris, ita hujus Joannae ad 27. septembris recolitur, extatque magnificum ibidem loci monumentum, quod Joannam cum utraque sorore, Catharina et Margarita complectitur, cinctum muris, gentilitia Luxenburgicae, Chiniacensis, Barrensis et Rupensis stemmata atque insignia repraesentantibus.

Memorabilis haec in aede pictura quondam spectata fuit ad partem dexteram chori sacerdotum, quae nunc temporum

bellorumque injuria obliterata est, exhibebat illa Deiparam cum oviculis ad fontem, juxtaque Ermesindam, spectaculo intentam. Quam imaginem si quae personae sortilegae et a diabolis obsessae, sive possessae, verbis Henriquez loquor, eidem picturae appropinquarent, subito cessabat molestia sive vexatio cacodaemonum, nullo modo praesentiam sive virtutem Virginis Matris sustinere valentium.

Possident ibidem inter sacras reliquias cingulum S. Margaritae virginis et martyris, quod praegnantes et periclitantes in partu mulieres, solo vel cinctu vel attactu etiam mira felicitate, partu et doloribus liberat.

Abbatissae Clarifontanae.

Ermesinde, comtesse de Luxembourg, fonda l'an 1216 l'abbaye de Clairefontaine.

1. Hellui ou Helène, que Calmet appelle Béatrix, fille de Louis III. comte de Chiny, en fut la première abbesse. Elle vivoit l'an 1220, mais l'année de sa mort est incertaine.

2. Jeanne de Luxembourg lui succéda.

3. Hadwige, qu'on prétend avoir vendu Autel à Henri II. comte de Luxembourg, étoit encore en vie l'an 1257.

4. Marguerite de Luxembourg procura quelques bienfaits à son abbaye; elle vivoit l'an 1270.

5. Catherine de Luxembourg. On ignore l'année de sa mort.

6. Mathilde.

7. Ide.

8. Giselle. On ne sait rien de certain de ces trois abbesses.

9. Anne de Clemancy, vivoit en 1400 et 1408.

10. Marie de Semel, abbesse, et Marguerite de Septfontaines, prieure, vivoient l'an 1419.

11. Jeanne de Clemancy, en 1429.

12. Elisabeth d'Autel, mourut en 1453.

13. Eve.

14. Catherine de Wolckrange. Après la mort de Catherine les religieux d'Himmerode s'emparèrent de l'abbaye de Claire-

Digitized by Google

fontaine, et s'y maintinrent environ 50 ans. Mais la mortalité, qui se répandit parmi eux, les obligea à l'abandonner et on y constitua pour abbesse,

15. Catherine de Büresheim, sortie de Bonnevoye, et qui vivoit encore en 1530. On ignore l'année précise de sa mort.

16. Elisabeth de Wiltz de Rottert, vivoit en 1572.

17. Elisabeth de la Rochette *(von der Fels)*, morte le 5. janvier 1598. Elle avoit une coadjutrice, Marguerite de Velbrück, qui mourut le 5. décembre 1592.

18. Marguerite de Gourcy, vécut jusqu'en 1644.

19. Marguerite de Pouilly, morte le 8. décembre 1671.

20. Antoinette-Lucie de Pouilly, morte le 9. juillet 1696.

21. Marguerite-Josephe de la Fontaine, a fait réparer le monastère et la bâti tel qu'on le voit aujourd'hui. Elle a fait recevoir à ses dames la grille et la clôture au mois de juillet 1722, lors de la visite du monastère, faite par l'abbé de Clairvaux. Madame de la Fontaine est morte le 29. mai 1734, regretée du dedans et du dehors, à cause des belles qualités dont elle étoit douée.

22. Marie-Rose de Jodenville, native de Meix-devant-Virton, lui a succédé la même année, et est abbesse moderne.— Elle mourut en 1785, dans un âge trés avancé.

23. Anne Catherine d'Eiseneck, élue en 1787, fut bientôt troublée dans son administration par les effets de la révolution française, desorte qu'elle a été la dernière abbesse de Claire-fontaine.

Monasterium Bonae Viae,

primo lapide versus occasum Luxemburgo distans, variis bellorum cladibus iterum iterumque solo tenus afflictum rursusque erectum. Exordium hujus virginei coetus repetunt a 400 hinc retro annis; indicem antistitum aliquem exhibet in historia sua Bertelius. Ipsae virgines conditorem loci traditione recolunt comitem quendam Wiedae tunc Rodenmacrae dominum.

Digitized by Google

Religionem loci non Mars et Vulcanus infestus tantum, sed luxus quoque morumque licentia foedarunt, donec Catharina de Kerschen ab anno 1570 aeris alieni et tectorum detrimentis, quantum licuit, instauratis, pristinum loco squallorem abstersit.

Abbatissae Bonae-Viae.

Cette abbaye prit son commencement vers 1200. On n'en connoit pas le fondateur; mais les comtes de Luxembourg la prirent sous leur protection.

1. Melchide, gouvernoit en 1244 et 1272.
2. Jutte ou Judith, qui lui succéda, vivoit encore en 1281.
3. Agnès de Diquestorfs, soeur de Gilles de Rodemacheren, en 1309.
4. Jutthe de Gymnich, en 1328.
5. Catherine de Pittingen, l'an 1335.
6. Vrizendis, en 1342.
7. Gertrude de Wintringen, l'an 1353.
8. Ide de Bruchen, et 1360.
9. Catherine de Puthelingen, l'an 1365.
10. Ide de Mulenbach, en 1370.
11. Gertrude Dunckvelt, en 1388.
12. Gertrude de Wekringen, en 1398.
13. Christine de Strassen, en 1429.
14. Agnès de Bubingen, l'an 1437.
15. Marguerite de Dommeldange, vivoit et 1443.
16. Anne de Bettingen, en 1452.
17. Anne II. d'Eumeringen ou Omeringen, en 1470.
18. Marguerite de Frenne se demit de la dignité abbatiale en 1509, et fût remplacée par
19. Anne de Brandscheidt, qui vivoit encore l'an 1533.
20. Françoise d'Useldange, en 1539.
21. Irmegarde de Fremont. Sous elle l'abbaye fut reduite en cendres, l'an 1542; elle se retira chez ses parens, et comme

Digitized by Google

elle refusa de retourner à son abbaye, on lui substitua de son vivant pour abbesse, l'an 1571,

22. Catherine de Kerschen ou Kersen, qui gouvernoit encore l'an 1585.

23. Claire Boullard, vivoit en 1593.

24. Eve de Stein fut déposée en 1626, pour avoir reçu une novice à profession, sans la permission de l'abbé de Cîteaux, son supérieur, et pour n'avoir pas voulu recevoir avec ses religieuses la réforme et la clôture. On lui substitua, la même année 1626,

25. Anne IV. de Wassenbourg, professe de Clairefontaine. L'abbesse déposée se retira à Arlon avec une soeur converse, par ordre du général, et huit dames du choeur furent dispersées à Tifferdange et à Clairefontaine, où l'on paya leur pension. Anne de Wassenbourg reçut six novices à Bonnevoye, et après sa mort on élut pour abbesse, en 1640,

26. Agnès III. de la Neuveforge, morte en 1693.

27. Marie-Agnès de Pirombeuf lui succéda en 1694 et mourut en 1700.

28. Marie-Jeanne Donlinger, morte en 1707.

29. Marie-Françoise de Chardelle, morte en 1735.

30. Scholastique Bourguin, abbesse moderne. —

31. Marie Reding vivoit encore en 1760, mais en 1765 la maison étoit gouvernée par la prieure, Agnès Manay.

32. Scholastique Grotius, morut en 1782. Elle figure depuis l'année 1767.

33. Marie Dumont, élue en 1783, gouvernoit encore en 1794.

Tifferdange, autre abbaye de dames de l'ordre de Cîteaux, a été oubliée par Brower et par son continuateur. Elle tire son nom d'une fontaine, qui s'écoule dans un bassin de pierre, au milieu de la seconde cour; cette fontaine s'appelle la *Fontaine de Marie.* Alexandre de Soleuvre fut le fondateur de cette communauté religieuse. Alexandre, fils peut-être de Vazel, et avoué de Luxembourg, n'eut de Hadvide, son épouse, qu'une fille unique, du nom de Gertrude. Celle-ci, renonçant

aux grandes richesses, qu'elle pouvoit posséder dans le monde, embrassa la sainte pauvreté de l'evangile à Tifferdange, où elle jetta les fondemens d'un monastère, dont elle fut la première abbesse. Ce fut sans doute en considération de cette chère fille, que le père dota libéralement la nouvelle abbaye, par la cession qu'il lui fit des biens spécifiés dans la charte suivante:

»Alexandre de Soleuvre, fais savoir à tous, qu'avec le consentement du vénérable Thierri, j'ai élevé une chapelle en l'honneur de la sainte Vierge, sur une partie de mes francs-alleux en un lieu appelé vulgairement *la fontaine de la bienheureuse Marie,* situé à Tifferdange, où j'ai placé une nouvelle colonie de moniales de l'ordre de Cisteaux. Et comme je désire ardemment de pourvoir à l'avancement de cette maison, en vue de la récompense divine, je lui ai libéralement conféré, avec l'agrément de mon épouse Hadevide, les biens ci-dénombrés, savoir, la chapelle de Tifferdange, la cense et les biens, que je posséde à Hosterborn. Un moulin et un étang situés à Tifferdange, bien entendu, que je profiterai de l'étang toute ma vie. Une carate de bon vin, que moi ou mes héritiers leur payerons tous les ans en autômne de mes revenus de Keyle; mon moulin de Thuntingen, avec mon pré de Heldingen. De plus, j'ai donné deux mesures de terre, tirées de mon avouerie de Redingen, lesquelles j'ai acquises des chevaliers Godefroi de Peppingen et de Philippe du Mont-saint-Martin. Je lui ai encore permis de prendre ses bois de chauffage ou de construction dans mes forêts, et d'user librement de mes prairies pour la pâture de ses bestiaux. Tous les biens, que je viens d'abandonner, je les ai cédés dès-à-présent et pour toujours, ensorte que le monastère susdit en jouira sans opposition de personne. Mais il ne possédera qu'après ma mort ceux, que je vais marquer, et seulement dans le cas, que je ne sois pas obligé de les vendre, et que je vienne à mourir sans enfans. Savoir, mon village de Soleuvre et de Kar, dont les habitans sont de condition servile. Tous les biens, qui m'appartiennent tant à Fischbach qu'à Keyle et à Ottingen,

lesquels bien j'ai achetés des chanoines de S. Paulin de Treves. Et afin que nul de mes héritiers ou successeurs ne soit assez téméraire que d'attaquer la présente donation, j'y ai fait apposer mon sceau, et ceux du vénérable père Thierri archevêque de Trèves, et de son église métropolitaine. Fait au mois de mai l'an de Nôtre-Seigneur 1236.«

La même année Alexandre de Soleuvre fit son testament, en présence d'Anselme et de Thierri, ses neveux et ses héritiers. Après y avoir réglé, que sa femme auroit pendant sa vie l'usufruit et la jouissance de tous les biens qu'il délaissoit, il légue en aumônes deux cent livres, argent de Metz, aux pauvres communautés religieuses, et à l'abbaye de Tifferdange 500 livres, à payer après la mort de sa femme; à condition que cette somme seroit employée à acheter un fonds de terre, afin de célébrer tous les ans un anniversaire pour le repos de son âme et de celle de sa femme. La haute réputation de régularité, que les dames de Tifferdange s'acquirent, en augmenta bientôt le nombre, et anima la liberalité de leur fondateur. Elles en reçurent de nouveaux bienfaits, il leur céda en 1237 le droit de patronage de l'église de Kar. Alexandre de Soleuvre vécut encore 23 ans après avoir signé son testament, et ne cessa jusqu'à la mort de faire du bien à l'abbaye de Tifferdange. Sa fille, Gertrude, méritoit ces liberalités d'un père, qu'elle révéroit, et dont elle étoit tendrement aimée. Aussi chercha-t-il tous les moyens à bien affermir sa fondation, en y annexant pour toujours et par une nouvelle marque d'affection les patronages des églises de Soleuvre et de Keyle. Il donna deux chartes à ce sujet: dans la première, il dit, qu'il tenoit en fief, soit médiatement soit immédiatement, l'église de Soleuvre d'Ermesinde comtesse de Luxembourg et de Jean seigneur de Septfontaines: et il reconnoit dans la seconde, que c'étoit uniquement de Henri comte de Luxembourg, qu'il avoit le droit féodal sur l'église de Keyle. Après avoir consommé cette bonne oeuvre, il mourut plein de jours et de mérites, et fut inhumé dans l'église de l'abbaye. On y lit encore sur sa tombe l'épitaphe suivante:

Anno Domini MCCLVIII.
XIII. Kalendas Aprilis obiit
Alexander de Solubrio,
Advocatus de Lucelburch, Fundator hujus Coenobii.
Requiescat in pace.

Table des abbesses.

1. Gertrude de Soleuvre, vivoit l'an 1248.
2. Mathilde lui succéda et gouvernoit encore en 1299.
3. Agnès de Wallers, en 1306.
4. Alizon, en 1320.
5. Alix, en 1326.
6. Marie, en 1339.
7. Laurette de Metz, mourut l'an 1368.
8. Genette ou Jeanne de Bereldange, morte en 1391.
9. Agnès II. de Remich, en 1414.
10. Marguerite I. de Puttlange, vécut jusqu'en 1454.
11. Marguerite II. de Fischbach, en 1464.
12. Agnès III. de Kersen, morte en 1477.
13. Jeanne de Mousse, en 1490.
14. Catherine de Messich, en 1528.
15. Barbe de Housse, en 1534.
16. Ormange d'Auville, gouverna jusqu'en 1535.
17. Claude de Housse, morte en 1577.
18. Marguerite III. de Housse, élue en 1573, mourut en 1612.
19. Jeanne de la Ruelle, morte l'an 1623.
20. Claude de Cuminelle, morte en 1646.
21. Reine de la Fontaine, en 1670.
22. Marie-Catherine de Manderscheid, en 1701.
23. Marie-Jeanne de la Fontaine, en 1719.
24. Françoise de Gourcy fut nommée abbesse la même année, et gouverne encore aujourd'hui (1743), à la grande satisfaction de toutes les dames.
25. Marie Magdeleine comtesse de Gourcy, se trouve en fonctions en 1760 et les continue en 1794.

LIBER V.

DE CANONICIS CLERICISQUE REGULARIBUS ET DIVERSIS RELIGIOSORUM ORDINIBUS.

CAPUT I.

Ordo canonicorum regularium S. Augustini, sive Windesheimensis congregationis monasteria.

S. Augustinum olim laudatae castigataeque secum vitae clericos sub regulari disciplina adscriptos, sancte vivendi exemplis praeceptisque imbuisse legimus. Quibus licet serius sub annum Christi 1387 natos jure adscribemus Windesheimensis congregationis canonicos regulares. Hi enim Windeshemii primo unde nomen ducunt monasterium tertio ab urbe Daventrina milliario, in Transysalanae provinciae finibus incoluere, unde velut a totius congregationis principe loco et capite nomen trahunt, nec multo tempore laudabili vitae suae instituto a communi et liberiore canonicorum ratione vivendi separati, plurimis mortalium ad imitationem traductis, centum viginti monasteria per inferiorem praecipue Germaniam numeravere; ex his in Treverico solo duas tresve congregationes censemus.

Una illarum quondam in monasterio Ravengiersburgensi, prope Kirchberg, Hunnorum quem vocant Dorsum occupavit,

loco perquam amoeno situm. At temporum haeresumque istic praevalentium injuria vel delapsio, deficientibusque vel exclusis his canonicis, domicilium hoc religiosorum hominum ad profanas manus ususque circa annum Domini 1560 traductum est.

Alterum regularium horum canonicorum monasterium infra Confluentes in Rheni insula anno Christi 1429 sub Ottone archiepiscopo a Petro Eller inchoatum, qui Ottoni a sacris, et comes Hierosolymitanae peregrinationis, ex decano Wesaliensi tandem Novesii id vitae genus amplexus erat, sed ad paucitatem denique dilapso coetu, virgines cisterciensis familiae Jacobi III. auspiciis huc translatae sunt.

Tertium denique ex tribus his florentissimum et insigni religione celebratum superest, cujus originem progressumque ex instituto prosequemur. Ravengiersburgense monasterium nullatenus Treverici juris, sed Maguntinae dioecesi obnoxium fuit.

CAPUT II.

Monasterium Everhardi Clusanum.

Quemadmodum monasterium hoc ab Everhardo, rustico homine ejusque singulari erga Dei parentem devotione initium duxerit, Browerus in annalibus fuse satis est prosecutus. Siquidem Jacobi a Sirck Trevirensis archiepiscopi authoritate, regulares huc canonici, ex Confluentina Rheni insula evocati sunt, postquam locus hic accolarum pietate et concursu advenarum frequentari coepisset, tam enim admirandis supra naturam operibus hic Deiparae Virginis dolorosa effigie propositae cultores, ab omni malorum genere liberati sunt, ut desertus caetera locus religiosae alicui familiae, quae coeptam pietatem foveret, tribuendus non immerito videretur, unde hodiedum perstat, multorum longe lateque affluentium fre-

Digitized by Google

quentia, nec Marianae benevolentiae argumenta aegris desolatisque personis exhibita deficiunt. Laudandaque vetus est nobilium Eschiorum pietas liberalitasque, qui ut ad ecclesiae, sic ad monasterii fundamenta promovenda haud parum emolumenti, publicis patriae et religionis commodis attulere. Fuitque hujus consilii operisque adjutor non vulgaris Nicolaus Cusanus, cardinalis, pontificius a latere hoc tempore legatus, quo 1450 Everhardi rustici sanctitas claruit, tamque eximiae religioni initium, Jacobo archiepiscopo mandante, dedit, non sine miraculosae sanctitatis experimento ad hoc officium provocatus. Ille enim, ut erat vir prudens et circumspectus, veritus, ne qua illusione superstitionis vulgus traheretur, et Everhardi hominis agrestis simplicitas pietasque fucato daemonis ludificationi obnoxia esset, praesertim cum is ecclesia, corrogato jam aere, operisque excitata, de rebus sacris disponere praesumeret, nec vile aeris oblati pretium affluente confestim multitudine colligeret. Quo ex capite Joannes Ordonis, Piespordianus ea aetate parochus, haud leviter offensus, Everhardum Cusano suspectum instructa calumniis obtrectationibusque non vulgaribus oratione reddiderat. Cardinalis igitur, cum inspecto quod moliebatur Everhardus opere, illius perficiendi absolutionem authoritate pontificia vetuisset, mensamque etiam quam venienti straverat, ex indignatione obvertisset, neque ullis Everhardi deprecationibus emolliri posset, haud multo post Aquisgranum contendens in speciem morbo lethifero corripitur, quo cum illius soror Treviris advolasset, fratremque admonuisset, videri hanc a Deo inflictam poenam, quod pium Everhardi coeptum in ecclesia Dei Deiparaeque honori erigendae praepediret, monito hoc conscientiaque perculsus, repente voto sese Deiparae obligat; non solum deinde non impedimento, verum et auxilio fore Everhardo, ut basilica absolutionem habeat. Vix preces finierat, et pristinae sese sensit restitutum sanitati promissisque obnoxium, quibus tam deinde sedulo institit, ut his etiam qua erat vir religione adjecerit, eidemque loco praeter ingentia donaria, hospitale Cusanum, magnis a se impensis locupletique erectum censu adjicere molitus sit,

quod tamen gravioribus deinde causis intra solem mentis destinationem reliquit. Ipse etiam Piespordianus parochus zelo sese perverso ab his Everhardi coeptis aversum deprehendit. Nam avocatus ad lethaliter aegram matronam, cum haec pro salute sua missae sacrificium ab eo in sacello Clusano offerri postulasset, frustra suadere conatus, ut in parochiali consecrata jam ecclesia id munus Deo offerret, cum negaret alibi se quam Clusae sanitatem exspectare, assentiri coactus, ubi ad canonem pervenisset, Deum deprecatus est, ut si ergo visum ipsi esset, hoc in loco potius, quam alibi per gloriosam matrem honorari, id in desperatae valetudinis muliere ad sanitatem revocata ostenderet, nec mora peracto sacrificio in Ferres sese, ubi matrona decumbebat, transfert, eventus exspectatione suspensus, quam, ubi domum ingressus, sanam incolumemque deprehendit, totus stupore defixus, versoque in favorem loci contradicendi studio, depraedicator laudum magnae matris sacellique amator inter primos fuit. Ita Deus per ipsos adversarios primam hujus ecclesiae originem illustravit.

Everhardus igitur ad ejus absolutionem omni conatu incumbebat, qua in cura res illi memoranda evenit. Sicquidem vino pro operariis deficiente, cum hi in magno aestu potum urgerent, neque vas aliud prout instituerat, tempestive satis adesset, pronus in terram ante Deiparae iconem coelestem suam ancillam, sic compellare assueverat, supplici voce precatus, ne sibi suisque in necessitate deesset, mox ad vas ante vacuum reversus, plenum suavissimo vino deprehendit, sitique aestuantes operas, et tam repentino raroque stupefactos haustu abunde refecit. Unde horum solertia numerusque et Everhardi aestimatio, veneratioque Deiparae magnopere aucta est. Porro opere jam absoluto, Jacobus a Sirck archiepiscopus, magna nobilitatis et populi totius frequentia ecclesiam solenni ritu consecravit, et dolorosam magnae matris effigiem publicae venerationi exposuit. Nec diu post Everhardus tanquam suo jam abunde functus munere ac pietate moriens anno 1451, die 8. septembris, ad coelos abiit, navatae sanctae operae mercedem accepturus. Hinc ut essent Everhardi loco, qui

Digitized by Google

institutae religionis curam rationemque administrarent, ii, quos dixi, Windesheimensis congregationis ea aetate florentissimae, canonici advocati sunt, qui etiamnum in fixis illic pietatis vestigiis, non sine laude et religionis catholicae inter confines haereticos singulari firmamento consistunt.

1. Hermannus de Rüden in his antesignanus censetur, qui ex supprioratu Confluentino ad Clusani prioris munus traductus, coloniam istic duxit anno salutis 1456 ipso Catharinae virginis festo, cum P. Jacobo Novomagensi culturam loci auspicatus, quinque collegis anno insequenti firmatus est, magisque ac magis sensim aucti, justi monasterii formam instituere, primumque hoc loco novitium habuere Joannem Endoviensem Brabantum, postea ex priore Clusano sub archiepiscopo Joanne Badensi episcopum Azotensem, cujus archiepiscopi praeter alia beneficia hoc eximium canonicis suis diplomatis testatum firmatumque censent, quod cum domini territorialis ab Esch consensu perpetua donatione ecclesiam cum omnibus largitionum proventibus monasterio transcripserit. Porro Hermannus de Rüden, postquam collegium canonicorum magno labore industriaque sub Deiparae Virginis tutela, quae prodigiosis multorum curationibus liberalitatem diversorum ad hoc opus absolvendum provocabat, felicibus auspiciis propagasset, tanquam suo jam abunde functus munere, de statione hac mortali excessit anno salutis 1464. Occ. in diplomate de profesto S. Barnabae 1464.

2. Adamus de Petra ex Confluentini procuratoris officio Clusam aliquandiu ad clavum tenendum evocatus, denique post annum elapsum ad sŭos prioris onus subiturus rediit.

3. Bertholdus igitur de Monte Martis (Stadtberg) hic praesidere jussus, magna illud religiosae vitae aedificatione praestitit: erexit muros novi chori ad summum et monasterium totum muro communivit. Occ. in scriptis 7. januarii 1470, nec non in die S. Urbani papae et mart. Post quinquennale regimen eum 1475 alteri morte sua locum fecisse, mendose asserit Masenius.

Digitized by Google

4. Joannes Endoviensis, ab Eindhoven, paucis ille ante celebratus Brabantinus, occurrit in scriptis 12. aprilis 1474. Is primam templi exornandi curam sumpsit, chorum Marianae basilicae absolvit, eumque illo quo hodiedum visitur anaglyptico tabularum opere cinxit (tabula pulcherrima ex Brabantia allata decoravit); fonte monasterium illustravit, pistrinum et laicorum dormitorium construxit. Nec minorem disciplinae religiosae domi promovendae sollicitudinem adhibuit, ut oeconomiae praeclare institutae rationes praeteream, adeoque ob eximiam sapientiam Trevirorum archiepiscopo commendatus est, ut hic supremae ad regem Galliarum legationi praeficiendum esse duxerit, qua nuptiae inter Ludovici regis filium et Margaretham Austriacam, Maximiliani caesaris ex Burgunda filiam, felici successu anno salutis 1482 conciliatae sunt. Denique electori idoneus imprimis visus est, qui suscepta episcopali mitra ejus pro se dignitatis munus suffraganei titulo ac jure administraret (anno 1483). Quod ita praestitit, ut quos animo nunquam in Clusa canonicos deseruerat, his moriens suo etiam corpore anno 1508, 7. octobris, vellet sociari. Cujus in basilica Clusana effigies cum hac epitaphii inscriptione spectatur:

Annos post octo quingentos mille Salutis, Nonis Octobris, deponitur incinerandus Novitius primus, Prior hic post ordine quartus, Nomine Joannes Azoti Episcopus olim.

5. Gerardus de Lippia (Lippstadt), monasterii hujus sui variis aedificiis illustrator maximus, eligitur in priorem anno Domini 1483, cum venisset in monasterium anno 1474, aetatis suae vicesimo secundo anno. Praefuit annis 45. Obiit 14. calendarum aprilis, 19. martii 1528. Sepelitur primus in ecclesia, reliquis antecessoribus suis sub dio positis. Vocatus multoties ab archiepiscopo Trevirensi ad suffraganeatus officium, semper oblatum honorem recusavit. Laudibus illis adjungenda sunt verba scriptoris hodierni: „Dieſer Gerhardus hat die große Kirche neu gebaut, die Glocken angeſchafft, und das Kloſter bis auf 20 Prieſter und 13 Brüder gebracht. — Alles hinterließ er in dem beſten Stande."

6. Matthias Keimptensis, in pago quodam ad Mosellam, e regione Cellensis oppidi sito, natus, magnae probitatis ac religionis, omnibusque amabilis, eligitur anno Domini 1528, occurritque in diplomate 8. calendarum septembris 1528 dato. Praefuit utiliter et laudabiliter ad annum Christi usque 1542, quo abdicavit sese magistratu, ob afflictam corporis valetudinem. Obiit tandem anno Domini 1544.

7. Nicolaus Kaldenfelsius, ex Cella, Trevirensi oppido ad Mosellam sito, natus, vir latine doctus et humanissimus, eligitur ex procuratore in priorem coenobii sui anno Christi 1542, circa festum D. Michaelis. »Praeest adhuc utiliter hoc anno (Casp. Bruschii verba) Jubilaeo 1550. Studiit olim Lovanii. Ab eo exoratus de coenobii hujus origine tale feci superiori anno idyllion:

Si quaeris, quis coenobium construxerit istud,
Accipe quae paucis referam tibi, candide lector.
Vir simplex Eberardus erat, bonus insuper, et cui
Rusticitas et agri studium cultura erat acre.
Is Treveri sibi emens perparvam Virginis almae,
Quae Christum genuit nobis hominemque Deumque,
Effigiem, hanc ipsam secum hunc adduxit in agrum.
Sed quoniam effigies haec Divae Virginis ipso
Edidit hoc miracla loco quam plurima, factum est,
Undique turba locum certatim ut quaereret istum,
Quae Christum et Christi matrem ferventer amabat.
Haec secum sua dona ferens, placare studebat
Muneribus promtis coeli super astra sedentem,
Intemeratam illam et coelesti ab origine natam
Coelorum Dominam, matrem salvantis Jesu.
Ex his muneribus domus haec est condita tota,
In qua Augustini superis nunc militat ordo
Canonicus, nivea gaudens candenteque veste,
Quae cum munditiem intemeratae Virginis atque
Christi coelorum regis, tum denotat illam,
Qua debent omnes ornati hi scilicet esse,
Qui servire volunt Christo ipsiusque parenti.«

Occurrit Nicolaus in literis datis feria sexta post diem Omnium Sanctorum 1542, et 24. junii 1551.

8. Franciscus, occ. aõ 1557.

Digitized by Google

9. Petrus Goiden, ab Ediger, occ. feria quarta post dominicam Exaudi 1557, nec non 28. julii 1563.

10. Petrus de Winterich, occ. 1581—1600.

11. Joannes de Flerings, occ. 1603—1617, Otto Montzel, supprior, aõ 1614.

12. Arnoldus Hirschfelt, occ. aõ 1623, tempore quadragesimali, sicut etiam die 12. maji 1632.

13. Simon Filtzen.

14. Matthias Biedburg, Simonis successor, occ. 1640 et 1644.

15. Joannes Gotthardt, occ. 23. augusti 1650.

16. Matthias Schu, occ. 5. augusti 1652, it. 1653—1662.

17. Joannes Haubs, occ. 10. martii 1682.

18. Joannes Schunken, 1701—1717.

19. N. Martels, de quo annotationes sequentes: Herr Martels, Propſt zu Clauſen, hat vorgelegt,

im J. 1713,	für den Hochaltar,	950	Moſelflorin,
im J. 1716,	für die Chorſtühle,	600	id.
id.	für die Glocken,	800	id.
id.	für die Orgel,	550	id.

Im J. 1719 ſind die Kirchenparamente zu Clauſen geſtohlen worden. Das Holz zu dem Chor haben die Gemeinden Altrich und Salmerohr geſchenkt.

20. Carolus Casparus ab Anethan, prior Clusanus, occ. 1719—1733.

21. Joannes Casparus Humens, qui occ. 1737—1744.

22. Nicolaus Zorn, prior Clusanus, aõ 1760 ab archiepiscopo Joanne Philippo ad dignitatem praelati praepositi evectus est. Anno 1765, 25. novembris, conceditur priori Clusano usus insignium pontificalium, et 19. januarii 1766 Nicolaus Zorn benedictionem recepit abbatialem, praestititque abbatum consuetum juramentum fidelitatis, obedientiae et reverentiae. Obiit 14. novembris 1768. In einem Briefe vom 8. Julius 1754 unterzeichnet er ſich als praelatus praepositus

Digitized by Google

Clusanus, wogegen er 1755 auch wohl nur als Prior unterzeichnete. Dieser Prälat soll für Alles auf das Beste gesorgt haben. Den Klostergarten soll er im J. 1768 angelegt haben, wie das über der Hauptthüre dieses Gartens ausgehauene Chronodistichon andeutet:

HortVs hIC noVVs DeLICIae prIMae.

23. Jacobus Otto, abbas praepositus, electus 22. decembris 1768, obiit aō 1792. Dieser zweite Prälat wirthschaftete so schlecht, daß die Verwaltung in zeitlichen Dingen ihm abgenommen, und einem der Capitularen, dem Karl Kaspar Linz, von Manderscheid, übergeben wurde. Der Prälat behielt bloß die geistlichen Angelegenheiten. Von seiner Befähigung für die höchste Würde scheint von Anfang her das Publicum eine geringe Meinung gehabt zu haben, denn es zirkulirte gleich nach seiner Wahl das folgende Verslein:

A Jove principium, cum bove finis erit.

Der Prälat Zorn führte nämlich in seinem Wappen ein Z, den Anfangsbuchstaben von Zeus, der Prälat Otto hingegen, der aus dem Schwarzen Ochsen zu Trier stammte, hatte sich einen Ochsenkopf zum Wappenbilde gewählt.

24. Carolus Casparus Lintz, praepositus Clusanus. Er hat den Prälaten-Titel zu führen verweigert. Am 15. August 1802 ward das Stift für aufgehoben erklärt; damals befanden sich noch 12 Geistliche zu Clausen. Herr Linz wurde am 10. Mai 1803 zum Pastor in Clausen ernannt, gab im Julius 1816 die Pfarrei auf, privatisirte seitdem, und starb zu Clausen, den 18. Mai 1819.

Pauca solum de loci-religione, miraculorum gloria et peregrinationum frequentia adjungam.

Digitized by Google

CAPUT III.

Miraculorum veritas, magnitudo varietasque, et peregrinationum Clusam susceptarum frequentia.

Principio locus hic admirabili divini numinis potestate sub Deiparae Virginis patrocinio et invocatione celebratus est, non sine providentia ejusdem singulari, quando frigescens in pietate ac religione passim Europaeus orbis ad tantam inclinabatur haeresum contagionem, quantam denique sub Luthero, Oecolampadio, Zwinglio, Mennone, Calvino aliisque sexcentis vertiginosorum hominum monstris sensit, ut superesset multis, in communi hac infectione, quoddam refugium et velut quaedam in caligionosa errorum nocte cynosura, quo oculos inflecterent, nec gens tota ad illecebras novae religionis abstracta interiret. Nullum enim potentius ad impellendos animos nec certius christianae religionis et incorruptae veritatis agnoscendae argumentum relictum in ecclesia nobis est, quam continuata per omnem ad nos usque aetatem, miraculorum gloria, ad quam licet multi perversorum nec Christi quidem temporibus, oculos verterint, recte tamen cupientibus ad bene sentiendum praeclarum semper fuerunt incitamentum. Sunt vero hoc in loco tam diversa, tamque supra omnem naturae vim et ipsius daemonis facultatem eminentia, quae et testium et locorum frequentia constant, patrata miracula, ut haec omnia inficiari aut explodere velle, non temerarii solum, sed omnino impudentis sit hominis.

Non ignoro hac aetate nostra, qua minus grandibus evidentibusque haec ecclesia signis, seu ob remissiorem pietatis cultum, seu ob eandem miraculorum (ut solet) translatam a Deo gratiam, inclarescit, fuisse proximis annis loci hujus canonicum apostatam, tam rudem, quam superbum hominem, qui ecclesiae hujus et Deiparae mirandorum operatricis, dignitati obtrectare ausus sit, atque in fabu-

las et deliramenta anilia compertissimae nobis veritatis historias transformare, sed quid ejusmodi feci hominum, et purgamentis religionis nostrae credendum sit, quis nesciat? vix quisquam adversariorum tam amens hodie, qui fidem his sentiat habendam. Quare ut talibus refutandis non immoror, ita nec in miraculorum diversitate et copia diu subsistam. Tum quod integrum haec tractatum requirant, jamque illa justo volumine, in ordinem, annosque suos digesta, episcopi suffraganei Trevirensis, aliorumque doctorum hominum censuris expensa, publicis anno 1640 et 1648 typis lucem viderint. Illud tamen ad lectorum cautelam addam, quaedam hujus aetatis in uno alterove exemplo, cui feminarum quarundam in spirituum apparitionibus miscentur phantasmata de fide jure suspecta esse, tum quod illae obnoxiae illusionibus, tum quod eventu rerum minus probata sint.

Caeterum tot hic caecis visus redditus, tot mutis loquela, surdis auditus, claudis gressus, daemoniacis et captivis libertas, desperate aegris sanitas, et quod caput est, tot tamque diversis casibus mortuis vita, ut qui haec omnia aut daemonis arte facta et conficta ab hominibus affirmare audeat, is inter emotae mentis homines jure sit referendus. Christus tres a morte excitasse in vita legitur, haec ejusdem virtute ad Deiparae Virginis imploratam opem revixisse memorantur plus quam viginti, quorum plerique suis locis, personis, nominibusque signantur, pluresque illorum in magna testium frequentia vitae restituti sunt. Quocirca vir gravissimus probatissimusque, Joannes Endoviensis, episcopus Azotensis, Joannis Badensis Trevirorum archiepiscopi suffraganeus non paucorum ipse oculatus testis anno 1485 mandat domino Wilhelmo Berencastellano, ejusdem ordinis canonico regulari ac sacerdoti: »Tibi in virtute sanctae »obedientiae,« inquit, »praecipimus ac mandamus, ut de con»silio et assensu venerabilis et religiosi patris, D. Gerardi, »prioris tui moderni, super hujusmodi monasterii vestri con»stitutionum, erectionum et miraculorum negotiis, quae omnia »et singula in memoria hominum subsistunt hodierna, a natu »majoribus et grandaevis circumquaque diligentem facias in-

»vestigationem, omniaque veridicorum assertionibus relata et »inventa secundum ingenii tui modum, prout domino cooperante »commodius posteris scriptis mandare et in unum redigere »volumen cures, putamus enim nos, eam rem posteris et »nostrae religionis successoribus non modicum devotionis alla- »turam incrementum, qui quanto pluribus illam gloriosissimam »Virginem conspexerint in eo loco claruisse miraculis, tanto »eam devotius honorantes insigniora prodigia in antea futuris »temporibus accidere sentient atque videbunt.« Cui ita demum oblatis nonnullis quae scripserat, Wilhelmus respondit: »accipe, »pater reverendissime, quod ex longo tempore desiderasti, »tuae sanctitati corrigendum offero, tuae pietati commendo, »quod amore Virginis exarare compulisti. En saltem ut potui, »si non ut debui, pauca scripsi, quae tua industria melius me »novit, quippe qui a principio hisce praeclaris et miraculose »gestis personaliter interfuisti, et saepius quam ego, a veridicis »admirandorum Divae relatoribus non longe ante te gesta, »accepisti, diligentissime memoriae commendasti.« Unde apparet utrosque de sui temporis et collata studiose opera deque rebus manifeste cognitis agere, omnemque, ne sibi soli fiderent, in quaerendo diligentiam adhibuisse. His accedit gravissima Trevirensis archiepiscopi Jacobi Sirckii authoritas, sub quo locus hic suis inclarescere virtutibus coepit, adeoque sacellum primus, deserto alias agrestique in colle, excitandum indulsit, aris a se consecratis ornavit adjecitque vulgato diplomate: »Ad lau- »dem et gloriam excellentissimae Divinae majestatis, nec non »promotionem Virginei cultus et mirabilium Divae vulgatio- »nem .... de misericordia omnipotentis Dei et BB. apostolorum »Petri et Pauli confisi, singulis (accedentibus in festis majoribus »et quibusvis Deiparae sacris) quadraginta dies indulgentiarum »misericorditer in Domino relaxamus ... anno Domini 1450.« Quae non solum a Joanne archiepiscopo successore confirmata sunt, verum ob frequentiam affluentium quaqua versum hominum religiosi instituti canonici, evocati ab alienis huc sedibus fuere, qui peregrinantium devotioni, qua sacrificiorum, qua sacramentorum cura adessent, quaeque isthic admiranda patrarentur,

Digitized by Google

fidis tabulis ad posterorum memoriam, Deique ac gloriosae ejusdem matris gloriam exciperent. Nec mora tam cumulatis brevi et a Deipara profectis in afflictos mortales beneficiis et repensis per eosdem muneribus abundare hic locus coepit, ut ecclesia post sacellum multo illustrior, et coenobium religiosorum hominum minime aspernandum tolleretur, praecipuaque redituum pars canonicis ab oblatis in ara donationibus proveniret. Quae si ex fictis miraculorum commentis provenire senserit, nae, is sibi inter tot mortalium delirantium millia, solus recta sapere, et acutiores tot aegris oculos circumferre videbitur. Porro ut omnia in tanta multitudine prosequar praefixa historiae lex ac brevitas vix patitur, ut cuncta negligam praetereamque non sinit institutum. Multa igitur paucis sic complectar, ut dein in multis pauca, et singulorum pene generum singulare tantum exemplum, novitia etiam recentique in memoria adhuc viventium posita, antiquioribus praeponam, cum ex his Browerus suam in annalibus symbolam attulerit.

Imago igitur primo ab Eberhardo ad publicam venerationem exposita est Matris dolorosae, Christum cruce depositum sino suo excipientis, ad piae compassionis sensum animo concipiendum, idonea diversis haec diversorum convalescentium anathematis cincta, tum nobilium virorum, locorumque eidem devotorum insignibus est vallata.

Superiorum saeculorum 14. et 15. miracula non tangam; varia illa et mortuorum reviviscentium prodigiis fecunda, sed praesentis tantum aevi casibus insistam, quos praeter consuetam episcopi et censorum approbationem a tribus juratae fidei publicis notariis ac testibus, unoque ex his viro ecclesiastico, pastore Piespordiano, ita reperio asserta probataque, ut affirment sufficientibus haec miracula testibus approbata, atque a se visam attestationem parentum, confessariorum, scabinorum, pastorum, aliorumque fide dignorum testium. Supersunt etiamnum praeterea in quibusdam adhuc vivi oculatique factorum arbitri, nonnulli quoque beneficiis acceptae coelitus sanitatis adhuc ornati, ut nesciam an in his majorem fidem prudens requirere aestimator possit.

Ordior itaque ab anno salutis 1616, quo nostrae aetatis hominum memoria experientia se porrigit. Hoc tempore Joannes Georgius Walderfinganus, ex Lotharingiae nostrisque confinibus adolescens, tanto contractionis vitio debilitatus, ut citra omne medicinae auxilium spemque humanae opis relictus, aegre grallis niteretur, quod crus utrumque corpori velut connatum adhaeresceret. Quare consilio quorundam erectus ad opem Deiparae implorandam Everhardi Clusam iturum se ad honorandam istic magnam Dei matrem, promisit. Huc cum viribus omnibus adnisus pervenisset, supplexque miserorum opitulatrix auxilium implorasset, repente solvi contractionis vincula, pedes ad stationem erigi, dolores evanescere sensit, exultansque de tanto beneficio, in perpetuum sanitatis recuperatae monumentum grallas ex ara suspendit.

Majori longe non valetudinis solum, sed et vitae restitutae beneficio anno 1618 gavisa est puella innocens, Susanna Oberfeldia, haud procul Confluentia oriunda. Haec in cunis etiamnum infans a parentibus rus demigrantibus relicta, a trabe ex alto in faciem jacentis decidua, mortuo ac deformi in corpore a redeunte matre reperta est, quae in ploratus ac lamenta soluta, viciniam totam ad infelix spectaculum concivit, sed in agitato versoque in omnem partem cadavere, nullum nec argumentum, nec spes vitae. Quid faceret moestissima parens. Ad Dei matrem, afflictorum praesidium, audaci expostulatione et exspectatione confugit, petit, ut attritae oppressaeque filiolae vitam ac sanitatem reddat, nudipedem se ac in laneo habitu (qua specie frequens multis peregrinantibus auxilium contigit) peregrinationem Clusanam oblatis aliquot cereis sacrisque obituram, puellamque eodem in testificationem beneficii translaturam, ubi votum propalam conceperat. Ecce in praesentia oculisque adspectantium vicinorum, puella et moveri coepit et pristino vigore ac valetudine plene frui, attonitis ad tantum Divinae potentiae miraculum universis, qui et simul, quamvis remoto itinere, ad agendas Deo gratias, praedicandamque Dei in allata infante virtutem, comparuere tertia

maji die, testes ipsi oculati. Ingens beneficium, quod tamen a mox apponendo superatur.

Anno salutis 1621 Barbara, ex Wehlen, pago ad Mosellam, navitatem nomenque sortita, Oppenhemii tamen in Palatinatu vivens, infantem sed mortuam, enixa est, quo casu vehementer perculsa, ac de salute prolis solicita, cum sepulturae jam destinari videret, ad miraculosam Everhardi Clusae Divam versa, peregrinationem cum cerei oblatione vovet, si proles tantisper ad baptismi gratiam percipiendam vivat, verum audiri se non videt. Ergo iterate ad preces votumque ardentius conversa; nec tamen profuit, emortua emotaque ut ante proles persistit. Nondum adhuc desperat mater, promittitque repetitis precibus votum, quantocyus, ubi per vires licuerit, a se implendum. Nec spes fefellit, vixit infans et baptismo admota, idem cum matre nomen Barbarae tulit, venitque haud multo post, tertia julii, mulier, praestitaeque gratiae et munus et fidem jurata cum pluribus deposuit.

Eodem anno, ut domestico exemplo utar, Joannes Clusserad, Trevirensis vietor et morbo et post morbum tanta imbecilitate tibiarum ac nervorum infractione correptus est, ut nec fulcris quidem nisi aegre promoveri posset. Quod malum, ubi jam tribus invaluisset mensibus, ad fratrem suum Petrum, in Clusserad pastorem, delatus, haesit aliquamdiu ad omnem laborem inutilis. Denique spem convalescentiae animo complexus est, modo Everhardi Clusam supplex contenderet locum non procul remotum; quod licet in grallis difficulter, fratre tamen comitante denique praestitit, collocatusque juxta Deiparae imaginem, in preces intimis medullis depromptis effudit animum. Nec diu vigorem sese infundere tibiis pristinum ac sensim robur integrum redire sensit, ut laetabunda, ad fratrem versus, voce exclamaret, »valeo, incedo, totus sanus sum, grallis deinde non indigebo.« Iisque in loco relictis, cum fratre domum reversus, adhuc anno hujus saeculi 47. incolumis miraculi fidem attestatus est.

Neque personae illustres horum beneficiorum expertes vivunt. Anno 1624 comes Wilzius baro a Reuland disperatae

Digitized by Google

valetudinis conjugem habuit, quam cum medicorum ars humana destitueret, ad coeleste Deiparae praesidium versus, et peregrinationem ipse, votumque tantum cerae, quantum uxor librata appenderet, offerendae suscepit, ac canonicorum quoque sacrificia precesque coram Deiparae exorandae, admovit. Nec frustra, domum se recipiens, obvium habuit famulum laetum, Dominae integre valentis, jamque lecto egressae, nuntium habuit, venit, vidit, exultansque cum uxore revertit; nec tantum, post exsolutas Divae auxiliatrici graticis, ceram exsolvit, sed pretiosam vestiendae arae pallam adjecit, simulque utriusque conjugis insignia ad aeternam facti memoriam testificationemque reliquit.

Disparem eodem anno alterius mulieris sortem invenio. Margaretha Daudorff haec fuit, quae ex ejusdem nominis pago, quod ducatus Luxemburgici est, cum reliquis ejusdem loci incolis processionem Eberhardi Clusam (ut frequentes e diversis huc regionibus ducuntur) ingressa est. Haec, nescio quid, postulans, cum existimaret, se non audiri, nec audiendam, egrediens, aversari imaginem locumque coepit, »et quis credat »(inquit) hoc loco aut patrari miracula, aut plus ad impe»trandum gratiae quam alibi locorum reperiri? certe ex hac »processione nihil ego emolumenti concepi.« Vix ea, cum repentina epilepsia profligata, concidit, spumansque ac frendens demum ceu obsessa daemonibus jactari miserrime coepit, atque sic domum est cum afflicto marito delata. Ad varias subinde ecclesias exorcismorum causa perducitur, sed necquidquam hi admoventur, frustraque aliud omne remediorum experimentum, donec marito contumeliosae mulieris in Deiparae Clusanae venerationem dicta suggeruntur. Ergo hinc fluxisse malum, et hinc quoque medelam expetendam sensit, reducta cum supplice marito conjux, pro qua is vota precesque concepit, et licet tremens reluctansque templum subiret, tamen prostratae ante aram mens sanitasque integerrima rediit, ut in laudes magnae matris Deique profusa, jam canticum longe a superiori diversum persolveret, testis ipsa et impietatis propriae, et pietatis in immerentes divinae.

Digitized by Google

Anno salutis 1626 Joannes Fridericus a Fels, Luzelburgicae ditionis et Hispanicae militiae signifer, cum pugnans grave excepisset brachio vulnus, quod artis medicae superans opem putrescensque praesecandum decernerent, hanc aleam subire detrectabat, conceptoque Everhardi Clusam voto, argenteam Divae manum promisit, si integram sibi cum brachio suam redderet. Res mira, vix emissum votum, calorque ac sensus toto sese infudit lacerto, collectumque pus una sese effudit per hiatum parte, quae et ipsa brevi coaluit. Quare reus voti et ipse supplex coram adfuit, manumque argenteam in perpetuum anathema protectricis Virginis appendit, ut et suis ipse manibus scripto sigilloque munitis testatus est, totique legioni militari constitit.

Contractorum paralyticorum ac claudorum exempla diversa et illustria praetereo. Catharinae Weiersbachiae filia, Anna Maria, juxta Daunium, contracta et cundi impotens, anno 1629, die 9. decembris hic integritati plene reddita. Jodocus Braun, Alsata, manus pedesque contractione immedicabili vinctus, hic 4. julii anni 1630 utrorumque usum recepit. Filia Mariae Constantiensis, Piespordiae ad Mosellam, curva foede manu nata, per votum parentis anno 1637 humanae formae restituitur. Quo eodem anno filius Joannis Bechers, Salisburgensis, biennali afflictione contractus, in pedes 8. octobris erectus est, ut diversos alios non commemorem.

Hic igitur omissis mutam loquentem induco. Haec, Maria Kuffers, Utingana est, Gerardi Volmingi uxor, pestilentia lue correpta, anno 1631 jam desperata et sacris ad mortem communita; postquam votum Eberhardi Clusanae peregrinationis vir concepisset, a morbo convaluit, plane tamen muta, cujus mali cum nec finis nec remedium per trimestre esset, ad Deiparam rursus confugit, supplexque Clusanum iter per triduum cum marito ingressa, ubi sacelli limen attigit, »Jesus et Maria,« exclamat, »quo devenimus?« Nihil tamen praeterea effari potens, ubi ante imaginem Deiparae prona deprecansque animo concidisset, mox soluta lingua confessarium postulat, illique

Digitized by Google

sine ullo verborum impedimento delicta exposuit, ac laetabunda domum remeavit.

Apponam ejusdem generis hoc loco, quod anno 1643 in puella Mosellana evenit. Haec, Maria dicta, in processione pentecostali more patrio instituta, cum reliquis usitatos cantus prosequebatur, cumque aliquae praecentrices *Magnificat* psalmum intonarent, aspernata dixit, »ut quid obviam tritamque hanc melodiam versamus, prosequamur allam minus tritam.« Verum dum ad canticum aliud os pandit, hiante frustra ore necquicquam verba eluctatur, mutamque ac elinguem ad omnem se deinde sonum experitur. Quin distorto prorsus ore ad triste spectaculum, obrigescit quid ageret infelix, quo se verteret, nisi ad eam, cujus honore casum vindicatumque sensit? ergo votum peregrinationis ad Deiparam Everhardi Clusanam animo concipit ac pollicetur, dummodo pristinae vocis usum ipsius apud Deum intercessione recipiat. Et vero exauditam se animadvertit, primo oris habitu ac voce restituta. Sed dum per trimestre supplicationem promissam differt, adeo rursum omni se vocis usu captam sensit, ut de loquela recipienda ambigeret. Versa tamen ad preces iterum, et hanc et alteram peregrinationem Deiparae conciliandae offert, neque rata implendum segnius quam offerendam, muta sese in viam supplici desiderio effundit, sacellum intrat, prona ad aram devolvitur, precesque jam non sola mente, verum et ore fundit, gratiam illis referens verbis, quae opitulatrix miserorum suppeditabat, ut redderet, quod accepisset, infans paulo ante, nunc fans et diserta. Quae a jurato notario et aliis idoneis testibus excepta chartisque commissa sunt, ut et in aliis hic usitatum, praesertim cum factorum, ut in foeminis assolet, fides suspicioni obnoxia est.

De claudis mutisque sibi restitutis exempla hujus aevi dedimus, de caecis non erit tacendum. Matthias Henrici, Treissensis, ad Mosellam, haud procul Confluentia, ex Clara, uxore, filiolum Henricum susceperat, sed utroque tabescente oculo infelix puer, contractis oculorum palpebris, plane caecutuit. Quin hinc ad utrumque parentem ingens manarit dolor,

haud difficile cogitatu est. Spem inter metumque aliquamdiu luctata mater, cum levatis palpebris nil nisi pus effluens denique intueretur, ideoque impotentius dolorem ferret, vir lamentantem solatus: »Deus,« inquit, »qui plagam hanc inflixit, »poterit et sanare. Quin commune oris nostris infirmorum et »miserorum refugium, Dei matrem in Clusa supplices cum »puero visimus, et ex illo, unde tot hauserunt, fonte salutem »speramus.« Placuit, et bidui itinere profectio instituta est; verum post ardentes preces nihil praesidii experti, majori quam venerant dolore revertuntur. Post tempus aliquod ardor subiit, peregrinationem repetendi, sed iteratam tulerunt repulsam, existimarunt, adversus Dei voluntatem se pugnare. Nihilominus interlapso tempore (tantus erat juvandae prolis ardor) viam ac vota multiplicant, atque illa fortasse ingerunt D. Bernardi verba, »sileat misericordiam tuam, O Virgo, qui te meminerit, in afflictionibus invocatam, sibi unquam defuisse.« Ergone soli inter miseros erimus, qui miserationem tuam non experiamur! pervicerunt certe, auditi sunt puer ante oculos deprecantium parentum positus aperire oculos, eosdemque amoeno contuitu, ridentique vultu salutare est visus. Tum enim vero uterque parens ingenti perfusus gaudio, exultantem continere non poterat animum vocemque, sed quaecunque suggerebat affectus, pleno in laudes Deiparae ore profudit, testesque et religiosos et loci parochum scabinosque factorum reliquit, anno 1638, die 15. maji.

Geminum pene huic, sed in adulta persona est, quod subjicio exemplum. Eodem quo dixi anno Susanna Laud, vidua urbis Trevericae, post difficilem morbum adeo omne sibi oculorum praereptum lumen sensit, ut citra ducem viam capescere nullam posset, jamque octomestri evoluto, cum spes sanitatis etiam peregrinationibus frustra ab aliis institutis, superesset nulla, ad Deiparae Everhardi Clusanae invocationem versa, peregrinationem hanc se obituram spopondit, si gratia ipsius visum recepisset. Vovit et repente oborta luce ream sese voti deprehendit, stititque Clusae, ac Deiparae gratiam pro gratia retulit, evenit tamen, ut anno post altero pari

caecitate pateretur, jamque mensis quo durabat malum, ibat, cum iteratis huc votis confugit, iteratoque exaudita tanquam cumulatis Deiparae beneficiis obnoxia, ardentioribus sese precibus laudibusque in praedicandam magnae afflictorum matris miserationem effudit, pastore Treverico aliisque probatis testibus fidem facti praestantibus.

Tertium addo, ut felicem numerum compleam. Adolescens ex Westphalia, Rudenensis, annorum 12, et triennali defectu caecus, Nicolai Rodobandi parentis jam defuncti filius, ad fulgentem foris lucem auramque, quo nonnunquam aspirabat, adeo sublatis infelix palpebris, ut menstrua aegritudine, hoc qualecunque periculum expiaret. Cum ex cive patrio, ex Everhardi Clusa reverso, intelligeret decantata istic, et typo etiam vulgata miracula, eodem, quamvis matre parum inclinata omni contentione anhelabat, ut idcirco vocata in vota Deipara ideoque aliquando lucis aspirante, in viam ipse sese dierum facile 12, sine certo, nisi quem per itineris partes consecutus esset duce, se ingenti spe conjecerit. Verum saepius misere in ligna, saxa, dumeta, ubi defecisset ductor, impactus, deformi ac lacero ad Clusam vultu, spectantibus ipse miserantibus advenerit, sed quo miseratricem Divam Virginem haud minus flexit. Namque ad suam non diu passa aram frustra procumbere, oculorum integritatem non solum restituit, verum etiam levam manum, quae tumore foedo atque incurabili ad speciem buffonis intumuerat, praeter exspectationem in dexterae similitudinem citra mali vestigium transformavit, religiosis loci omnibus (quibus per literas commendatus erat a consanguineo etiam religioso, Joanne Droste) ad tantam mutationem adolescentis stupentibus et barone de Enckevoirt, in caesarea militia vigiliarum praefecto, id temporis cum insigni comitatu praesente, rei novitate non leviter capto attonitoque, quo etiam tempore ex senatu Treverico facti testes oculati affluxerant, qui laudem Deo Deiparaeque proclamarent, ut coram notario et testibus anno 1652, die 10. augusti constitit.

Et surdorum preces attenta excepisse aure Deiparam constat. Viduam nobis in hanc rem ex Lotharingia annus

hujus saeculi 40 suppeditat. Illa Grentweylerana, nomine Maria, Joannis Segelii uxor, quae ex contracta pertinaci surditate ab hominibus miserationem facilius, quam opem exspectabat. Verum ut se plena ad Deum Deiparamque fiducia vertit, voto in Clusam peregrinationis suscepto, repente ante hanc initam auditum recepit, nec promissionis oblita debitum solvit. Illud tamen devotae mulieris obligationem pietatemque auxit, quod desperata primum valetudine affixa lecto, trimestri integro humanis auxiliis deficientibus, ad ejusdem opitulatricis sinum confugerit, et absterso contagionis vitio, praeter aurium usum, valetudine potita sit, atque obsurdescens adhuc sanitatis asylum idem sibi duxerit, nec irrita spe quaerendum.

Epilepticis et hinc auxilium peti exemplo Mariae Malbronensis constat. Haec epilepsia adeo pertinaci miserabilique aliquandiu afflicta est, ut quotiescunque se fere lecto ad surgendum moveret in terram decidua manibus pedibusque exporrectis, dolendum profligatae mulieris spectaculum fieret, multoque tempore pro mortua haberetur, ut illi deinde ad evitandos hosce casus in lecto commorandum esset. Subiit postea in somno haec dormienti phantasia, qua existimabat se Clusana in aede sanitati pristinae restitui, quo laeta somnio jam vigil Deiparae huc supplicationem addixit, modo valetudo constaret. Excepit promissionem novus sopor, quo evanescente rursum vires corporis adeo invaluisse sensit, ut digressa lecto exsolvendi voti curam susceperit, nullo post hoc morbi prioris vestigio remanente, quod coram notario testibusque cum marito, Jacobo Munstero, jurata 8. novembris 1641 affirmavit.

Nec hydropis curati experientia defit. Petri Longwigii ex Sirccio uxor, Barbara, Clusana in aede cum marito testata est, quod anno 1644 die 4. julii hydropem contraxerit ex morbo alio praevio, frustraque arte medica, precibusque Sirccii ac Treviris institutis obluctata doloribus postremo ac desperatione sanitatis recuperandae plena, cum de praesenti multorum apud Divam Eberhardi Clusanam ope inaudisset, rursus in spem erecta, peregrinationis huc votum conceperit, modo vale-

tudo ad hoc rediret. Rediit pro voto, nec gratiae immemor ad Clusam se una cum conjuge omni devotione stitit.

Et captivorum libertatem hinc sperari posse, exemplo disces. Conradus Gerardi Ettelbrugae Bergi incola anno 1641 captivitate quorundam militum interceptus, atque ad pagum Krucht in vinculis pertractus super arborem supinam ligatus extentusque ad torturam, crudelitate tanta haesit, ut cum doloris impatiens, omnia sibi in aere possibilia promitteret, nec tamen laxaretur, quod spe majora praedones devorarent, Clusani patrocinii memor, Deiparam summis infimisque precibus in subsidium vocat, seque nudipedem laneaque in veste supplicatum eo venturum addicit, si ejus ope a tanto discrimine eximatur. Nec mora tantus praedones incessit terror, ut suos quisque conjectus in equos, fugam qua posset celeritate capesseret, vincula etiam, quibus captivus tenebatur, soluta ultro libertatem misero insperatam darent, absterso quem perpessus erat, dolore, ut pluribus uno pene momento cumulatus beneficiis, domum sese, atque hinc sine cunctatione Clusam, liberatrici suae acturus gratias, contulerit.

Non videtur praetermittenda vulneris ex se mortiferi curatio, per Deiparam praestita. Anno salutis 1642 Joannes Pauli, praetor Metzenhausanus in Bulay, assistens hoc loco Mosellae, a Lotharingico milite trans flumen consistente secundum guttur pectusque trajectus, tantum repente ejecit sanguinis, ut pro mortuo habitus, solicitante frustra ad confessionem sacerdote, quod vox intercidisset sensusque. Domum deferretur, ubi vero rediisset cum animo halitus, per vulnus hic juxta atque os naresque exspirabat. Costae praeterea binae per globum ad dorsi spinam divisae, haerens in corpore plumbum tenebant. Doctores ac chyrurgi de remedio desperabant, cum ei transmissus in gulam cibus potusque per vulnus se effunderent. Vota igitur ad Deiparam auxiliatricem tam uxoris quam mariti et scribae loci Clusam peregrinatione destinata vertuntur, quam Paulus ut primum pedibus afflictissimo adhuc corpore niti potuit ingredi conatus est, evalescente jam vulnere, plenas sibi in via adituque sacelli vires restitui sensit,

jamque sanus exultansque 30. augusti jurata cum pluribus testibus fide beneficium affirmavit.

Denique eodem anno 12. septembris plures vitam ejusdem Virginis patrocinio se debere confessi sunt. Civis oriundus ex Schleichio cum aliis viris quinque haud procul Dezemio Mosellam navigabat, cum subversa tempestate ac fluctibus navis universos profundo mersit; interea ad opem Deiparae versi, conceptum peregrinandi ad Clusam votum illi nuncuparent. Nec irritum fuit. Quamvis enim ad fundum allisi fluminis manus arena opplessent, levati tamen ad aquarum superficiem invisibili quadam virtute ad portum provecti sunt, votivaeque peregrinationis se obnoxios agnovere.

Porro singulare patrocinium Deiparae, pluribus infantibus demortuis praestitum, aliquot nobis exemplis declarandum est, quanquam nonnulla superius exhibita fuerint. Anno 1641 Margaretha Cochemensis, sub marito suo, Joanne Schillingo, incola vici Pruttig, pridie festivitatis Sancti Jacobi, mortuam prolem enixa est. Hanc postquam et in aqua calida, et in vino, ad elucendum, si quis vita calorem lavissent, sepulchro destinabant, cum ex vicinis femina casum infantis sine baptismo interituri miserata, votum Clusae a parentibus invisendae suadet et obtinet, quod ubi nuncupatum fuit, vitam desperata proles hausit, atque in posteros annos propagavit, ipsa simul ac Deiparae aram cum genitoribus in obsequium gratitudinis delata. Accedit taumaturgae hujus praeconiis, quod 5. septembris anni ejusdem generosi domini Antonii ab Eltz conjux, Anna Elisabetha, praematuro sex mensium urgente partu cum emortuum ex se foetum formidaret, praeoccupato Deiparae voto Clusanam supplicationem addixerit, modo prolem baptismi capacem ederet, nec multo post facili liberata partu, vivam edidit, seque supplicem ad aram stitit. Affinia his sunt, quae proximis annis evenisse comperimus. Stephanus Knauffius, chyrurgus Viandensis, cum uxor septimestri foetu gravida, per aliquot dierum intervalla nullum in vitali ante fructu, signum vitae deprehenderet, obtinuit, ut emisso ad Deiparam Clusanam voto, statim in utero proles signa vitae praesentis

Digitized by Google

manifestaret. Adjicio concludoque in illo, quod eodem cum priore anno, 1643, evenit Cochemii; filiola istic Michaelis Torschen et Margarethae conjugis tam vehementi tusse correpta est, ut praefocata et nigrescens tota exspiravit, quo facto attoniti parentes, cum ultra horae quadrantem nullum ederet vitae argumentum, proni ingenua Deiparae votum peregrinationis Clusam nuncupant, et cereum par cum puella facientem pondus, atque ab omni tusse liberata vivit. Donum et parentes cum puella facti testes, Clusae excepti sunt.

CAPUT IV.

Acatholici per miraculosam hanc Virginem ad fidem catholicam traducti.

Memoranda duorum ad orthodoxam fidem anno 1640 facta conversio, hanc exemplorum seriem claudet. Ex his principem dignitate locum generosus dominus Rudolphus baro ab Ulmena, cui sociata conjux Anna Magdalena de Missigel, Luzelburgensis, augustanae confessionis iste, haec catholica, sed marito imprimis chara, quae cum lethalem incidisset morbum, viris ac sensuum expers jacuit, quominus ritu catholico expiari munirique ad salutem opportune posset. Res haec magnopere sollicitum tenuit dominum, ratusque est, si Deiparae, tot miraculorum operatrici, cui imprimis addictam fuisse conjugem noverat, pro ipsa votum nuncuparet, non deserendam ab illa conjugem. Quare flexis eo consilio poplitibus, intimo hoc animi sensu praestat, petitque tantum illi vocis intellectusque ipsius intercessione a Deo concedi, ut extremis rite sacramentis muniri possit. Admiranda res, plus quam pro ea rogat, consecutus est. Uxor animum vocemque recipit, sacramque catholico ritu exomologesin obit, ac deinde corpore

Digitized by Google

ac mente sana lecto exit, et maritum comitata Clusam abit; ille abjurata haeresi catholicam religionem amplexus, admirabilem auxiliatricis Deiparae beneficientiam depraedicabat. En nondum abbreviatam hac aetate Dei manum, ut potenti virtute non tantum pertinaces morbos, sed etiam errores frangat. Hoc factum 9. julii anni 1640, coram ipse cum Magdalena Rudolphus testatus est, quanquam morbum illa jam anno 1628 concepisset, diuturno languore exhausta.

Aliud porro raritate sua exemplum nihil priori cedit, quod in milite eodem tempore anni 1627 graviter afflicto, et pari quoque anno 1640 sanato, Clusa vidit. Is David Sartorius erat, ex Misnia, Kemnitio, oriundus, praefecti in militia Suecica munus obierat, sed a caesarianis interceptus, eorum denique cohortibus accessit. Verum sub Piccolomineo adversus Gallos infelici pugna decertavit, nam secundum crus dextrum graviter afflictus, dum haerentem intra carnes globum sectione eruit, in nervis laesus, gravissima contractione adeo laborare coepit, ut vix binis se grallis loco dimoveret. Prumiam igitur curru vectus, religiosorum istic hominum charitate diu, sed nullo neque ad fidem, cum lutheranus esset, neque ad sanitatem, cum nervi magis magisque contraherentur, profectu; unde lecto perpetim trunci instar adhaerescere, nec nisi alienis manibus loco visus moveri, Spiram denique vehiculo translatus, Susannae uxoris in patria, morari coactus est. Haec tristi adeo conjugis spectaculo moesta turbataque, cum esset orthodoxa, et Deiparae Everhardi Clusanae praesentem multis opem intellexisset, huc et ipsa votis aspirare, et maritum, quamvis parum huic religioni tribuentem, doloris tamen morbique vehementia ductum, impellere, ac denique persuadere coepit, ut promitteret, si per vires liceret, eo se peregrinationem aditurum, et sanitatis compotem, catholicae gremium ecclesiae subiturum. Hanc promissionem illae mox vires secutae sunt, quibus se itineri futurum in grallis parem crederet, nec fefellit expectatio; viam ingressus vires eundo firmari sensit, quare sacellum laetus attigit, atque ingenti spe plenus, ritu catholico expiata mente haeresique damnata, ac

sacra refectus sinaxi, integrae se prorsus sanitati redditum obstupuit. Monumentum veri accepti beneficii, et suspensae ad aram grallae, et pescereus fuit, quod in frequenti temporum praesentia juratam testatus fidem, ea qua narravimus ratione exposuit.

Haec e pluribus ceu probatissima excerpenda duxi, quorum pleraque tam expensa diligenter, tot adjunctis exposita, tot fidis multisque nixa testibus, ut humanam cum Divina fidem solemque ipsum veritatis de mundo tollere videantur, si haec vel universe conficta, vel non nisi diabolicis illusionibus adumbrata ad decipiendos mortales affirment. Inexcusabiles vero sunt acatholici, atque hujus imprimis saeculi nostraeque archidioecesi vicini, qui his cognitis etiamnum pertinaciter adversus cultum Sanctorum, imprimis Deiparae Virginis pugnant, suaque in haeresi tot evidentibus argumentis explosa, persistunt, qui si oculis haec atque experimento ut ante memorati resipiscentes, usurparent, cum iisdem, opinor, errorem deponerent.

Interea non sum is, qui haec alia quam fide historica a me excipi velim, in qua cum post diligentem investigationem etiam, quaedam fallere nonnunquam ac subterfugere nos deprehendamus, idem in propositis exemplis et primis scriptoribus et mihi eorum vestigiis, ubi solidissima esse ratus sum, insistenti evenire potuisse haud invitus diffidear, quod si tamen oculator nonnemo post deprehensum alicubi errorem, statuere ausit, nihil ejus generis historiis tribuendum, quae deceptioni obnoxiae sint, illum ego hac in re tanquam coecum magisque peritis arbitris contemnam, atque ad incredulorum illam ablegabo classem, quibus illud Thomae in ore est, *nisi videro non credam*, qui siquam authoritatem habent, ut aliorum pietatem sua incredulitate infringunt, ita Divinae miserationis opem avertunt. Feliciores sane illi, qui in tanta ecclesiae luce et miraculorum hodieque in illa produrantium consensione, totque mortalium in afflictione levatorum experientia *non viderunt, et crediderunt, beati,* inquam, qua aliquando benevolum protectorem habere merentur illam, cujus manum sentiant nondum abbreviatam, non fallit nos, qui dixit, signa eos,

Digitized by Google

qui crediderint, sequentur. Vix illustrem aliquam reperias toto orbe christiano metropolim, in qua non aliquando fidei orthodoxae veritas miraculorum gloria coruscet, ut et fidelium roboretur in suscepta religione pietas et infidelium heterodoxorumque impietas confundatur. Haec nimirum fidei Romanae toto orbe propagatae gloria, nisi cum ecclesia occumbente, nunquam occidet. Quare tacere nisi ad tam illustria religionis nostrae argumenta, obnitentium carpentiumque incredulorum metu nequaquam licuit, quod cordati integrique scriptoris sit, obtrectantium livorem ac censuram, praesertim transfugarum, qui suae aliquot perfidiae velum quaerunt, non vereri, ubi a receptis historiae legibus non deflectitur.

CAPUT V.

Hospitale Cusanum.

Hujus loci et originem et instituta fuse prosecutus est ipse cardinalis Cusanus in testamenti sui tabulis, unde quae ad personarum et vectigalium conditionem, et ad leges ac disciplinam ortumque domicilii pertinent, abunde cognosci tradique possunt. »Considerans igitur animoque secum multum reputans, »vir doctissimus juxta ac integerrimus, quanta Deus largitor coe»lestium omnium munerum remuneratione praeveniat, pro hospi»talitatis et miserationis opera, pauperibus et misericordia dignis »impensa, pretio sibi comparavit semirutum quoddam oratorium, »juxta capellam S. Nicolai situm, infra limites parochialis ecclesiae »villae Cusae, e regione oppidi Berncastelli, prope fluvium Mo»sellam, eaque solo aequata, et peculio, quod ipsi Dei munere »collatum, novam erexit, eamque sumptuoso opere decem millium »amplius florenorum impensis, peristilio quadrato, cameris, »coenaculo, domibus officinis instruxit, tam spatiose et laxe, »ut recipiendis ac fovendis tot pauperibus miserandis ac labore

Digitized by Google

»confectis satis esset, quot Christus Salvator in terris agens »annos vixisset, quin et ministris ad pauperum obsequia, et »presbyteris ad obsequia peragenda divina, curamque anima»rum tuendam inibi idonea quoque habitacula curavit exstrui. »Quam ob rem Jacobi archiepiscopi consensionem nactus, »omnes quoque facultates paternas Joannis Crepsii, et sororis »Margarithae ac Matthiae, conjugis, Treverici scabini, prolixe »contulit, et patrimonii universi dotisque summam ad XX. »millium florenorum valorem, qui ingens ea aetate, revocavit.« Hoc vectigali ac fabrica constitutis, voluntatis haec suae decreta post se reliquit, ut semper alantur 33 pauperes, labore senioque confecti, quinquagenarii aetate aut ultra, viri masculini sexus, integra fama, honestaque vita, cujus rei dijudicatio sit penes rectorem, duos scabinos, locique parochum. Horum ea conditio sit, ut ubi suppetent, sex sint sacerdotes, sex nobiles, unus et viginti plebeji, qui numerus, etiamsi augeatur vectigal, status sit ac perennis, neque accrescat.

Joanni archiepiscopo ejusque successoribus pauperum cellas tres moderari fas sit, quarum unam presbytero, duas nobilibus assignet. Theodorico quoque domino de Manderscheid unius cellae arbitrium permittitur, alendo nobili viro, caeteras omnes rectoris arbitrio assignari placuit. Voluit omnes habitu uti, quo laici ordinis S. Augustini canonicorum regularium, colore leucophaeo, et in vivendi ratione, quoad possit, assectari disciplinam congregationis Windeshemensis. Rectorem delegi morum probitate et prudentia muneri parem, aetate non minorem quadragenario. Presbyteros horas persolvere canonicas teneantur. Inspectores nominavit seu visitatores perpetuos priorem carthusiae Montis S. Beati prope Confluentiam, et coenobiarcham canonicorum regularium in Insula. Scripsit et sancivit haec Romae in domibus solitae residentiae 3. decembris anno 1458, pontificatus Pii II. papae anno I. Confirmavit eadem pontifex Pius, IV. non. januarii. Rectorum primus fuit,

Joannes de Bredel, scholasticus Confluentiae apud S. Florini collegiatam, nepos vel consanguineus Cusani, cognomento Romanus.

Digitized by Google

Simon de Cusa, adjutor Joanni datus a cardinali.

Petrus de Erckelens, decanus Aquensis, successit, aliique subinde post alios institutum pietatis opus ad nostram hanc aetatem propagarunt.

Porro reliquorum, qui ex pastoribus plerumque aut canonicis assumpti usque ad D. Georgium Wolffgangum Osberg, canonicum S. Paulini, duo et viginti numerantur, ordine censere nomina, otiosum pene existimo. Delecti tamen plerumque et probatae jam industriae viri hujus loci regimini admoventur, ne plus noceant exemplo, quam imperio prosint, sed digni ante habeantur rectores sui, quam aliorum.

Verzeichniß der Rectoren,

von Hrn. Martini in dem Berncaſteler Wochenblatte vom 9. Juli 1835 aufgeſtellt, und ſpäter abſonderlich von ihm berichtigt.

1. Johann Römer, Canonicus zu St. Florin zu Coblenz, Vetter des Cardinals, kommt in den Jahren 1463 bis 1466, und namentlich 1465 vor.

2. Simon Culbe von Cues, Canonicus zu St. Simeon, Vetter des Cardinals, war Anfangs, 1465, Coadjutor des Rectors Johann Römer, und kommt demnach in Urkunden von 1466 und 1467 als Rector vor.

3. Theodor von Xanten, Canonicus zu Aachen, Anfangs Coadjutor des Johann Römer, kommt in Urkunden von 1468 an als Rector vor, ſcheint aber zeitig reſignirt zu haben und ſtarb den 27. September 1493. Urkundlich reicht ſeine Wirkſamkeit als Rector nur mehr in das J. 1474.

4. Stephan von Berncaſtel erſcheint als Rector in einer Urkunde von 1474.

5. Peter Wymari, von Erkelens, früher Secretair des Cardinals und Dechant zu Aachen, kommt in Urkunden von 1488—1492 vor und wäre es möglich, daß die Zwiſchenperiode von 1474—1488 durch eine Adminiſtration ausgefüllet worden. Wenigſtens habe ich eine Quittung in Händen gehabt, ausgeſtellt

am Samstag nach Apostel-Theilung 1483 von Nicolaus Zorn, des Hospitals zu Cues Procurator. Der Rector Wymari hat dem Stifter das kupferne Epitaphium, welches noch in dem Chor der Hospital-Capelle befindlich, nach einem ähnlichen, welches dem Cardinal zu Rom in seiner Titularkirche gesetzt worden ist, errichten lassen. Wymari selbst ist laut eines in Stein gehauenen Epitaphiums, so noch hier besteht, am 16. Febr. 1494 gestorben. Auf diesem Epitaphium, so auf dem ehemaligen Kirchhofe des Hospitals steht, heißt es: Anno Domini MCCCCXCIIII. XVI. die mensis Februarii obiit venerabilis dominus Petrus ab Erkelens decanus Aquensis et rector hujus hospitalis, cujus anima requiescat in pace, Amen.

6. Jacob Kling, Canonicus im Stift St. Castor zu Coblenz, kommt in Urkunden vom J. 1490 als Rector vor.

7. Eberhard Scholl, von Siegen, früher Vicarius in St. Castors Stift zu Coblenz, kommt in den Urkunden von 1495 bis 1511 als Rector vor, und ist am 30. Junius 1513 gestorben.

8. Adam von Engers kommt als Rector in Urkunden vom J. 1511 bis 1533 vor.

9. Johann Jung, von Sohren, kommt in Urkunden als Rector vor vom J. 1535 bis 1550.

10. Johann von der Neuerburg, früher Kellner zu Ehrenbreitstein, kommt in den J. 1550 bis 1572 als Rector in Urkunden vor und ist am 1. April 1576 gestorben. Auf seinem Epitaphium, in der Hospitals-Capelle, zur linken Seite heißt es: Anno Domini 1576 mense Aprili I. die ratione subducta vitam morte commutavit reverendus dominus Joannes a Novocastro divino favore rector hujus hospitalis, ejus anima in Domino Jesu quiescat, Amen.

11. Thomas Bentges ist im J. 1572 oder 1573 als Rector eingetreten.

12. Jodoc Vogts von Cröf, früher Pastor zu Boppard, erscheint als Rector von 1576 bis 1592 und starb den 9. Mai 1595.

13. Heinrich Dryeer, von Coblenz, Rector vom J. 1592 bis 1595.

Digitized by Google

14. Nicolaus Deunſch, von Wehlen, früher Paſtor und Dechant zu Berncaſtel, Rector vom J. 1596 bis 1618, geſtorben am 5. September 1618.

15. Caspar Richardi, Rector vom J. 1618 bis 1621.

16. Salentin Ludovici, Rector vom J. 1621 bis 1624, geſtorben am 26. Auguſt 1624.

17. Peter Metternich, früher Paſtor zu U. L. F. in Coblenz, Rector von 1624 bis 1629.

18. Johann Meyer, früher Dechant zu Piesport.

19. Peter Müller von Maring, wird 1637 genannt.

20. Philipp Deunſch wird in Urkunden von 1640 und 1642 als Rector gefunden.

21. Georg Wolfgang von Osberg, Canonicus zu St. Paulin bei Trier.

22. Stephan Noll, von Monreal, früher Paſtor zu Müden, ſtarb den 18. October 1645; in dem Nekrolog heißt er Stephan Nöhll.

23. Nicolaus Weiten, hat 1651 freiwillig abgedankt.

24. Nicolaus von Alff, früher Präbendat des Hoſpitals, war Rector von 1651—1660, und ſtarb den 14. Febr. 1662.

25. Johann Tilmann Zilchen, von 1660—1686, ſtarb den 28. April 1686.

26. Johann Adam Longuing, früher Paſtor und Definitor zu Emmel, Rector ſeit dem 8. Mai 1686, mußte noch in demſelben Jahre, den 30. Julius, ſeine Stelle niederlegen.

27. Zacharias Sparr, Auguſtinerordens, Rector um 1690, ſtarb im J. 1703.

28. Peter Wentz, von Trier, früher Paſtor zu Kirchhof, bekleidete das Rectorat von 1703 an, gerieth aber zu Zwiſt mit den Aufſehern des Hoſpitals, und vertauſchte darum ſein Amt gegen die Pfarrei Berncaſtel, den 23. Junius 1707.

29. Matthias Biellen oder Billen, früher Paſtor zu Groß-Iittgen, Rector von 1707 an, ſtarb den 30. November 1710.

30. Johann Hugo Schannen, früher Paſtor zu Kirchhof, Rector ſeit 1711, ſtarb den 4. December 1721.

31. Heinrich Brechels, früher Paſtor zu Wittlich, trat das Rectorat an 1722, und reſignirte verſchiedener Unannehmlichkeiten halber 1726, um die Pfarrei Warweiler zu übernehmen.

32. Damian Heinrich Schmitz, früher Paſtor zu Oſan, fungirte als Rector 1726—1736.

33. Heinrich Brechels, zum andernmal Rector von 1736—1746, ſtarb den 22. Mai 1747, wohl verdient um das Hoſpital, ſo ihm u. a. den noch beſtehenden ſchönen Oeconomiebau längs der Plainterre verdankt.

34. Karl Becker, Rector von 1746—1747.

35. Peter Kirſten, früher Paſtor zu Mariä-Rachdorf, Rector 1748—1754.

36. Stephan Schönes, von Monzelfeld, ernannt 1754, mußte am 15. Januar 1783, in Gefolge einer um ſeinetwillen verordneten außerordentlichen Viſitation niederlegen. Ihm verdankt das Hoſpital manche Verſchönerungen, beſonders die Aufführung des ſchönen Flügelgebäudes neben der Capelle, auch die Anſchaffung der vorhandenen Gemälde, aber ſeine Prachtliebe, und der unmäßige, auf Koſten einer Armenanſtalt geführte Aufwand, worin er es den Prälaten der reichſten Klöſter gleich zu thun ſich bemühte, mußten allgemeine Mißbilligung finden. Damit nicht ein Nachfolger zu gleichen Thorheiten durch den anſpruchsreichen, von dem Stifter ſelbſt beliebten Titel eines Rectors ſich veranlaßt finde, heißen die Vorſteher der Anſtalt ſeitdem nur mehr Verwalter.

37. Philipp Joſeph Ruwer, früher Oeconom des Clementiniſchen Seminariums zu Trier, trat als Hoſpitalverwalter ein den 15. Januar 1783, beſiegte ſtandhaft und glücklich die vielfältigen, von der Verwaltung des Rectors Schönes ihm bereiteten und hinterlaſſenen Schwierigkeiten und Verfolgungen, tilgte die von dem Vorgänger gehäufte Schuldenmaſſe, 27,079 Rthlr. 33 Alb. 4 D., reſignirte aber letzlich, um die Pfarrei Berncaſtel anzutreten, den 22. April 1799. Im J. 1794 war er, auf höhere Weiſung, vor dem Einrücken der Franzoſen, nach Beſtellung eines Subſtituten, mit einem Theile von der Stiftung

beweglichem Vermögen, auf das rechte Rheinufer geflüchtet; dieſes benutzte die neuerungsſüchtige Partei in Trier, um, unter dem 30. Januar 1795, den Domprediger Peter Joſeph Roſen als Verwalter einzuführen. Es mußte derſelbe aber der Legitimität weichen, ſobald Ruwer von der Emigration heimkehrte, und gilt daher Roſen nur als Eindringling.

38. Johann Rapedius, von Berncaſtel, der zeitherige Frühmeſſer zu Cröff, ſtand dem Hoſpital als Verwalter vor vom 22. April 1799 — 19. Januar 1803.

39. Johann Wilhelm Schreiber, früher Paſtor zu Neumagen, zum Verwalter ernannt den 19. Januar 1803, wurde am 6. Junius 1809 zu der Pfarrei St. Gangolf in Trier befördert.

40. Nicolaus Thiel, von Monzelfeld, früher Paſtor zu Berglicht, Verwalter ſeit dem 6. Junius 1809, legte zu Anfang des Jahrs 1821 ſeine Stelle nieder, und führte ein ſtilles Leben, anfänglich zu Ober-Emmel und nachmalen zu Trier, woſelbſt er auch an den Folgen eines Stickfluſſes den 17. März 1827 geſtorben iſt.

41. Matthias Joſeph Lauer, von Berncaſtel, früher Paſtor zu Daleiden, Verwalter ſeit 1821, legte den 1. März 1827 ſeine Stelle nieder, und trat ſpäter ein Beneficium in Neumagen an.

42. Matthias Martini, von Haag, früher Oeconom des biſchöflichen Seminariums zu Trier, wurde zum Verwalter ernannt den 1. März 1827. Ihm verdankt die gelehrte Welt gehaltvolle Mittheilungen über die Geſchichte der Cuſaniſchen Stiftung und der Stadt Berncaſtel.

CAPUT V. bis.

Monasterium abolitum Insulanum.

Fuit iam olim in Niederwerth, Insula inferiori, reclusorium quoddam S. Georgio sacrum, quod personae devotione accensae et Altissimo famulantes, inhabitare consueverunt, quod tamen tractu temporis, sub initium saeculi XV. ad tam miserum in temporalibus et spiritualibus statum devenisse testantur Otto et Udalricus, archiepiscopi, ut moniales turpitudini potius, quam divino cultui vacantes, domum sanctam dilapidare non vererentur.

Quare Otto archiepiscopus istarum monialium incorrigibilitatem diutius ferre nolens, ad preces sui sacellani, Petri von Eller, regularis canonici, locum sanctum praefato canonicorum regularium ordini tanto lubentius transcribere decrevit, quod inaudiisset nonnullos illorum suum in Zwol monasterium ob sancte servatum, quod in illis dioecesis Trajectinae oris promulgatum fuerat pontificis interdictum, deserere debuisse. Verum cum archiepiscopus Otto ante subsignatum incorporationis instrumentum vivere desiisset, electus a quibusdam in archiepiscopum Udalricus, literis in Erembreitstein, 26. julii 1431 datis, praedictam incorporationem approbavit.

Interea veniunt a Juliano, per Germaniam legato apostolico, aõ 1432, 28. martii, Basileae, ubi intererat concilio oecumenico, literae, non ad Udalricum, qui pro archiepiscopo non habebatur, sed ad abbatem ad S. Matthiam, quibus ei significabat, ut si relata veritate niti comparirentur, incorporationem cum omnibus in instrumento supplici inclusis, suo nomine ratam haberet. Haud multo post ad Juliani instantiam subsecuta est a concilio ipso Basileensi sub plumbo plena confirmatio 2. cal. decembris 1433, ad abbatem in Seyn, et ad decanum S. Florini directa. Cumque necdum ad capiendam

possessionem parata essent omnia, idem Julianus legatus, Basileae, 1. febr. 1435 scriptis mandavit, ut S. Florini decanus, Nicolaus Cusanus, expost cardinalis factus, omnia illa Insulae bona in suam custodiam assumat.

Rabanus Helmstadius, Ottonis verus successor, aõ 1437, die S. Laurentii, suo diplomate (vid. Codex dipl. Rheno-Mosellanus, t. 4. p. 368) hucusque acta approbavit, et ut metropolitanum capitulum etiam consentiret, effecit 18. julii 1438. Bona quaenam fuerint, videri possunt in testimonio scabinorum de accepta possessione eorundem, aõ 1469 erecto. In dicto testimonio, quod contestationem vocant, numerantur sequentia:

1. Omnia ad sacellum Sti Gangulphi pertinentia.
2. Archiepiscopi domus ibidem et villa.
3. Monasterium *die Clauss* nuncupatum, und Vereynete, die da innen waren, zu Beſſelich.
4. Feudum in *Haus und Hoff* supra sacellum, excepto Salmwurff, ita tamen, ut tenerentur canonici annue festo Sti Brixii ex censibus 24 gallinarum, 5 anserum, $2^1/_2$ florenorum ad feudum spectantium, scabinos convivio excipere.
5. Sacellum S. Gregorii, cum appertinentiis, quod regebatur a domino Nicolao von Keivenheim, cui in Munstermeinfeld provisum fuit.

De flore coenobii huius testatur confraternitas, inter ipsum, gubernante Adamo, priore, et abbatiam Lacensem inita, dominica Exaudi 1482. Adamus, iste prior, condictus de Petra, occurrit etiam 1465, nec non 1504.

Verum circa annum 1580 nonnisi duo patres superstites fuere (Hontheim, t. 3. p. 101), quorum unus alibi translatus est, alteri certi redditus ad sustentationem assignati sunt. Successerunt itaque in locum eremitarum sanctimoniales ordinis cisterciensis, quae ad antiquam Leram Confluentiae hucusque Deo servierant. Monasterii huius Confluentini originem descripsit P. Johannes Deutsch, aõ 1664 confessarius in Insula inferiori, ut ipse quidem inquit, ex documentis antiquis et manuscriptis monasterii, sed, ut quilibet legens observabit, plurimum pia traditione ductus. Adjungimus religiosi viri

scriptum: *Origo et propagatio monasterii virginum ad antiquam Lheram sive Lefram dictum, in civitate Confluentina, ordinis cisterciensis.*

TITULUS PRIMUS.

Antegressae fundationem rerum occasiones.

Cum S. Bernardus (aõ 1152) aliquando Germaniam ingressus, de Boppardia Confluentiam tenderet, dñus Gulielmus de Helfenstein, strenuus miles, ad instantiam coniugis suae Benignae, ad spatium aliquod Rhenum versus extra civitatem debita cum reverentia S. Bernardum conveniens, cum summa humilitate, defixis genibus in terram, rogavit, quatenus ad se in castrum suum divertere dignaretur, pro summo reputans, si viri dei aspectu pariter et colloquio frui posset. S. Bernardus supremam viri nobilis humilitatem perpendens, annuit petitioni eius: et Rhenum traiicientes, vir Dei dñum sequitur praecedentem. Jam castrum introeuntes, cum quanto putas gaudio, reverentia quanta, dña Benigna virum Dei susceperit, quam sedule ministraverit, cuius videndi desiderio tam diu tenebatur? Etenim cum esset sterilis et annis octo et decem cum domino suo sine prole vixisset, omnemque posteritatis spem abiecisset, certo tamen sibi persuasum habebat, si benedictionem aliquam a viro Dei retulisset, sese eius meritis a sterilitate continuo liberandam; ob nimiam tamen reverentiam idipsum viro Dei edicere erubescebat. Noctu igitur dominum suum interpellans, rogavit, quatenus per eius intercessionem pileum sive biretam, in qua vir Dei noctu dormiebat, pro benedictione nancisci mereretur. Mane facto et viro Dei abitum iam properante, dñus Gulielmus promtus et fidelis executor, apud virum Dei benedictionem pilei sui, in quo noctu dormieret, pro amantissima coniuge summis infimisque precibus efflagitavit. Ex hoc iam viro Dei sterilitas coniugis coelitus subito innotuit. Qua vocata, »ecce,« ait Sanctus, »in hoc (porrigens ei pileum) benediceris a patre luminum,« quae cum summa reverentia

Digitized by Google

thesaurum sibi optatissimum gratissimumque suscipiens et exosculans, super omnes gazas thesaurosque alios optimo in loco recondendum, et a posteris suis summo in honore habendum censuit, et ecce tibi! ut sermo hominis Dei vivus et efficax probaretur, in proximo concepit mulier, intra triennium duos filios enixa. Vixit dein cum domino suo annis quindecim, quo e vivis sublato, filios suos in timore Dei fideliter instruebat. Qui annis succedentibus ambo milites facti, vestigiis patris strenue insistere satagebant. Etenim natu maior, Randolphus, contra Saracenos in bellum profectus, pro fide orthodoxa in eodem succubuit. Porro Arnoldus paternam hereditatem adiit, dominus castri factus, anno aetatis 26to coniugem accipiens Jehenettam, filiam domini Isibodi de Wederstein, ex qua suscepit filios duos, et filiam unicam, Adonedam nomine. Primogenito nomen patris indidit, Gulielmus, secundus vocabatur Emelricus. Interea pia mater, dña Benigna, profecta aetate feliciter obiit, apposita ad dominum suum; quae morti appropinquans, thesaurum illum gratissimum (pileum S. Bernardi), filio suo unicé commendavit: »eo,« inquiens, »maiori studio ille a te observari pariter et venerari oportet, quo reminisceris, te viri Dei precibus et meritis id esse, quod homo es. Spero enim fore, quod ex progenie nostra quandoque aliqua futura sit, quae ordinem S. Bernardi amplectetur, et thesaurum illum in retro generationes et Dei imprimis et hominis Dei glorificationem collocatura sit, et veneratura mysterium.«

Porro Gulielmus natu maior, procurante patre, desponsavit sibi uxorem Irmegardin, filiam dñi Conradi von Stein, ão 1209. Ex qua suscepit filios tres: Manfredum, Ottonem et Aubaldum, et filiam unicam, cui non sine instinctu divino avus adhuc vivens nomen matris suae indidit, Benigna, cum felici praesagio: »haec filia, a domino electa, thesaurum mihi unice commendatum in retro generationes servabit, et venerabitur, sicut commendavit mihi pientissima mater, morti vicina.« Interea, aetate deficiens, in senectute bona, a domino benedictus, septagenarius feliciter moritur dñus Arnoldus, successore domino castri relicto filio suo Gulielmo.

Digitized by Google

Igitur anno salutis 1217 nata est domina Benigna ex famosissima illa nobili familia de Helffenstein: quae a parentibus suis in timore Dei studiose educata, cum annum ageret 15^{tum}, divinum quendam in semetipsa sibi videbatur sentire fervorem et affectum erga ordinem cisterciensem; unde maiore reverentiae studio afficiebatur erga pileum S. Bernardi, quem ad instantiam sibi a parente traditum saepius exosculabatur, intime rogans dominum creatorem coeli et terrae, si vera illa esset vocatio, quam in se sentiret, meritis et precibus viri Dei, eandem sibi plenius manifestare benigne dignaretur. Interea diu noctuque voluntatem divinam praestolabatur, quaternum in septimana sibi ieiunium indicens, quod ad vitae suae usque obitum irremissibiliter etiam servavit. O quam mirabilis est Deus in operibus suis! quam velociter currit sermo eius! quam facilia sibi fore demonstrat, cum voluerit, quae apud homines impossibilia videntur! Cum enim non solum nobiles et divites, sed etiam mediocres, ipsi quoque pauperes tum temporis, videntes ordinis cisterciensis utriusque sexus austeritatem, non auderent accedere ad eos, ista tamen tenera et delicata virgo, quasi de cella vinaria egressa, et inebriata vino, quod laetificat cor hominis, fervens et aestuans, anno aetatis 24to, desiderii sui socias undequaque sibi asciscere circuibat.

Erant tum temporis in civitate Confluentina quaedam devotae virgines, sex numero, griseum habitum gerentes, quae Dei et castitatis amore seipsas incluserant, omnium hominum aspectus fugientes, certam quandam vivendi normam sibimet ipsis constituentes et praescribentes, quae labore manuum suarum et eleemosynis fidelium vivebant, sed sub nullius ordinis instituto. In spiritualibus dñus pastor illis praeerat. His sese virgo fervens associare decrevit, et praedicare illis verbum vocationis, quod in secreto cordis sibilo aurae tenuis audierat, cupiens et aliis propinare, sicut scriptum est: qui audit, dicat, veni. Unde factum est, ut facile sibi illas animo deuinceret, et in eius sententiam totae irent, instituti sui eam moderatricem eligentes, donec aliud quicpiam de eis Deus constitueret. Interea dñus parens felicibus filiae suae pro-

Digitized by Google

gressibus congaudens, apud dñum Conradum, videlicet abbatem Hemmerodensem, instetit, quatenus adimpleret filiam suam cum laetitia vultus sui, eamque cum sociabus suis sub ordinis tutela et instituto susciperet, tradens eis normam vivendi sacrarum virginum ad S. Thomam Cantuariensem, quarum tum temporis celebris religionis cisterciensis fama erat.

TITULUS TERTIUS.

Fundatur hoc monasterium apud Confluentes in curia Helffensteiniana.

Itaque ão dñi 1242 moventes devotae illae virgines pedem de loco suo clusorio, procurante Gulielmo domino castri de Helffenstein, ductae sunt in curiam sive in domum suam, dictam ad antiquam Lheram sive Lefram, in Confluentia sitam, germanico idiomate superscriptio continebat: deren von Helffenſtein Hoff zur alter Herr, ibique sacellum constituens anno aetatis 25. promulgata est dña Benigna prima abbatissa eiusdem loci a venerabili dño Conrado, abbate Hemmerodensi. Cui illa cum successoribus obedientiam promisit, et subiectionem. Itaque in summa austeritate ordinem cisterciensem suscipientes, diu noctuque orationi et meditationi insistebant, quod vero tempus illis per diem supererat, labore manuum insumebant, in omnibus silentium studiose servantes. Unde factum est, quod in conspectu Dei et hominum gratum earum esset obsequium, ab omnibus diligerentur et venerarentur. In brevi etiam et numero et aedificiis et maiori ecclesia profecerunt, a domino parente et aliis fidelibus alacriter adiutae. Erat autem dñae Benignae animus in sola paupertate et austeritate dominum praestolari, timens ne, dum abundarent bonis temporalibus foris, intus virtutibus evacuarentur. Unde non acquievit, amplam fundationem suscipere; sed ipsamet praescripsit dño parenti, quatenus sibi assignaret curiam Lefram cum ampla area et asimentis eius, cum tribus et dimidio iugeribus vinearum retro aedificia, in der Firmungh, vineas in

Weiss et Lutzel Coblenz cum aliquot iugeribus terrae arabilis, tria maldera siliginis in Dreckenach, et 9 in Rüveren, domum in Horchem cum attinentiis, et tribus iugeribus vinearum. Bona item in Winningen, in aliquot iugeribus vinearum et terrae arabilis subsistentia, »quae tamen dño parenti (aiebat) non ita proficua sunt ob exiguitatem. Amplissimam autem aliam haereditatem fratribus meis lubens relinquo.« Auxit hosce reditus Jacobus Textor, civis quondam Confluentinus, cum Demude uxore sua aõ 1264, 10. cal. decembris tradens conventui in perpetuam eleemosynam quatuor domunculas suas, monasterio a parte inferiori contiguas, quas ob contiguitatem crescente numero se quandoque amplificandi domina Benigna suscipere acquievit, relinquens utrisque ad dies vitae usumfructum ex eis.

TITULUS QUARTUS.

Mirum incipientium primitivarum huius loci proficiendi desiderium, et insolitus fervor ac obitus B. Benignae.

Mirum dictu est, in quanta austeritate et victus penuria, fervore autem maximo spiritus, sacrae istae virgines primitivos patres cistercienses imitatae sint, magis sollicitae ne abundarent quam egerent, thesauro illo suo optatissimo (pileo sive bireta S. patris Bernardi) ita refertae et contentae, quod in illius et viri Dei sola recordatione nihil sibi per intercessionem eius ob eximiam sanctitatem et praeclara merita apud Deum unquam deesse posse certo confidebant, quem thesaurum posteris suis unice commendabant, qui ab iisdem studiose conservatus usque in hodiernam diem a sacris virginibus dicti ordinis nunc ad Inferiorem Insulam prope Confluentiam translatis, in summo honore cum multorum fidelium frequentatione habetur et conservatur ibidem, epilepticis maxime infantibus solo attactu certissimam spem vel sanitatis vel subsequendae mortis praestans, sicut experimento probatissimum est, etiam in haereticis.

Fructu igitur operum pietatis in Deum, caritatis in proximum et humilitatis insolitae repleta, non sine fama sanctitatis feliciter excessit e vita domina Benigna, prima abbatissa simul et fundatrix huius monasterii, annum agens octuagesimum quartum, idibus januarii in octava epiphaniae (13. januarii) 1301. Praefuit filiabus suis cum multa sollecitudine annis quinquaginta novem, insigne pietatis, caritatis et humilitatis exemplum omnibus relinquens; quippe omnibus amabilis, omnibus benigna erat, sed in se ipsam severa et quodammodo crudelis. Sepulta est in capitulo ad latus dextrum cum hac epigraphe: *Hic jacet nobilis matrona Domina Benigna de Helffenstein orta, pia, modesta, humilis et proba, bis quinque viginti et novem annis praefuens in curis virginibus sacris, aere perexiguo a se in Lhera fundatis. Pauperis namque cum cordis ardore ei placuit humilis absque honore Deum gemitibus praestolari cum fervore. Quam matrem filiae devotae Deo eiusque Virgini Mariae ex cordis visceribus commendate, dicentes: da ei, Domine, requiem et lucem quam inhabitas! Amen.*

Monasterium in Ravengirsburg.

Ravengirsburgi prope Simmern monasterium olim canonicorum regularium S. Augustini floruit, a Bertholdo quodam comite an. 1074 conditum. Arcem hic antea substitisse traditur, et loci nomen persuadet. Exeunte seculo XV. positum est conditori monumentum, quod interiori templi novissime exstructi muro insertum conspicitur cum hac epigraphe:

XPI. OB. AMOREM. SANCTIQ. MRIS. XPOFERI.
IN. HONOREM. LOCVM. HVNC. CONTVLIT.
GENEROSVS. BERTOLDVS. COMES.
ET. HANDWIGIS. EIVS. LEGITIMA. DEO.
FIDELITER. FAMVLANTIBVS. ANNO. SALVTIS.
M.LXXIIII. TERCIO. NONAS. MAII. HOC. IN.
MAVSOLEO. PAVSTANTES. CELESTIA. BONA.
EXPECTANTES. 1497. 7. YDVS. AVG.

Fundationis hujus monasterii literas, a Sigefrido archiep. Moguntino, vivo Bertholdo comite, sed eodem tamen, quo hic decessit, anno scriptas, Gudenus publicavit, Cod. diplomat. tom. I. pag. 377. Ibi praedia sua in tribus pagis, Nachgowe, Trachari et Hundesruche dedisse legitur, quorum quaedam in ejusdem Bertholdi, quaedam in Emichonis comitatu sita dicuntur. Emicho cum Nahgoviae comes certissime fuerit, Bertoldum reliquis duobus praefuisse comitatibus vel pagis colligimus.

Hic »postposita heredum et amicorum suorum dilatata »propagine, Christum et martirem ejus Christoforum et sanctiss. »confessorem Martinum heredes sibi elegisse« iisdem in literis traditur. Heredes itaque necessarios, liberos nempe, non habuit, sed cognatos et amicos, in quibus Spanheimenses procul dubio comites, quippe quos deinceps loca possedisse reperimus in istis fundationis literis commemorata.

Antequam praedictum monasterium in loco Ravengirsburg a comite Bertholdo et conjuge ejus Hedwiga conditum fuisset, capellam jam exstruxerant, quae intra terminos alterius ecclesiae matris constituta eique subdita erat, sicuti ex charta desuper die 5ta maji 1072 confecta (apud Günther Cod. Rheno-Mosel. parte I. p. 145) discimus. Hanc capellam rogante Cunigunda comitissa, Immechonis comitis vidua, ac consentiente Sigefrido archiepiscopo Moguntino, Udo archiepiscopus Trevirensis in honorem sancti Christophori martyris dedicavit.

Anno Domini 1074 praefatus comes Bertholdus arcem seu castrum suum cum capella sancti Christophori martyris in Ravengirsburg contradidit, ut monasterium canonicorum regularium S. Augustini ibidem erigeretur, sicuti in charta apud Gudenum loc. cit. legimus, in qua inter alia dicitur, Udonem archiepiscopum Trevirensem consensum suum ad hanc fundationem dedisse.

Anno 1128 Adalbertus archiepiscopus Moguntinus litem composuit inter monasterium in Ravengirsburg et ministeriales in bonis seu agris ab Udone libero ac nobili viro ipsi traditis (apud Günther Cod. Rheno-Mosellan. tom. I. pag. 199).

Anno 1139 Innocentius II. papa in confirmationem monasterii Ravengirsburg chartam dedit ac sancivit, ut imposterum mortuo praeposito non alius monasterio praeficeretur sacerdos, quam qui a fratribus per plurima vota eligeretur.

Templum monasterii tempore sic dictae reformationis lutheranae in partitione bonorum cessit catholicis, ipsumque satis amplum anno 1718 super veteribus fundamentis de novo constructum fuit cum duabus turribus.

Cum initio saeculi XVI. religio catholica et monasteria diversis vexis et infestationibus in ditione Palatinatus exponerentur, canonici augustiniani in Ravengirsburg altius praesidium perquirentes, imperatorem Carolum quintum adierunt, petentes, ut ipse bona et monasterium tueretur, qui obsecundans petitioni eorum archiepiscopum et electorem Moguntinum, nec non comitem Palatinum et comitem Rheni, ut per decem annos in fidem monasterium reciperent, ordinavit. Evoluto hoc spatio decem annorum innovationes religiosae de die in diem creverunt, vectigalia inusitata et gravia in bona monasterii imposita, vita monastica et regulae contemptui exposita vilescere coeperunt, sacerdotibusque imperabatur, ut sese confessioni augustanae conformarent (1). Georgius Palatinus comes et dux Simmerensis, nec non Joannes Sartorius prior monasterii in Ravengirsburg anno Domini 1560 feria II. post dominicam Exaudi inter se pacti sunt, ut novum ordinem reciperent canonici augustiniani et conventus; bona vero monasterii omnesque obventiones, census et proventus salva ac tuta essent, sub sequentibus verbis in documento expressis:

„Nachdem uns Hertzog Georg, vermüge hiebevoriger des Heilligen Reichs Abschit und dem uffgerichten Religion-Frieden, in unserm Fürstenthumbs Herschaften und Gebieten unsere ware Christlige Religion der Augspurgischen Confession gemäß (wie dan albereit dieselbige unsere Religion in Pfarn und Kirchen angericht und in Wessen,) uffzurichten, anzustelen und zu ordnen, zugelassen und dessen gut fug und macht haben, So haben Wir

(1) Widder, Beschreibung der Churpfalz, tom. III. p. 458.

mit obgedachtem Pater und Convent unſers Gotshaus Ravengierßburg und ſie ſich hinwieder mit uns nachvolgender Puncten, wie es hinfurter mit Haltung der Religion, Lere und Kirchengepruch in bemeltem Cloſter gehalten werden ſoll, verglichen, vergleichen uns auch wiſſenter Dinge in und mit Kraft dieß Brieffs, und nemlich ſo ſollen Pater und Convent, Prebender, und alle andere Leienbrüder hinfurter ſich in der Ler und Leben unſerer wahren Chriſtligen Religion, und der Augſpurgiſchen Conveſſion gemeß, erzeigen und haben, dawider nit reden, ſchreiben, thun oder leren, ſundern dieſelbe von Hertzen trewlich meinen, befurdern und zufür haben, und alßbald den Habitum ablegen, hinfurter ſich zu ſchwartz oder grawe ehrlige Prieſter-Rocke bekleiden," ꝛc. (1)

Status per hanc transactionem firmatus non diu viguit, dum monasterium cum omnibus bonis suis gubernio regiminis civilis addictum et administratio bonorum cuidam procuratori laico demandata fuerit.

De cura monasterii et disciplina claustrali canonicorum S. Augustini in Ravengirsburg longo tempore praepositi erant solliciti, omnem cogitationem in id conferentes, ut vota sua secundum instituta majorum rite persolverent; ast invalescente haeresi lutherana in illis partibus circa medium saeculi XV. declinabant a via recta, non servando fervorem spiritus in vocatione sua sancta. Canonici itaque regulares congregationis Windeshemiensis prope Zwoll in dioecesi Ultrajectina monasterium in Ravengirsburg statutis arctioribus subjecerunt, dignitate praepositi suppressa munus et nomen prioris retinuerunt. Seriem praepositorum atque priorum invenire est in actis academiae Palatinae volum. IV. pag. 404 et apud Widder, Beſchreibung der Churpfalz, tom. III. pag. 459, nec non infra ad calcem hujus paginae.

Anno 1697 canonici regulares S. Augustini per Franco-Gallos in possessionem monasterii ac bonorum iterum intro-

(1) Büttingbauſen, Beiträge zur Pfälziſchen Geſchichte, I. Band, III. Stück, Seite 256.

Digitized by Google

ducti, eodem anno lege pacis Ryswicensis, hoc anno compositae, omnia in pristinum statum reducta, bonis et proventibus cedere coacti sunt. Vi declarationis anni 1705 §. 36, 36 res in eodem statu remanserunt, redditibus praepositi per procuratorem fisco addictis.

Ab antiquissimo tempore ad parochiam in Ravengirsburg pertinebant filiales ecclesiae in Tiefenbach, Sargenroth, Belgweiler, Mengerscheid et Dickenscheid.

Cura parochiae in Ravengirsburg per expositum canonicum regularem a monasterio Ewerhardo-Clusano in dioecesi Trevir. sito illuc demandatum usque ad annum 1802 observata fuit, donec vi concordati inter rempublicam Franco-Gallicam et sanctam sedem apostolicam anno 1801 sanciti, nova circumscriptio paroeciarum facta est, in qua parochia Ravengirsburg in titulum erecta, ecclesiam et domum monasterii obtinuit una cum annuo salario 500 francorum ab administratione publica redituum persoluto.

Introducto anno 1802 novo parochiae ordine, filialis Dickenscheid a matrice ecclesia in Ravengirsburg separata et in ecclesiam parochialem erecta fuit cum salario 500 francorum ab administratione publica gubernii persolvendo; filialis vero Mengerscheid parochiae Gemünden adjecta fuit.

Series praepositorum et priorum in Ravengirsburg.

Anno 1084 Tyzelinus praepositus.
» 1130 Marcholfus praepositus.
» 1135 Wezelinus praepositus, sub quo ecclesia in Enkirch fundata et dedicata fuit.
» 1186 Richardus praepositus de Ravengeresburch.
» 1196 Gevino praepositus.
» 1234 Henricus praepositus.
» 1271 Theodericus praepositus.
» 1290 Hermannus praepositus.
» 1290 Rudewinus praepositus.
» 1296 Gotfridus praepositus.

Anno 1312 Stephanus (Kindeln) praepositus.
» 1315 Otto praepositus.
» 1331 Wernerus praepositus.
» 1335 Emmericus de Sponheim praepositus.
» 1360 Philippus de Koppenstein praepositus.
» 1371 Herdanus a Burge praepositus.
» 1388 Philippus de Koppenstein praepositus.
» 1396 Henricus a Burge praepositus.
» 1411 Johannes Hundsrucker de Sponheim praepositus.
» 1416 Conradus, comes Rheni, praepositus.
» 1422 Henricus Bacharach praepositus de Sponheim.
» 1449 Emmericus de Lewenstein, ultimus praepositus.
» 1468 Thylmannus a Grünberg prior.
» 1486 Joannes a Grünberg prior.
» 1510 Casparus a Grünberg prior.
» 1516 Sebastianus ab Engers prior.
» 1530 Fridericus de Ortemburg prior.
» 1545 Henricus de Noverico prior.
» 1558 Joannes Sartorius, ultimus prior.

CAPUT VI.

CANONISSAE REGULARES SANCTI AUGUSTINI

1. S. Agnetis in Monte Angelorum, Treviris.

Arnoldus Trevirorum archiepiscopus anno salutis 1255 religiosarum ad S. Gervasium virginum sub titulo S. Agnetis parthenonem sacris legibus formaverat, suaque etiam authoritate stabiliverat. Verum annis, ut fit, labentibus interlapsa quoque disciplina est, solutique mores famam existi-

Digitized by Google

mationemque parum secundam conciliabant. Unde Joannes eiusdem sedis archiepiscopus gravissimis hac de re, ac desperata vitae emendatione questus, literis, apostolica authoritate, alias ex Windesheimensi congregatione id temporis sub D. Augustini regula florente, virgines Bonna ex archidioecesi Coloniensi evocatas, huc introduxit, voluitque imposterum S. Agnetis in Monte Angelorum nuncupari, ut angelicae sibi hoc titulo vitae, in castimonia praecipue excolenda, imaginem praefigerent, jussitque omnibus, quibus ordo ille gaudet, privilegiis immunitatibusque perfrui, ut late in diplomate anni 1460 exponitur. Porro Sixtus pontifex huic denique archiepiscopali decreto robur sua authoritate daturus, anno salutis 1474 S. Matthiae et Maximini abbates publicis literis inquisitores ordinat, qui expensis translationis reformationisque momentis, si sententiae archiepiscopali congruerent, apostolico jussit diplomate, prout factum est, confirmari.

Praefectae virginum primis annis magistrae, postea, canonissis introductis, priorissae nuncupatae, quarum complures e stirpe nobili, egregiam hucusque conservatae propagataeque sub instituto et directione canonicorum Everhardi - Clusae laudabiliter disciplinae famam tulere, ut idcirco huic mereantur catalogo inseri.

Prima fuit Agnes de Moelenheim, quae ex partheneio Vallis Angelorum Bonnensi huc anno 1460 evocata, non minus exemplo sanctitatis quam imperio caeteris ad eiusdem saeculi annum 79 praefuisse visa est.

2. Agnes Palatina, ex Bavariae ducibus, demissione tamen quam genere maior, nam postquam triennio caeteras rexisset, subesse humiliter maluit, et parere magis quam imperare; quae annis facile quinquaginta in religione pie traductis, 1509 vita abiit.

3. Elisabetha Waldecker annis 22 praefecta, munus vitamque deseruit 1504.

4. Ursula ab Esch, 24 annis priorissa, humana 1527 reliquit.

Digitized by Google

5. Eva de Novocastro, von der Neuerburg, septennio rectrix, pridie S. Agnetis aō 1534 defungitur.

6. Helena Palatina, Bojorum e stirpe ducum, magna sanctimoniae laude vixit rexitque, merito hunc titulum, quo praecellentissima omnium est nuncupata, 20 annorum prioratu, 75 religiosae vitae laudatissima, obiit pridie cathedrae S. Petri 1555.

7. Anna ab Homburg, illustris pudicitiae et probati per annos 21 regiminis virgo.

8. Maria ab Eltz, Jacobi archiepiscopi neptis, quae virtutum prudentiaeque merito adhibita gubernaculis, 1579 post annos 26, prae senio regendi impar, alteri clavum lubens cessit.

9. Barbara de Piesport, quae summa cum laude annis 41 praesedit, illo demum casu parum fortunata, quod extremo aetatis ac regiminis tempore, quandam simulatae devotionis ac sanctitatis mulierem Agnetem admiserit, quae cum raptus visionesque divinas, cum revelatione diversorum secretorum apposite ad persuadendum fingeret, religiosi cuiusdam in speciem hominis suffragiis nixa, mire virgines canonissas afflixit insolitis praesertim flagellationum poenarumque generibus, tanquam pro expiatione scelerum, aut purgantium animarum imperatis, donec postremo sub sequentis dominae magisterio fraudis ac levitatis deprehensa, publico virgarum et exilii supplicio poenas dedit.

10. Catharina Ottilia Wimpheling, anno 1648 surrogata, post quadriennium moriens cessit, illius, quam dixi, mulieris praestigiis haud leviter exagitata.

11. Anna Catharina de Nassau, 1652 admota regimini, sexennio post eodem in alterius manus resignato, obiit 1663.

12. Maria Joanna ab Emmerich eundem hodiedum priorissa parthenonem moderatur. — — „Ein Spiegel der Demuth und Friedsamkeit.“ Obiit 1677.

13. Anna Maria Häck, resignavit 9. julii 1695, obiitque 28. januarii 1696.

14. Anna Maria Pergener, electa 11. julii 1695, occ. 30. decembris 1698.

Digitized by Google

15. Maria Magdalena Pergener, occ. 4. junii 1721, nec non 18. februarii 1742.

16. Maria Catharina Wengeler, occ. 8. jul. 1755, obiit 1763.

17. Maria Magdalena Steuver, electa 1763, occ. 12. januarii 1782, obiitque anno eodem.

18. Anna Barbara Antoni, 1783—1789.

19. Catharina Adam, 1790—1794.

2. Confluentinae S. Barbarae intra muros.

Hoc monasterium sat angusto intra urbis moenia receptum loco, ante saeculum anno 1567 sub initia Jacobi ex Eltzia stirpe archiepiscopi fuit, alias mille infra Confluentiam facile passibus ab altera Rheni ripa in Vallender fundatum. Occasio hinc ut memorant sumpta, quod nonnulla ad parthenonem admissa mulier, quam nobilis familia commendatam obtulerat, cum probationis tempore ob infame stigma ejus in dorso deprehensum, rejiceretur, hac comminatione discesserit, nec aliis deinde locum canonissis fore unde se exturbassent, factumque seu imprecatione a Deo exaudita seu intoxicatione fontium, ut postea lenta omnes tabe nobiles interierint, atque idcirco introductae virgines sint ignobiles, sed et has ferunt intra anni curriculum extinctas periisse, velatas tantum quatuor et octo superstites laicas, mutato loco intra urbis moenia receptas, atque in coenobio S. Georgii id temporis dicto, post in honorem D. Barbarae consecrato locatos. Quibus, pro cessis in Valendria agris, certos archiepiscopus quot annis in frumento vinoque ac aere reditus constituit.

Reliquias hic locus haud contemnendas possidet, ac primo quidem partem cranii S. Barbarae argenteo capiti inclusam, ad cujus invocationem aqua benedicta malignis medetur pustulis: ut proximo 1667 anno villici carthusianorum istic filius expertus didicit. Nec desunt, qui aliis hoc antidotum malis usurpent.

2. Articulus digiti S. Joannis Baptistae, quem indicis Christum demonstrantis esse sentiunt. Hunc memorant signo hodiedum cum tinitu intra capsam edito, siquae ex virginibus incolis moritura sit, mortem praenotare salutari certe, nisi id negligant, ad vigilantiam multarum excitandam, indicio, ne veniente sponso inter fatuas virgines deprehendantur.

3. Os notabile ex brachio S. Bartholomei apostoli ceu protectoris divi asservant.

4. Ossiculum S. Catharinae, quod oleo madere ac fluere parce asserunt. Haec quamvis propriis oculis experientiaque non hauserim, a viro tamen fide dignissimo accepta nolui praeterire.

Monasterium illud, in Lonnig fundatum sub regula beati Augustini, pro variis et intolerabilibus necessitatibus, quas inibi moniales dampnose sustinebant, Albero archiepiscopus Trevirensis aõ 1143 in locum, cui nomen imposuit Bellus Locus, Schönstatt, extra Vallendram transtulit. Joannis II. archiepiscopi, diploma de die 1. aprilis 1487 de parthenone Belli Loci minime laudabilia enarrat: »Cum monasterium pro sanctimonialibus sub regula sancti Augustini in Bello Loco sceleratis eidem presidentium moribus ac incuria ad extremos proh dolor venisse casus, adeo quod institutionis sue faciem vix teneat, personis religiosis et divinis officiis plane destitutum, ecclesia, ambitu, refectorio, dormitorio, ceterisque officiis distectis et collabentibus, prediis distractis, obligatis aut incultis, magistra et superstitibus ejusdem monasterii professis turpiter evagantibus, ac visitationes canonicas nostris temporibus sepe factas minime profuisse conspiciamus, hac modo ratione monasterium memoratum decenter relevari et conservari posse comperimus, si scilicet ad ipsum sanctimoniales vite regularis sancti Augustini aliunde assumantur. Attendentes eapropter quod sorores seu sanctimonialium congregatio in Valle Molari, vulgo Molnheym ex adverso opidi nostri Confluentini, que nuper post tertiam regulam sancti Francisci uberioris perfectionis spe regularem vitam sub cura canonicorum regularium assumpserunt, in loco tumultuoso nimis

constructo ad quem ex castris et collibus imminentibus facile prospicitur aliasque incommodo consistant, neque predia aut unde alias commode queant sustentari habeant, universam congregationem hujusmodi ad prefatum monasterium ... predicte congregationis magistre seu priorisse seu conventui ac eisdem succedentibus sub regula S. Augustini rite viventibus perpetua et irrevocabili donatione assignamus, donamus et tradimus.«

„In diesen Zeiten (1567) ware fast der ganze westerwäldische Adel in das Lutherthum verfallen. Der Haß seiner Anhänger gegen den geistlichen Stand und der ihm eigene Appetit zu den geistlichen Gütern veranlaßte den daherumb von der alten katholischen Religion abgefallenen Adel den Geistlichen zu Vallendar viele Drangsalen anzuthun, oder es fiengen auch die Zeiten selbsten an vor unsere Geistliche gefährlich zu werden. Beneben dem so klagten auch selbige, daß die Situation des Klosters ungesund wäre; oder, wie eine Tradition unter den Geistlichen meldet, solle der Hauptbrunnen des Klosters seyn vergiftet worden, und zwar durch eine Gelegenheit wie folget. Es war eine dem äusserlichen Ansehen ganz ehrbare Person zu ihnen kommen, und hat umb das geistliche Kleid angehalten, auch es durch ihre Verstellung so weit gebracht, daß die Geistliche sich glücklich schätzten, eine so vollkommene Seel in ihrer Gemeind zu haben, und sie mittels des Ordens ganz fast an die Gemeind zu verbinden. Sie wurde auch eingekleidet, da nun aber das Probejahr zu lang, als daß die Verstellung bis zur Profession hätte währen können, die Geistliche auch verschiedene Zeichen an ihr fanden, daß sie innerlich ganz anderst müsse gestellet seyn, als sie sich äusserlich zeigete, auch Proben bekamen, daß ihre in der Welt vorhin gehabte Aufführung unordentlich gewesen, und die Besserung nicht zu hoffen, sondern nure die Absicht hatte, das Kloster zu betriegen, beschlosse die Gemeinde, selbige nach Ausweisung der Statuten mit einer trostvollen Ermahnung zu entlassen. Diese aber, da sie merkte, daß ihre betrügliche Absichten entdecket, auch nure vielleicht diesen Ort erwehlet hatte, umb der Justiz zu entgehen, wurde von einem solchen Haß und Zorn gegen

die Gemeind entzündet, daß ſie in dieſe Wort ausgebrochen: nun ſo ich hier nicht leben kann, ſo ſolle keine hier mehr leben, worauf ſie dann ein darzu bereitetes Gift in des Kloſters Brunnen geworfen ſoll haben. Sollen auch einige darvon erkranket ſeyn, ob aber ſelbige davon geſtorben, iſt nicht bekannt, das aber iſt bekannt, daß da die Zahl der Kloſterfrauen bey derſelben Translation von Mülheim im Thal anno 1487 nacher Vallendar, gemäß Ihro Churf. Gnaden übergebenen Statu bis auf 27 Kloſterfrauen kommen, ſelbige in dieſer Zeit ſehr gering geweſen (fünf Conventualen und ſieben Layenſchweſtern); dieſes dann, nemlich die gefährliche Situation bey eingeriſſener Ketzerey und die Ungeſundheit des Orts, woher nun dieſe entſtanden ſeyn mag, bewogen damalige Priorin Anna Merlen und noch übrige Kloſterfrauen bey Churfürſt Jacoben von Eltz anzuſtehen, auf daß ſie an einen Ort, wo ſie in beyden Stucken mehrere Sicherheit vor Leib und Seel finden könnten, mögten transferirt werden.

„Welcher dann gnädigſt ſelbigem Geſuch Gehör geben, und wurden dieſem zufolg anno 1567 auf das Feſt des heiligen Gereonis die Jungfern und Convent Canonissarum regularium S. Augustini, ſo bishero zu Schönſtatt in St. Barbaren Kloſter gewohnet, in die Stadt Coblenz in St. Georgen Convent transferiret, und durch den Hochwürdigen Herren Gregor Virnenburg Suffraganeum des Erzbisthums Trier iſt die Kirch und Gotteshaus in der heiligen Jungfrauen und Martyrin Barbarae Ehren geweihet und geheiliget worden, und St. Georg als ein Mitpatron derſelben Kirchen gehalten worden, und iſt Eingang in gemeldtes Gotteshaus geſchehen in Gegenwart und Beyſeyn der Hochweiſen Räthen unſeres gnädigſten Churfürſten, wie nachfolget. Zum erſten iſt geweſen Cuno von Homburg, Official des geiſtlichen Gerichts zu Coblenz, 2) Hr. Johann Wimpheling, Canzler, 3) Nicolaus Piscatoris von Neuendorf, Prior ad Praedicatores Confluentiae, 4) Herr Peter Torney Fiscalis Confluentinus, 5) Hr. Wernerus Eſcher, des Hofgerichts Procurator und dieſes Haus Syndicus.

„Anno 1694 hatte das Kloſter beym Vogelſang ſich wollen in einen Tauſchcontract mit löblichem Stadtmagiſtrat einlaſſen,

krafft welchem die Hospitalsplatz auf der Löhr, wo nunmehro das Kloster hingebauet, dem Convent ad S. Barbaram, das alte Kloster hingegen dem Stadtmagistrat solle überlassen werden. Es fanden sich aber Schwierigkeiten, welche machten, daß der Contract damals nicht zum Stand kommen. Aõ 1704 geschahe dem Convent ein neuer Vorschlag dessentwegen, und resolvirte sich der Magistrat dem Kloster 1400 Rthlr. herauszugeben, und wollte das Convent dieses offertum wiederumb nicht annehmen, worauf dann der Magistrat anfienge den Bau dahin zu setzen, welcher vorn an der Straßen stehet, und von der Kirchen bis an die Pohlgassen gehet, und wurde noch dasselbe Jahr ein guter Theil dieses Baues unter Dach gebracht. Als nun das Convent glaubte, es werde dieser Tausch niemalen zu Stand kommen, so bauten selbige verschiedene Veränderungen in dem Vogelsang, bis sie endlich auf die Gedanken verfielen, ihr Kirchlein wölben zu lassen, wo sie sich dann unter andern mit Hauptmann Deutsch darüber berathschlagten. Als er aber von obgemeldtem Tausch Meldung thun hörete, gefiele ihm solcher und begehrte er von dem Convent eine Vollmacht, das Tauschgeschäft zu reassumiren, welche er dann erhalten, und krafft dieses sich dessentwegen an den Churfürsten gewendet, aber an den Stadtmagistrat verwiesen worden, wo es aber an den schwersten Hindernissen nicht fehlte, und waren fast alle Herren desselben darwider; doch überwand Hauptmann Deutsch alle diese Hindernisse, und brachte den Tausch in drey Monaten zu Stand. Krafft dieses mußte das Convent dem Hospital von wegen des neuen Baues herausgeben 1000 Rthlr., es solle auch jeder Theil seine Mobilia, Altär, Glocken ꝛc. mitnehmen.

„Nach geschlossenem Contract ließe das Convent Baumaterialien beyführen, und die fundamenta graben, und wurde 1706 den 12. Aprilis der erste Stein gelegt, und benedicirte selbigen Namens Ihro Churf. Gnaden, der hochwürdige Herr Joannes Finger, Officialatus commissarius und Dechant ad S. Florinum. Es haben Hr. Hofkammerrath Mees im Namen Ihro Churf. Gnaden eine churfürstliche Ducat und Reichsthaler in den Stein gelegt, in Gegenwart Hrn. Hauptmann Deutsch

und Rectoris Nicolai Matthæi. Es waren noch gegenwärtig a. r. D. Matthias ab Eyss, Registrator und Canonicus ad S. Florinum, der nachmalige Suffraganeus, a. r. Pater Beutgen, Provincialis PP. Franciscanorum recollectorum mit einem Bruder, auch r. D. Christophorus Lauwenberg, Canonicus ad S. Castorem, ejusdem capituli cellerarius. Es liegt dieser erste Fundamentalstein in der Mauer zum Hof zu, mitten in der Gegend des Ganges, wo die Schwestern vom Dormitorio herab ins Refectorium oder auch in den Garten gehen, in welchem noch neben obgemeldten Geldstucken heilige Reliquien und auf Pergament eine Aufschrift mit der Jahrzahl u. s. w. verborgen.

„Gegen den halben October 1707 seind die Maurer mit der Kirchen und allem was sonsten in die Vierkant stehet, fertig worden, und am End. Novemb. haben die Zimmerleut die Kirch angefangen aufzuschlagen, und haben sambt dem Thurm, doch ohne die Glockenstühl alles aufgeschlagen gehabt gegen den 12. Decembris. Den 31. März 1708 haben die geistliche Chorjungfrauen das alte Kloster verlassen, und in der Stille das neue bezogen, ohne daß sie eine Processíon vorgestellet, und haben denselben Tag in der Capellen die Mess gehört. Den 7. April 1708 ist das alte Kloster auch ganz von den Layenschwestern verlassen worden, und haben die Armen selbiges vor ein Hospital bezogen. Den 8. April haben die Chorjungfrauen angefangen, das Responsorium Benedic zu singen. Den 22. Maji hat Juffer Margaretha Lentzin aus Coblenz in der Capellen Professíon gethan, und also die erste in dem neuen Kloster. Den 27. August 1708 hat Hr. Nicolaus Matthæi, Rector, in der neuen Kirchen die erste Mess gelesen und Hr. Sebastianus Braun, Canonicus regularis Clusanus die zweyte. Den 28. Augusti in festo S. P. N. Augustini hat ihr Hochwürden Hr. Official Finger das hohe Ambt gehalten, welchem Ihro Churf. Gnaden Johann Hugo beygewohnet, und hielte Pater Schorn, Soc. Jesu, unter dem Ambt die Predigt, und wurden nach dem hohen Ambt noch verschiedene hh. Messen gelesen, wie dann auch der Gottesdienst von der Zeit an allezeit in der Kirchen gehalten worden."

Catalogus priorissarum et rectorum.

Bertulfus, prior in Vallindre 1167.

Godefridus prior 1220.

Julius prior 1260.

Margaretha magistra, Mefridus prior 1292.

Gertrudis magistra, Engelbertus prior 1305.

Johannes prior, Fridericus prior in Lonnig 1321.

Mechtildis magistra, Hermannus prior 1340.

Iguoldis magistra, Nicolaus prior 1348.

Iguilt magistra, Leiffmuth priorissa 1356.

Gezelina de Sternberg, magistra, Bela priorissa 1378.

Gezelina de Sternberg, magistra, Paulina de Nassau priorissa 1382.

Gerburgis magistra 1383.

Lina magistra, Greta priorissa 1408.

Elisabeth de Breysich magistra 1413.

Martha a Steinenbach magistra 1423.

Catharina Reubers priorissa 1434.

Gertrudis a Kaene condicta Reubers, magistra, Catharina a Mele, priorissa 1439.

Margaretha Kesgin, ordinis S. Francisci, mater in Mülheim 1450.

Bela Johels de Linz, mater in Mülheim, 1457.

Joannes Heist, primus rector in Mülheim, 1460.

Henricus Beyer de Boppardia, primus rector in Schönstatt 1460.

Monasterii in Mülheim conversio ad regulam S. Augustini, 1460.

Clara de Colonia, secunda priorissa in Mülheim post reformationem, 1479.

Irmgardis a Seelbach, magistra in Schönstatt 1481.

Guda a Steinenbach, magistra in Schönstatt 1484.

Elisabeth Goitzmoitz, priorissa in Mülheim 1489, nec non anno eodem in Schönstatt, obiit 1493.

Digitized by Google

Sophia Gupges priorissa 1493.

Joannes de Confluentia rector 1497.

Agnes Reubers priorissa 1529.

Joannes Reifferscheidt rector 1538.

Gutgen von Siegen priorissa 1538.

Agnes von Nassau priorissa 1546.

Elisabeth von Berck priorissa 1549.

Anna Merl priorissa 1567, obiit 13. octobris 1573.

Maria Breidenau priorissa, electa 5. novembris 1573; Joannes Poen, rector 1573, obiit 1575.

Lucia von Polch, priorissa 1585, obiit 4. martii 1610 m. Trev.

Augustinus Glesch rector, 1585.

Maria Künzer von Münster priorissa, electa 1611, 1624 die 17. septembris defuncta.

Matthias Denhardt rector 1610.

Laurentius Eichhorn rector 1612.

Joannes Trevirensis rector, 1615 defunctus.

Petrus Beck Fronhovensis rector 1622.

Catharina Mesenich priorissa, electa 24. aprilis 1624, aõ 1638 defuncta.

Maria Curis priorissa, obiit 1647.

Maria Stolz, priorissa, 1650—1677, obiit 1679.

Anna Clara Puff, priorissa, electa 1677, defuncta 4. septembris 1702.

Angela Rau, priorissa, electa 1702, resignavit 1721.

Joannes Gobelius, rector, obiit 1703.

Nicolaus Matthaei, rector 1703, evocatus 1712.

Matthias Coenen, rector 1712, anno eodem evocatus.

Nicolaus Matthaei, secunda vice rector 1712.

NN. Humens, rector 1713, subprior Clusanus aõ 1723.

Angela Margaretha Hansen, priorissa, electa 1721.

Joannes Paulus Mesenich, rector 1723.

Maria Margaretha Hausmann, priorissa.

Anna Maria Josepha Walpurgis Fuxius, priorissa, electa 1763, resignavit 1788.

Anna Maria Goblet, priorissa, electa 1788, obiit 8. maji 1820.

CAPUT VII.

CLERICI REGULARES SOCIETATIS JESU.

Collegium Trevirense.

Archidioecesin Trevericam primo societatis Jesu clerici ingressi sunt beneficio eminentissimi archiepiscopi ac principis electoris Joannis a Petra, moderni electoris Caroli Caspari propatrui, viri religiosissimi, qui priscam majorum nostrorum fidem superiori per Lutherum Calvinumque saeculo magnis si unquam quassatam motibus, non sine capitis sui discrimine jam jamque labantem sustentavit, infracto animo vigilantique cura, tam adversariorum machinamenta subvertens, quam catholicorum imbecillitatem fulciens, cujus in operae studiique praesidium societatem Jesu recens ante annos 20 conditam et a Paulo III. pontifice probatam confirmatamque, demum placuit anno salutis nostrae 1560 Treviros advocare, eique tam academicas ad erudiendam juventutem, quam ecclesiasticas in urbe cathedras tradere, ut quam alibi ex doctrinae integritate et morum emendatione laudem occuparat, hac Trevirorum populus, antiquae hactenus religionis constans sectator inter haec ingruentis passim haeresis pericula, frui posset.

Occasionem huic consilio dederat Caspar Olivianus degener Trevericae religionis apostata, qui ex calviniana Genevensium

schola virus suxerat, quod in patriam redux primo ad S. Germanum dialecticae artem docendo occupans, ac deinde plausum auditoremque frequentem in hospitali S. Jacobi aede nactus concionando in vulgus spargens (ut alibi in annalibus traditum fusius) lenocinio artis novitatisque non paucis affricuit, quandoquidem tribus aliquot, cum uno consulum et senatoribus quibusdam, his blandientis novae religionis illecebris dementati, omnia susque deque verterant, brevi urbem totam in chaos idem libertatis, ut vocabant evangelicae, abrepturi; nisi elector consilio et vi sese improbis conatibus tempestive objecisset, jamque propemodum audacia ac temeritate triumphantem sua ex se deturbasset haeresin; autoribus malorum aut sua proscriptis archidioecesi aut ad saniora resipiscentium consilia traductis. Quia tamen gliscens sub doloso cinere incendium extingvi, nisi tempore et salubriori doctrina, velut aqua affusa aboleri prorsus non poterat, hanc potissimum curam societatis patribus committendam esse censuit.

Datis igitur Romam ad P. Jacobum Laynium primum a S. P. Ignatio generalem literis, duodecim ab illo Societatis Jesu patres submitti postulat, qui concionibus ad populum habendis, theologiae quoque ac philosophiae humanioribusque literis tradendis dent operam, quibus dum aliunde ad vitae necessitatem consulatur, ex sua se mensa provisurum asserit. Porro hi si omnes e vestigio mitti nequeant, duos saltem ad populum oratores quamprimum rogat, quos serpente haeresum contagioni objiciat. His VI. calend. martii datis, ita respondit calendis aprilibus Laynius anni 1560, ut optimo principi factum sit satis, et, vigesimo junii die, qui S. Silverio pontifici sacer est, P. Everhardus Mercurianus inferioris Germaniae ac Belgicae provincialis, cum P. Joanne Rhetio gymnasii Trium Coronarum apud Ubios regente et P. Andrea Falckenburgio, ac denique rerum temporalium adjutore uno, Jacobo Filano, Treverim accessere, qui inter varias sibi oblatas habitationes delegere vetus aliquod et jam desertum studiosorum collegium, cui a B. Maria nomen erat, prope academiam, in ea, quae ex foro ad S. Catharinam ducit platea situm, quod in domesticum

ut potuit usum formatum est, subministrante librariam, suppellectilem, aliaque ad vitam necessaria liberaliter principe. Ex his duo, P. Joannes et Andreas statim pro concione populum dicere aggressi, ut ingens de illis concitata erat expectatio, magna populi frequentia auditi sunt, donec alii Colonia, et in his P. Hermannus Thyraeus, theologiae doctor, alii Roma, atque in illis P. Jonas Adlerus adfuere, quorum ille in templo Deiparae Virginis concionem matutinam hora ingressus septima, quatuor brevi traxit auditorum millia, hic in aede metropolitana hora diei duodecima, ad rudiorem eo tempore plebem confertim affluentem, perorare coepit, Georgio Virneburgio, Azotensi episcopo et suffraganeo principis, eam ultro sedem, ex qua magno ipse hactenus zelo plebem instruxerat, patribus concedente. Adfuit denique ex Sicilia hos patres rectoris authoritate moderaturus, primum P. Antonius Vinckius, theologiae doctor et quatuor votorum in societate professus, qui cum hoc regendi munere theologiae quoque una cum Thyraeo tradendae operam conjunxit, indefessi uterque laboris amator.

Annus insequens novis studiorum auspiciis designatus est, erat id temporis magnificus ut vocant universitatis rector D. Joannes Houstius ad S. Simeonem canonicus, archiepiscopalis sigillifer, a nobis alibi laudatus et theologiae facultatis decanus. P. Ambrosius Pelargus, dominicanae familiae religiosus, atque a vitae fidei scriptis etiam libris propugnator egregius, qui cum aliis a principe electore constitutis solenni juramento societatis Jesu doctores salvis tamen instituti religiosi legibus ad gremium et privilegia universitatis admisere, omnemque illis qua docendi qua administrandi theologicas philosophicas cum humanioribus artibus disciplinas tribuere. Tum deinde edito publico calendis februarii studiorum exordia in tertium nonarum ejusdem mensis sunt constituta, quo die solenni apud patres carmelitas sacro Spiritus S. gratia invocata est, itumque ad academiam, atque ex theologica exedra eleganti oratione a M. Balduino ab Angelis, Leodiensi, praelusum est, ac post ipsis februarii nonis a P. Hermanno Thyraeo in

Digitized by Google

nobilissima virorum corona, rectore magnifico, decano scholastico, praelatis, consulibusque hujus urbis tradi coepere, in quibus theologi 30, logici 4, rhetores 7, humanitatis studiosi 24, qui subinde numerus magnis incrementis est amplificatus. Cum vero Ambrosius Pelargus senio jam studiisque diu pertractis fessus, decanatu suo abiret, sigillum statutaque facultatis theologicae doctoribus societatis custodienda transmisit. Nec multo post, 8. iduum julii M. Balduinus ab Angelis tres artium liberalium magistros justo prius examine probatos in frequenti academicorum corona solenni ritu pronuntiavit, quem calendis octobris secutus P. Hermannus Thyraeus theologica ex cathedra solennitate etiam majore P. Maximilianum Capellam theologicae facultatis doctorem renuntiavit, et haec prima fuere societatis in muneribus hisce academicis auctoramenta, quae ex tenuioribus principiis ad illustriorem sensim speciem, qua hodiedum clarent, provecta sunt.

In ecclesiasticis quoque concionibus, ut affluxus, sic populi ad pietatis ac sacramentorum frequentiorem usum traducti, fructus ingens, quem archiepiscopi procerumque tam ecclesiae quam urbis favor secutus, non neminem hac gratia perperam ad sui elationem abusum, tanquam alterum in apostolico collegio Judam male subvertit, ut plerumque suas daemon strophas Christi artibus miscet, et seges tam illustris vix est, quae sua non ferat lolia.

Is fuit Jonas Adlerus, metropolitanae aedis constitutus a Mercuriano provinciale ecclesiastes, qui ut sapienter loquendi, quam agendi peritior, fretus populi principisque benevolentia, cum domesticus rector plus in eo eloquentiae, quam virtutis deprehenderet, caeteris ipse in officiis domi consiliisque regendi (quae aprobatioris vitae sapientiaeque viris rector postulat) posthabitus, dolorem indignationemque conceptam non est veritus ad publicam frequentissimamque concionem expromere, ceu despectus inter collegas domi haberetur, ideoque non domum se a concione, sed ad summae aedis archidiaconum contulit, a quo et rectore scholarum magnifico licet reductus, impetrasset ut honoratius imposterum haberetur, acquiescere

Digitized by Google

tamen non potuit, sed manifesta brevi post defectione ad principem transivit, qui ne graviori lapsu in haeresin abiret praeceps, sacellani in aula munus eidem obtulit, at neque in lautiori hoc apparatu quietem nactus, neque illo circumfluens hominum plausu, quo in suis ante concionibus efferebatur, sed ministri loci habitus, eo desperationis amentiaeque gradu prolapsus est, ut jugulum sibi praescisurus fuisset, nisi in ipso facinore concepto deprehensus, sicam manibus extortam amisisset: non tamen prohiberi potuit, quin haud multo post ex alto se praecipitem ageret, invisam de corpore animam eliminaturus, nisi et hic providentia numinis non illaesum quidem, sed debili toto corpore laesoque per insaniam cerebro, conservasset. Ex qua cum ad mentem denique errorisque et arrogantiae suae agnitionem, rara Dei benevolentia, rediisset, supplicibus deinde ad societatem literis, et delictum suum agnoscere et veniam dimisse precari, ac postremo ad eandem flagitare reditum, seque ad infima quaeque officia, atque ad perpetuum quoque pauperum in xenodochio servitium offerre; modo in societatis illud obsequio praestare liceat. Verum ut erroris illi negata venia non est, sic reditus ad societatem mansit interclusus, nec leviter princeps indoluit secum homini transfugae, tantisque conscientiae tumultibus per omnem casum jactato, aulam patuisse, qua demum etiam occlusa, parochialem in Bavaria curam non sine laude administrasse fertur, eruditus per tot lapsus ad meliora.

Instauravit hanc cladem Deus per alterius ad societatem ex Trevirensi clero admissi sortem, qui tanquam Matthias quidam in locum praevaricatoris est substitutus. Fuit is Petrus Phaë, vir sui aevi zelosissimus, et praecipuus orthodoxae fidei adversus calvinisticae sectae rabulam Olivianum propugnator. Qui ex Boppardiensi paroecia, ingruente hanc in urbem illa religionis peste, evocatus, acerrima sese concertatione eidem objecerat, electorique principi societatis nostrae evocandae imprimis autor fuerat, cujus deinde instituti propius explorati amore captus, omni studio, ut in ejus participationem admitteretur, contendit. Quod licet principio negatum sit, extra

hanc perutilem navaret reip. operam jamque ad S. Gangolphi parochialem curam assumptus, curionis istic munere strenue fungeretur: opportune tamen importuneque urgendo pervicit denique, adscriptusque patrum numero, in Porussiam adversus haereticos depugnaturus ablegatur, ubi dura quaeque pro Christi nomine perpessus, veneno demum ab haereticis in sacrum calicem misso appetitus, sensim consumptus est, licet enim natura valide repugnante ad patriam rediturus auram, Moguntiam attigerit, vim tamen illic graviorem recrudescentis mali ferre non sustinens, diem vitae supremum sancto fine conclusit, martyriique gloria Trevirensem patriam societatemque recens natam ornavit.

Nec omittendum quod supra memorati anni 1561 junio reverendissimus dominus Nicolaus Psalme, episcopus Virdunensis, Treviros inviserit nostrorumque delectatus consortio atque instituto, de collegio Virduni erigendo consilium coeperit, primosque hinc postulaverit socios, qui tamen per R. P. generalem aliunde in hunc usum destinati sunt.

Invisit et anno insequenti collegium patrum Trev. Franciscus Commendonus legatus pontificius cum alio Ferdinandi imp. legato, quos cum e juventute nobiles adolescentes instructa, qua versibus, qua prosa oratione perquam honorifice excepissent, non illorum id modo, sed et archiepiscopi nostri Joannis totiusque urbis procerum factum gratia, multorum hisce artibus animos conciliavit, pervicitque Commendonus apud principem, ut stabilibus collegium bonis firmaret, ac desertum jamque archiepiscopo cessum S. Barbarae monasterium patribus transscriberet, quod ab eodem non invito impetratum, et triennio post anno 1565 a Rom. pontifice Pio IV. authoritate apostolica est roboratum, caeterum legati postquam archiepiscopum ad Tridentini concilii frequentationem invitassent, post se venientem Roma traxere Laynium, societatis Jesu generalem, qui ut plerasque sociorum lustraret in Europa provincias per Galliam Belgiumque, Treviros quoque P. Joanne Polanco comite progressus atque ad 5. julii diem perquam humaniter a principe atque urbe exceptus est, ductaque hic

tridui mora, per Germaniam Tridentum iter, concilio istic autoritate pontificio adfuturus inflexit.

Oratorio domestico collegialium tum principis tum universitatis favore atque opera amplificato, catechesis illic ad rudem incultamque pueritiam haberi, quot dominicis coepta, et tribunalia confessionibus poenitentium excipiendis erecta, quae hactenus in S. Gangolpho et D. Joannis Baptistae templo solum auditae, adlaboratumque crebris pro concione exhortationibus est, ut neglectus hactenus S. eucharistiae et exemologesis usus, quae a plerisque paschali solum tempore adiri sacramenta solebant, magna sensim populi frequentia honorarentur, quod natali praesertim Christi factum tempore, quando more prisco nocturnas inter epulas commessationesque vigilabant Treviri, patrumque cohortatione profanae hae mensae excubiaeque convivantium, in sacras noctis vigilias epulasque divinas conversae sunt, et haud minus quadringenti ad eucharisticam hanc refectionem praevia scelerum expiatione accubuerunt.

Tertius et sexagesimus jam ibat hujus seculi annus cum ad superiores binas humaniorum classes, tres grammaticae inferiores, Trevirensium rogatu adjecimus, geminaque per annum studiorum innovatione, cum adhibito theatrali dramate, juventutis animos, non sine praemio laborum ereximus, festis etiam dominicisque diebus elementaria opificum adolescentum instructione addita; magis ut bonis moribus quam artibus neglecta caeteroquin rudium indoles excoleretur. Qui labor personarum inopia, ad triviales postmodum magistros recidit.

Quarto et sexagesimo anno cum auctis per Belgium Germaniamque inferiorem collegiis, non mediocriter crevisset societas, unusque ac idem provincialis impar visitandis locis omnibus esset, partitione, Rhenana provincia a Belgica discessit et cura hujus Everhardo Mercuriano relicta, Antonius Vinckius collegii Trevirensis rectoratum Hermanno Thyraeo deferre jussus, Rhenani provincialis munus adiit. Invasit ea tempestate urbem Trevericam non levis pestilentiae contagio, quae cum invalesceret, rectorque collegii quosdam suorum ad

opem pestiferis ferendam tam ad sacramentorum praesidia, quam alia valetudinis fomenta subministranda postulasset, certatim plures hoc charitatis opus sibi deposcere visi sunt, ex quibus duo solum delecti, in separatam habitationem concessere, manusque hoc impigre Deo vires sanitatemque tuente obiere, donec aestu jam remittente suadentibus patribus clero et senatu, qui substiterat probante solennis ad Divum Paulinum instituta supplicatio, vindicem Dei manum pestemque non sine manifesta placati numinis gratia stitit, ut idcirco altera haud multo post in gratiarum actionem decreta et communi populi gaudio frequentiaque persoluta fuerit.

Verum hominum vitiis ad hanc Dei castigationem nondum ut par erat emendatis, altero tertioque post annum graviori a pestilentia invalescente Treviri mortalitate puniti sunt, cumque e societatis patribus infectorum sese plures servitio obtulissent, gloriosae nonnulli cecidere charitatis victimae, quos partim domi, foris partim lues oppressit. Primus omnium domi sed ignoto contagionis malo occubuit ad S. Claram haud procul a nostris semotam aedibus, elatus, M. Michael Pileator Trevirensis, qui in viridi aetate adolescens et magistrorum in renunciatione nuper primus, mortem e societate ante reliquos unus Treviris excepit, tanta moriendi alacritate et vivendi in coelo spe, ut cum ultima in agone luctaretur, quaesitus, nunquid ea saltem nocte superesse apud suos vellet? responderit, minime fratres, ad coelum festino. Hunc quatuor alii, in quibus P. Andreas Frisius, spectatae virtutis religiosus, ad S. Barbaram incessae nuper possessionis aede sancta sepulti sunt.

Sed luctuosior societati extitit mors optimi principis archiepiscopi Joannis a Petra, qui priusquam collegii fundationem, prout animo conceperat re ipsa perfecessit, inexspectato ereptus fato, mortales initio anni 1567 reliquit, viro tamen in ejus locum humanissimo Jacobo ab Eltz surrogato, quem ut P. provincialis Vinckius cum rectore collegii Thyraeo Confluentiae salutandi gratulandique causa convenissent, sciscitarenturque, placeretne deinceps societatis uti opera? Respondit, se antecessoris sui proposito instituturum, acturumque, ut societas,

fundationem nacta, stabilem Treviris sedem figat, interea non minus, quam Joannem necessitati ex propriis etiam subventurum. Sub haec cum aestivo calore vehementer recruduit latens etiamnum inter viscera pestis inconsumptae malum, adeo ut clausis ad studia gymnasii foribus, patres se rursum, tum in servitium infectorum, tum extra urbem ad hospitales domos ac Bitburgensem in missionem quatuor effuderint, magna istic utilitate ad salutem multorum versati. Thyraeus vero Trevirensis rector, cujus summa in aede authoritas et gratia, vulgo persuasit, ut adiratum numen placandum pristina cives resumerent pietatis et supplicationum praesidia, unde factum, ut plurimi nudis pedibus in cilicio et lacrymis urbis compita ac templa supplicatum confertim obirent imprimisque pro patrum pestiferis subservientium incolumitate Deum precarentur, qui supplices exaudire rursum visus est, cum praeter P. Jacobaeum ad S. Barbaram peste succumbentem, nemo aliorum afflari hac lue compertus sit, ac tota sensim contagionis vis sopiri comperta, tanto Deus ad homines audiendum, quam ad invocandum illi saepe est promptior, exspectatque, ut rogent, quod largiri paratus est.

Res subinde cum urbanas tum ecclesiasticas in urbe Trevirorum princeps ordinare aggressus, societatis, inter caetera theologos ordinandorum examini adsistere voluit, ne, ut sit, rudioribus in curam ecclesiarum receptis et authoritas et cleri probitas, cum eruditione neglecta, sensim intercideret, haeresique passim invigilanti ad male custoditum gregem aditus pateret, magna illorum culpa, qui vel muneribus corrupti vel indulgentia aut ignorantia coeci, promiscuum ad munia ecclesiastica scholasticorum vulgus admittunt. Quibus certe judicibus grave aliquando judicium imminet.

Inter haec dum civiles Jacobus leges ac jura pensiculatius trutinat, plusque ille sibi, quam indultum urbs vellet, arrogat, prisci gliscunt contentionem ignes, jamque principe acrius instante, et quod consilio non poterat, armis, quaqua versum interclusae urbis aditu, sibi vendicante, cleroque reliquo ex civitate pene subducto perstitere patres, onusque in se

invidiae, ob favorem archiepiscopi, incumbens excepere. Quo per hebdomades aliquot ancipiti multorum hinc inde obtrectantium et excusantium sensu jactati non potuere evadere, quin ex Gallis militibus ad urbem receptis viginti domo admitterent. Sed cum eruptione facta, multi laesi reducerentur, hos collegio in nosocomium verso, ad servitium in morbo praestandum receperunt, quod tanta charitate et afflictorum solatio eisdem exhibitum fuit, ut et militiae et civium furor in favorem versus, patrum amorem egregio passim preconis efferrent. Donec postremo interventu aliorum principum arma Jacobus elector poneret, totiusque controversiae decisionem judicio caesareo deferret, quo causa demum ex voto magis archiepiscopi, quam civitatis est absoluta.

Anno insequenti visitatio cleri ab archiepiscopo est instituta, ad quam societatis Jesu patres, ut visitatorum socios authoritate sua accedere voluit, plena eisdem potestate a censuris gravioribus absolvendi concessa. Qua in visitatione adversus haereticorum insidias cautum pluribus, fideique professio, juxta formulam Tridentini concilii, in plerisque a principe recepti, a praelatis et pastoribus animarum passim exacta est, quam ipse in metropolitana aede archiepiscopus palam universis recitando praeire non detrectaverat.

Denique anno hujus saeculi 70, cum P. Franciscus Borgia societatis Jesu generalis et Franciscus Costerus Rheni provincialis, rector vero collegii Trevirensis Hermannus Thyraeus esset, Jacobus archiepiscopus de societate per legitimam fundationem Treviris firmanda sollicitus, *collegium S. Germani* ab aureis hactenus possessum sacerdotibus, qui abbati S. Matthiae subditi scholarum curam gesserant, certis ad se delatum legibus, cum adjunctis possessionibus ordinis S. Francisci religiosis obtulit, qui pristina monasterii sede, ampliori illa quidem et frequentiori urbis loco sita, sed proventibus tenuiore, lubentes abiere, atque ad S. Germanum recepti, commodum gymnasio, patribusque ad consuetas exercitationes locum cessere, postquam domicilium illud una cum templo, procerum ordinis consensu, in archiepiscopi potestatem transiisset. Porro templum

Digitized by Google

honoratissimo SS. Trinitatis titulo voluit insigniri, quod antiquum muris templum versus amphitheatrum vetus, imminens nuper a civibus, malo omine, dirutum, atque in munimentum propugnandae adversus suum principem urbis conversum esset. Quare hanc SS. Triadi gloriam memoriamque restitui voluit, non inauspicato causae, adhuc sub judice pendentis, eventu. Adjecit donationi Wustenbrulense, desertum a religiosis tertii ordinis D. Francisci monasterium, ex quo vinea Tritthemiana cum exiguis aliis fluxit proventibus, quae (ut in subjecto fundationis diplomate agnoscit princeps) quod ad personas tot functionibus academicis ecclesiasticisque necessarias nondum sufficerent, luculentiorem is quidem opem pollicitus, temporum penuria vitaeque angustiis ad spem conceptam explendam non superfuit, unde hactenus nisi eleemosynarum hinc inde affluentium aut subsequentium, deinde principum interposita ope subsistere non potuit, quando ad domesticam alimoniorum necessitatem, veterum etiam aedificiorum ruinae non levibus impensis fulciendae, aut ab ipsis fundamentis sunt instaurandae, nunc ab ipsis fundationis literis rem certius hauriamus.

»Jacobus Dei gratia sanctae Trevirensis ecclesiae archiepiscopus, S. Rom. imp. per Galliam et regnum Arelatense archicancellarius ac princeps elector, ad perpetuam rei memoriam. Imposita humeris nostris licet imparibus, et sub tanto onere fere succumbentibus, ecclesiae Trevirensis cura pastorali, non destitimus in eam cogitationem incumbere, quanam ratione gregem commissum, ipsa vita nobis chariorem pasceremus, regeremus atque frueremur, hisce maxime temporibus periculosissimis, tot et tam horrendis errorum et sectarum monstris, inter se quidem diversis, sed tamen adversus catholicam ecclesiam, piamque matrem, conjurata ac consentiente rebellione impie grassantibus. Caeterum cum altius ecclesiae tempora ab ipsis fere nascentis fidei primordiis repeteremus, et hinc tempestatum procellas, inde divina praesidia consideraremus, inveniebamus eam ita in apostolica rupe aedificatam, ut domino praedicente, et praesenti semper ope tutante, licet creberrimis fluctibus quateretur, non solum a

naufragio et ruina esset immunis, sed ipsa exercitatione periculorum quasi scoria in tentationum fornace excocta, novo quodam fulgore velut aurum probatissimum efflorescceret. Itaque quemadmodum dormientibus hominibus necesse semper fuit, ut seminante inimico succrescerent zizania, venirentque scandala; sic vigilante super sponsam sollicitudine coelestis sponsi, necesse quoque fuit, ut non deessent per omnes ecclesiae aetates, qui se opponerent murum pro domo Dei, quique adulterinas stirpes revellerent, ac dissiparent; inter quos non postremo loco commemorandi sunt viri societatis Jesu, quam eodem fere tempore, quo haeresis in Germania nata est, admiranda Dei providentia excitavit. Cujus societatis fama adductus, antecessor noster proxime defunctus Joannes archiepiscopus Trevirensis collegium ejusdem societatis in hac Trevirensi nostra civitate erigere constituit, et incohatum si longior vita, contigisset, cujus prudentissimum consilium approbantes, et aliorum insuper archiepiscoporum antecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, qui hanc dioecesin nostram multis religiosorum hominum conventibus et monasteriis ornarunt, amplificarunt atque munierunt, dictum societatis Jesu collegium, nos Deo suggerente, et bene fortunante, dotare, fundare et absolvere ad gloriam divini nominis; ad fidei catholicae in hac Trevirensi ecclesia nostrae curae commissa conservationem, propagationem et amplificationem; ad errorum et haeresum (si quae forte irrepserunt) profligationem et exstirpationem; ad abusuum et malorum morum, qui cum in populo, tum in clero per diuturnae securitatis negligentiam invaluerunt, reformationem; ad doctrinae christianae, et sacramentorum legitimam dispensationem; ad juventutis (qua seminarium tum civile, quam ecclesiasticum contineri constat) piam et orthodoxam institutionem; ad universitatis nostrae, non sine magno archiepiscopatus nostri detrimento collapsae instaurationem, denique ad salutem animae nostrae, ad remedium et redemptionem peccatorum atque offensionum, quibus divinam iram multis modis provocasse humiliter nos agnoscimus, statuimus et decernimus, eo modo quo sequitur. Imprimis, ut

collegium hoc archiepiscopale principis electoris (quo nomine a fundatione appellari placuit) habeat idoneam sedem et perpetuum domicilium, ubi verbum Dei concionari, confessiones audire, juventutem docere, et reliqua pietatis officia omnia pro instituti sui ratione exercere queat, templum et monasterium quondam fratrum ordinis divi Francisci (quod cum omnibus attinentiis suis ab ipso conventu cum debita superiorum suorum voluntate, et consensu, in dicti conventus et ordinis utilitatem, legitime in nostram potestatem jam pridem accepimus et habemus), situm in civitate nostra Trevirensi, dictae societati Jesu, et rectori dicti collegii assignamus, deputamus, donamus ac tenore prâesentium tradimus, et assignatum, deputatum et donatum volumus (quod sanctissimae Trinitati consecramus, et offerimus, ab eaque perpetuis temporibus nuncupari decernimus), ut ipsa societas eo loco, templo, monasterio cum omnibus, quae eo pertinent, et annexa sunt, sive quae inde dependent, perpetuis temporibus integre, libere et quiete, uti, frui, occupare illa, inhabitare, possidere disponereque de illis possit, sicuti dicti fratres et conventus, et eorum ordo, dum illud possiderunt, uti, frui, possidere, et de eo disponere potuerunt et valuerunt. Deinde pro necessaria et convenienti necessitate, victu et vestitu honesto religiosorum clericorum societatis Jesu, rectoris collegii et collegialium, praeter assignationem, donationem, unionem et incorporationem monasterii sanctae Barbarae extra et juxta muros civitatis Trevirensis, dicto collegio a supra dicto inclytae memoriae antecessore nostro cum consensu et approbatione summi pontificis Pii IV. factam (quam nos quoque quantum opus est et possumus, confirmamus et ratam habemus), assignamus, donamus, unimus et incorporamus, ac perpetuis futuris temporibus pro sustentatione eorundem collegialium, ipsi societati tenore praesentium tradimus, habere, possidere volumus, desolatum monasterium Wüstenbruill cum suis agris, pratis, hortis, vivariis, curte et vineis in Trittenheim, eo quoque prato, quod in insula Mosellae est, et dictae curti jam antea adjunctum fuit, et omnibus aliis pertinentiis, et bonis ad idem spectantibus. Item dimidiam

partem curtis in pago nostro Novill, quae curtis divae Barbarae nuncupatur. Postremo ducentos et quinquaginta florenos aureos annuorum reddituum redimibilium, de quinque millibus eorundem aureorum, ex monasterio divi Maximini cedentes, ut ex literis desuper confectis (quas saepe dictae societati tradimus) patet. Et quia hujusmodi proventus et redditus praedictorum bonorum, ad sustentationem et expensas collegii (quale nos habere et fundare desideramus) non sufficiunt, in animo firmiter statuimus, et primo quoque tempore data commoditate nos aucturos dotationem et fundationem promittimus, ut societatis dictae instituto satisfiat, quae plures ad ecclesiae nostrae fructum et subditorum utilitatem Deo serviant, et commodius juxta vocationis suae institutum vivant. Collegium autem hoc societatis Jesu sicut praedictum est in nostra Trevirensi civitate institutum, dotatum, et fundatum, ad perpetuam Dei gloriam et ecclesiae nobis commissae utilitatem, atque ad animae nostrae salutem gratiose libereque, tanquam eleemosynae nomine offerimus, et applicamus ipsi societati Jesu ejusque praeposito generali, reverendo patri Francisco de Borgia, relicta, concessa et permissa eidem et societati ipsi plena integra atque libera hujusce sui collegii administratione juxta dictae societatis constitutiones, ac gubernandi modum, juventutem in pietate ac bonis moribus juxta instituti sui rationem instituendi, ut cum ad civilem et politicam tum ad ecclesiasticam gubernationem (quam potissimum spectamus) ipsa juventus pie erudiatur, et ad parochialia maxime ministeria exercenda formetur. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium harum literarum, institutionis, donationis, unionis, incorporationis, dotationis, assignationis, deputationis, traditionis ac collegii fundationis, has literas manu nostra propria subscripsimus, sigillique nostri pontificalis appensione munitas, confici ac expediri curavimus. Acta sunt haec reverendo in Christo patre domino Gregorio episcopo Azotensi, et in spiritualibus vicario nostro generali, nec non venerabilibus, nobilibus et doctis, devotis et fidelibus nostris dilectis Joanne a Schoenenburg praeposito, Matthia abbate

S. Maximini, Godefrido a Walderdorff, Philippo comite a Manderscheidt archidiaconis, Wolffgango domino in Eltz scholastico majoris ecclesiae nostrae Trevirensis, Joanne Wimphelingo cancellario nostro, Antonio domino in Eltz marescalco nostro, Conrado Reck licentiato, Hieronymo Walthero doctore, consiliariis, multisque aliis personis fide dignis, tam ex clero, quam de populo praesentibus, datae in civitate nostra Trevirensi die decimo nono aprilis, anno millesimo quingentesimo septuagesimo.«

Has porro literas anno insequenti majori sigillo communitas societatis Jesu rectori P. Thyraeo ad aeternae possessionis aditae memoriam consignavit. Quo eodem nova ex hoc collegio ducta est Fuldam, trans Rhenum, ad Buchoniae fines societatis patrum colonia, quam invalescente hac in urbe haeresi, cum jam religionis avitae vestigia pleraque essent abolita, Balthasar ejus loci abbas princepsque vehementer urgebat. Missi hinc igitur patres gemini, alter Hermes dictus, et Oswaldus Redlingius alter, qui cum M. Joanne Macherentino binisque adjutoribus eodem profecti, auspicata posuere societatis istic receptae exordia.

Inferendum huic loco memorabile duorum ad societatem Jesu vocatorum hisce annis facinus, gloriosum alterum ac felici conclusum eventu, alterum vero ignominiosum, atque infelici exitu terminatum, quae idcirco potissimum adduco, ut et parentibus honestorum liberorum educatoribus constet, non subtrahendos Deo, quos ipse ad suum servitium deligit, filiis ne obluctandum temere, neque seductoribus obsequendum. Versabatur Spirae ex prima Lotharingiae nobilitate perquam dives juvenis Joannes Santgenott (Saint-Ignon), qui post literales philosophicas et jurisprudentiae disciplinas scientiasque, Gallia Italiaque ac Germania peragrata, earum simul nationum linguas, familiari promptoque usu hauserat, jamque Spirae in judicio imperiali haud ruditer exercitatus, ducis istic Lotharingici, episcopi Tullensis, aliorumque causas procurabat. Puella illi genere, forma, opibusque praestans, jam ante quadriennium desponsata, in thalamum instructis modo nuptiis

parabatur, cum ille consiliis repente mutatis, Deo potius quam homini fidem suam obstringere gestiens, Treviros anno 1577 ad societatem Jesu advolat, eique suppliciter postulat initiari. Ad collegium igitur (a quo domus probationis nondum erat separata) receptus, ingentem cum sororio eodem insequente luctam sustinuit, hic enim ducis Lotharingiae autoritatem, datam sponsae fidem, familiae spem destitutam, opprobrium tam diu suspensae ac denique neglectae sororis, cum frustra obtendisset, Joanne unico suae salutis ac divini honoris causa praeferendae clypeo, omnia adversantis tela facile refellente: deinde factus ex genibus supplex, preces, lacrymas, contestationesque necquidquam etiam adhibuit, ac postremo ad verborum fulmina irasque ac comminationes, in ipsum societatemque universam intortas, versus, quando immobilem se quatere columnam advertit, desperatione plenus ac dolore abiit. Nec Joannes diu cunctatus, ut se amicorum insultibus, sponsam ab exspectatione liberaret, muniretque arctiori cum Deo foedere, a primo probationis anno tria vota professus, ordinibusque sacris et sacerdotio initiatus, viam sibi ad seculum redeundi, amicis oppugnandi praescidit. Nec minori deinde quam coeperat impetu ad religiosae perfectionis apicem contendit, omnium quidem virtutum exemplar rarum, sed obedientiae prorsus singulare, qua per ministeria regionesque ceu pila in manu ludentium versatus, ut linguarum sic officiorum plurium capax, post societatis munia in Germania, Romanoque collegio ac poenitentiaria obita, Parisiis rectoris munere cum laude perfunctus est.

Alter ab hoc Joannes Lautherus, opulenti ex Bingensis oppido civis filius, non dissimili studio societati initiatus, dispari generosam concertationem exitu terminavit. Sicquidem parens, cum filium jam in collegio patrum ad probationem receptum nequiquam revocare conatus esset, senatus Trevirensis opem contra patres ceu filiorum raptores seductoresque imploravit, suscepit hanc avide causam haereticae factionis etiamnum in magistratu latentis, homo, Kyriander, urbis siudicus, eruditione, quam pietate melior, qui senatum adversus

Digitized by Google

principem jesuitasque non uno loco atque occasione clam palamve inflammabat, quare opportunitatem se nactum ratus, qua hos gravius traduceret, anno 1575 provinciali Thyraeo (id enim jam munus susceperat) cum rectore collegii P. Adriano Louffio in locum decedentis anno 1572 surrogato, ad senatum frequente invitato, tanquam de re magna acturus, instructa oratione societatem de raptu violentiaque accusare ingressus est: cui modesta brevique responsione provincialis occurrit, adolescentem accersitum, hanc quam mox calumniam litemque posse rescindere, nec mora advocatus venit, palamque est professus, se praecepto assensu parentum utpote Deo salutique suae non adversantium, multis hunc ad societatem ingressum precibus impetrasse, nullis neque illecebris neque vi sed salutis suae amore inductum decretumque sibi esse, in hac vivere et emori, disceptatum postea ultro citroque pluribus, senatusque consulto statutum ultimo, filium parentibus ad ulteriorem probationem constantiae indulgendum ad tempus esse, cui cum provincialis acquiesceret, volens nolensque abstractus cum multis lacrymis adolescens: has ex via literas ad magistrum novitiorum P. Joannem Gilsium dedit: *Ego Joannes Lauther Bingensis promitto, spondeo, voveo, quantum me Deus adjuvat et sancta ejus evangelia, manere velle in hac societate, nam aliter fieri nequit, et si non venero huc, aut Moguntiam, debebit haec carta me judicare in extremo judicio.* Sed o fragilis hominum voluntas et potens malorum occasio! Receptus a parentibus et ad frequentia convivia inter pocula puellarum et haereticorum consortia, aliaque juventutis lenocinia, ultro objecta a parentibus, sensim emollitus, animo sese alio ad studia, exercitationesque juveniles abduci passus est, ac suppeditatum liberaliter aes patrium inter helluatorum et mulierum contubernia ex parentum instructione decoxit, denique etiam mulierculae alligatus, brevem voluptatem longo dissidio cum parentibus juxta et uxore ducto, expiavit, quibus cum variis deinde accederent morborum ex luxu luxuriaque subnascentium dolores, et ipsiusmet conscientiae de perfidia in Deum arguentis aculei sibi juxta aliisque execrandus vixit,

Digitized by Google

optandum vero, ut tam infelix vita ad meliorem denique mortem erudierit, sed hac in extremo, ad quod ipse provocavit, judicio constabunt.

Anno salutis 1577 sodalitas adolescentum studiosorum instituta est sub patrocinio B. M. V. et quoniam apostolica nondum authoritate societas hisce locis talem possidebat, nomina illorum albo sodalitatis rosarii apud patres dominicos inscripta sunt, donec anno 1576 bulla Gregorii XIII. pontificis in gymnasio est promulgata, quae singularium indulgentiarum gratiam omnibus Romanae sodalitati sub titulo B. M. V. Annunciatae adscriptis facit, cui et haec Treverica ex totius urbis proceribus tam profanis, quam ecclesiasticis collecta, et aliae toto orbe quam plurimae, communicatis privilegiis incorporatae sunt cum amplissima meritorum participatione, et egregio sodalium confertim affluentium zelo et fervore, non ad propriam solum pietatem frequentemque sacramentorum usum, sed proximorum quoque auxilia, visitandos carceres et nosocomia, solandos aegros, erroresque ac vitia abolenda inflammato. Praefectus sodalitatis primus omnium suffragatione electus est Azotensis episcopus, suffraganeus eminentissimi archiepiscopi Schoenenbergii, D. Petrus Binsfeldius, theologiae doctor et ad S. Simeonem praepositus, vir ut eruditione libris pluribus testatissima, sic pietate apud Treviros celeberrima illustratus.

Anno 1579 postquam archiepiscopus Jacobus societati plenius fundandae intentus per biennium bona illi et jura abbatiae Prumiensis concessa liberali donatione ac literis consignasset, sed capitulum in assensu dando obluctaretur, tandem utriusque consensione firmatum est ut mille quotannis floreni Francofurtenses ex telonio Engariano, donatione irrevocabili collegio cederent, qui praecipuus hactenus est alendae familiae nervus.

Anno 1580 novus pro concionibus suggestus in templo patrum societatis erectus, patribusque dominicanis cessa est usitata aedis B. M. Virginis juxta metropolitanam basilicam concio, et frequentia non minori in ecclesia SS. Trinitatis apud patres peroratum, ac denique cathechesis ad rudes in fide

Digitized by Google

homines et pueritiam ibidem instituta, quam cum praesens aliquo archiepiscopus Schonenbergius auscultasset, tota imposterum archidioecesi frequentari mandavit, ratus hoc praecipuum esse religionis catholicae propagandae remedium, si a teneris his fidei pietatisque rudimentis subditi erudiantur. Nam *quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu.*

Anno 1585 hinc a societatis patribus nova ducta Luxenburgum colonia est, in qua urbe vehemens illorum desiderium P. Peraxylus aliique in hanc messem jam annis aliquot missione destinati accenderant, ut Alexander Parmensis denique, corrogato per ducatum sumptu, ceu Belgii gubernator collegii principia imperaverit, quod ad multorum hactenus utilitatem suis incrementis et patriae commodis profecit.

Quo anno, cum princeps Francisco Bonhomio Vercellarum episcopo et pontificio ad Rhenum legato tunicam Christi inconsutilem spectandam exposuisset, toto illa deinde populo ingenti frequentia ac pietate longe lateque affluente proposita est, vix quoquam ad tam insolitum spectaculum lacrymas continente, visaque haec fuisse exoptata multis poenitentiae occasio, qua mortalitatem urbi deinde gravius incumbentem paratiori animo excipierent, quae sex e patribus societatis peste sublatis, reliquos per varias dioecesis partes in monasteria religiosorum aut urbes missionibus ad fructum animarum idoneas sparsit, caeterum anno regressis altero tanta brevi incubuit annonae caritas, ut cum frumenti modius daleris veniret duodecim, collegium per tres menses, nunc quadringentis nunc etiam millenis stiparetur pauperibus ex afflicta late patria ad urbem confluentibus, quibus, si non semper panis, certe jusculum ex oleribus, quae lautius provenerant) paratum erat, P. Oliverio Manaraeo, qui visitator tunc forte aderat, ad largiendum collegas, dum quicquam suppeteret, exhortante. Post quam famem lues iterum quae octo sociorum consumpsit, in collegium patriamque haud sane levi clade, sese effudit. Sed pestilentia sensim metuque contagionis sublato, dissolutae prius, vacuaeque ab adolescentibus scholae anno insequenti supra millesimum numerum accrevere.

Digitized by Google

Anno 1589 die 3. decembris mortuus est in monasterio D. Bernardi Himmelrodensi, quo religiosos viros, societatis imprimis amantes salutatum concesserat P. Joannes Gibbonus, Trevirensis per annos quam multos rector et S. theologiae professor, natione Anglus et vita angelus, quia primis societatis initiis Treviris egregio per diversa officia labore ac laude substituerat, quam opulento apud Bonnenses in agro Ubiorum spreto canonicatu, sibi ob notam Romae probitatem et eruditionem a Gregorio XIII. collato, praetulit. Viri fuit dimissione sua inter rara naturae, gratiaeque dona, magnus, morum suavitate gratus omnibus, et regendi, ut in societate, peritissimus, qui amaret amari, et timeri pertimesceret, caeterum zelo ardoreque juvandi proximos non vulgari, quod et quibusdam a se editis opusculis testatus est. In his est: 1. Concertatio ecclesiae catholicae in Anglia adversus calvino-papistas et puritanos sub Elisabetha regina in tres partes divisa, et Augustae Trevirorum composita, ut quos praesens eripere exitio populares non poterat, hos scripto ad veritatem revocaret. 2. Confutatio virulentae disputationis Georgii Schön calviniani professoris in academia Heidelbergensi. 3. Gemina disputatio, altera de sanctis, quorum veneratio a sectariis malevole explosa est, altera de communione eucharistiae sub una specie, quam hujus aevi haeretici, dum sub utraque extendere ad necessitatem quandam sacramenti volunt, totam destruunt.

Addi hic potest Hermannus Thyraeus, jam olim hujus collegii rector ac provincialis, doctrina ac virtute spectatissimus, patria apud Ubios Novesiensis, theologus concionator, religiosisque suis numeris absolutus, Moguntiae apoplexia extinctus anno 1591 die 26. Libros reliquit manu scriptos, 1. conciones quamplures, 2. de religionis libertate, 3. sex millia dubiorum de confessione Augustana.

In rectoris munere Gibbonum secutus est P. Paulus Leyserus, qui altero suo apud Treviros rectoratu sub archiepiscopo Lothario anno 1608 calend. decembris aqua intercute extinctus est. Postquam Bartholomaeus officialis Trevirensis societatis nostrae maecenas optimus, cujus in annalibus nostris

Digitized by Google

memoria est, mense uno morientem, ipse moriens, praevertisset. Erat Paulus, ut multa paucis stringam, charitatis ac parientiae domesticis juxta externisque exemplum spectatissimum, qui ad curam domus indefessam in concionum ac poenitentium frequentia dicens audiensque locabat operam, itaque se impendebat sanis, ut aegris nusquam afflictisque deesse videretur, donec sanus ipse aegerque desineret esse aeternum victurus a morte asserendus.

Hunc P. Joannes Mulhusinus anno insequenti regens moriensque secutus est. Moguntia is ex theologica professione doctor advenerat, paucisque charitatem prudentiamque suam mensibus Treverico collegio probaverat, cum 12. septembris apoplexia tactus, sexto post die exspiravit. Thuringus is natione erat, Mulhusio, unde nomen retinuit, alias Spiznaes dictus, honesta stirpe oriundus, qui ab haereticis educatus, cum Romam adolescens venisset, pontificemque humana et digna tanto praesule forma videret incedere, quem inter suos ceu monstrum aliquod describi audisset, ratus fidem illam, quae mendaciis tam manifestis defenderetur, sublestam fallacemque esse, catholicorum institutum societatemque Jesu paribus a sectariorum ministerio coloribus deformatam subiit, ut adversum hos fraudum machinatores dignis instructis armis pugnaret, quod non segniter deinde praestitit, nam 1. Speculum miseriorum Davidis Parei calvinistae in schola Heidelbergensium professoris ad justam catholicae fidei propugnationem vulgavit. 2. Censuram disputationis Parei de sacrarum scripturarum authoritate canonica, cum notis et censurae Moguntinensis vindicatione. 3. Auctuarium speculi miseriarum. 4. Disputationem de libero arbitrio contra haereticos, quae omnia Moguntiae lucem aspexere.

Anno 1610 D. Joannes Macherentinus jam senio et meritis coelo maturus, post ferias natalitias, exhaustus vigilia et laboribus succubuit, qui Margaritam Documam, cujus in annalibus vitam dedimus, ad memorabilis exempli poenitentium inflexit. Philosophicam ille, theologicam praecipuasque in urbe ecclesiarum cathedras doctrina sua zelo incredibili movendi

Digitized by Google

exornarat, totus ipse divini amoris flammis aestuans, morbis oppugnatus plurimis, crudelique imprimis herniae malo, a Deo inducias annorum aliquot in senio petiit, obtinuitque ut in proximorum salutem tanto hos impensius verteret. Aquisgrani zelo suo concionibusque suis societati collegium aperuit, variisque missionibus dioecesi tota obitis, admirabilem vulgi totius favorem collegit; sepulchrum ejus anno integro floribus a populo affluente sparsum, eximiique muneris loco duxit, quisquis aliquid ab eo acceptum possideret. Cathechismum Trevirensem insigni methodo et accuratione conscriptum vulgatumque reliquit.

Annus sequens optatissimus societati illuxit, quo Ignatius de Loyola, instituti hujus celeberrimus autor, beatorum numero apostolica sententia assertus, magnifica apud Treviros patrum fratrumque processione tota urbe affluente honoratus est, qui crebris deinde apud Treviros beneficiis difficiles puerperarum partus auxilio coelesti levavit, ut alios illius de coelo in cultores suos favores praeteream.

Benefactorum societatis insignis quoque horum temporum catalogus potest confici, in quibus post archiepiscopum Lotharium quot annis praeter solitos ex aula mille florenorum proventus, nunc frumenta, nunc vina suppeditantem, jure censeri debet Bartholomaeus Bodegemius officialis, qui collegio suam a morte anno hujus saeculi octavo obita haereditatem, ac bibliothecam sane luculentam transscripsit, cui Margarita Documa et Elisabetha Diersdorff, atque imprimis altera Elisabetha baronissa de Kriechingen et Joannes baro de Brandenburg sane non vulgares benefactores accessere, denique et S. Maximini, princeps hisce locis benedictinorum monasterium, liberali indigentiam societatis manu frequenter sublevans, accensendum est, aeterna cum caeteris benefactoribus gratitudine omnes memorandi.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De gymnasii sodalitatibus, et missionibus, virisque zelosis.

Anno quoque 1614 stetit frequentarique publica solennitate praevia coeptum est nobile recensque exstructum corrogato propemodum sumptu Trevirorum gymnasium, quanquam et Lothario electori multum hoc suo splendore debeat, et Philippus Christophorus Spirensis id temporis episcopus cochleam in eo unam, alteramque Godefridus ab Aschhausen Bambergensis princeps, suo aere spectabili in altum opere subvexerint.

Ad pietatem vero omnis sexus aetatisque per sacramentorum frequentiam, et singularem cujusque status instructionem magis magisque inflammandam, variae diversis temporibus sodalitates institutae sunt, et anno quidem 1608 D. Leuserus rector facultate indulgentiaque Romana fretus, civicam congregationem auspicatus est, praefecto eidem Joanne Schuzio, quae magno statim affluxu frequentari coepta, operae pretium hujus conatus ostendit.

Anno vero 1617 adolescentum opificum sodalitas non minori incohata fructu, altero statim congressu supra centesimum aliquot capita numerum censuit. Denique anno 30 ejusdem saeculi Dolorosae patrocinio coepit, quae magna semper assiduitate emolumentoque pietatis est celebrata. Unde praeter illam quae est virginum devotarum sub S. Ursulae nomine a patre Falckonio incohata, congregationes omnino sex intervallo temporum institutae, procerum una cum philosophis theologisque, altera civium, tertiaque rhetorum ac poetarum sub Divae Virginis patrocinio conscriptorum, matronarum ac virginum quarta sub vexillis Ursulinis, grammaticorum quinta sub tutela angelorum, sexta sub D. Josephi protectione convenientium opificum, quae hodiedum omnes tanquam luna

Digitized by Google

quaepiam, incrementis decrementisque suis pro temporum personarumque ratione spectabiles consistunt.

Missiones variae per archidioecesin Trevericam variis magno fructu institutae temporibus, vixque celebrior locus est, quo excursum a societatis hominibus non fuerit et vel fides orthodoxa propugnata propagataque; uti Neomagiensis parochia ab heterodoxo quondam comite vindicata est, et Obersteiniana missione subditi comitis Falckensteinii jam plerique in haeresin praecipites revocati sunt, vel cathechesis rudioribus explicata, sacramentorum persuasa frequentia, congregationes piorum sodalium institutae. Mira cum aliorum tum imprimis P. Cusani, infra Treviros Cusae ad Mosellam nati, industria fructusque enituit. Is enim postquam in theologicis studiis jam laurea donatus esset atque in S. Maximini monasterio eandem docendo disciplinam tradidisset, Treverica societatis probatione exceptus excultusque Luxenburgum missus, post traditas humaniores juventuti artes prorsus ad rudes tota patria cathechesi bonisque moribus formandos incubuit, tanto zelo, tantaque inter morborum hominumque frigoris calorisque injurias patientia, ut sociorum saepe magis sibi adhaerentium, quam propria afflictione tangeretur. Ad cibum illi panis atri crustula, cum aliquo casei durioris condimento et aqua in potum integris quandoque mensibus suffecit, pro lecto plerumque stramen, pro tegumento pallium, oratio per viam, concio et sacramentorum administratio per pagos et oppida, labor illi perpetuus, ardentissimo in concionibus fervore efferebatur, extra has sine calore et injuriarum sensu esse visus, exemplar perfectum omnium missionibus dantium. Inter haec charitatis officia, ut vitam indefesse traduxit, ita mors inter funera moribundorum versantem post ecclesiae sacramenta rite percepta occupavit, anno 1636 aprilis die 20. Libellos pauculos germanica lingua vulgo acceptissimos edidit. 1. Scholam christianam, in qua et cathecheticae quaestiones et controversiae de fide brevi dilucidaque methodo explicantur, quam Metenses Gallico sermone vulgarunt. 2. Sapientiam christianam velut quoddam scholae prolixioris compendium dedit.

Digitized by Google

3. Ducem viae, qua heterodoxos ab haeresi, orthodoxos ad veritatem traducit.

Porro intermissam ex morte P. Cusani missionem, spiritualis messis in rudiori vulgo foracem alii deinde societatis patres ex eminentissimi archiepiscopi Philippi Christophori voluntate resumpsere, destinatusque ex Trevirensi collegio ardentis zeli vir P. Henningius Knelius, cum viae laborisque socio P. Gerlaco Hoen etiamnum superstite, qui per Trevericae ditionis qua Saravum et Suram Mosellamque ac Rhenum spectant late effusi non poenitendi operis fructus colligere, rudemque populum cathechesi passim sacra excoluere, utque hoc deinde constans apud pastores vulgusque persisteret, cathecheticas sodalitates et juventuti instruendae scholas, ubi commodum erat, erexere. Quibus alia pietatis exercitia, ut frequentem sacramentorum usum, et cantum litaniarum vespertinum adjunxere, exemplo ipsi ad hunc cultum praevio, aere etiam ad haec exercitia fundanda corrogato. Nec diu loco uno morari soliti, saepe indies stationes ex pago in pagum translatae, postquam binis ternisve concionibus instructa plebs et per sacram exomologesin synaxinque reconciliata Deo fuisset, tenuitque biennium facile ab anno 45 haec exercitatio: donec emulatione parum sancta invidorum concitatus, elector moram injiceret, ac denique pie coepta bellorum temporumque injuria abrumperentur.

Vixere praeterea alii in hoc collegio excellentes virtute zelo Dei atque eruditione patres, in quibus et P. Browerus annalium Trevirensium scriptor, cujus sub Lothario meminimus, sub quo etiam principe R. P. Wilhelmus Metternich, ex praenobili familia ejusdem Lotharii consanguineus, hujus collegii rector vixit, vir zelo Divino flagrantissimus, qui Lotharium archiepiscopum sacris S. P. N. excultum commentationibus ad mortem disposuit, ejusque funebrem concionem magna omnium aedificatione ad mundi vanitatem cognoscendam adornavit, illo nihil humilius in sui contemptu, asperius in afflictione corporis, in pietate flagrantius, ardore dicendi vehementius. Coloniae demum magna sanctitatis opinione defunctus, in cujus

Digitized by Google

collegii annalibus celebratur. Quare hic tantum mortuos singularis virtutis viros prosequor, paucorum in ceteris ex familiari convictu mihi notorum, quos uno anno 1636 pestilentiae toti urbi incumbens lues cum aliis undenis sociorum abstulit, hoc in loco recordor, Laurentii videlicet Ripperger theologiae professoris, viri in quo eximia cum scientia atque eruditione certabat demissio ac modestia, cui P. Henricum Lulsdorffium, genere nobilem at virtute multo nobiliorem merito accenseo. Metropolitanae ille aedis ecclesiastes, affectu magis pietatis, quam eloquenti dictione impellebat, totus divini honoris studio, et B. Mariae Virginis amore flagrans, quam praeter consueta orationum pensa ducentis indies angeli salutationibus honorabat, incarnatae sapientiae mysterium honorans. Porro in his pietatis cultoribus zelus P. Joannis Bolandi, sacri in templo societatis oratoris, eminuit. Hic puer aliquot annorum caecitate afflictus, ideoque parentum supplicatione ad Deiparam Aspricollensem (Scherpenheuvel), miraculis apud Belgas celeberrimam, translatus, ad illa orantium verba, *profer lumen caecis*, visum receperat. Cujus, ut nunquam beneficii memoriam deponebat, ita Everhardi Clusam ab ejusdem Divae singulari patrocinio late cognitam gratitudinis ergo non raro invisere solitus. Quod postremo vitae anno tanta corporis sui afflictatione praestitisse compertus est, ut hinc morbi principia lethalis duxerit. Nam cilicio ex squammis ferreis, pertusione exasperatis contexto, et usque ad genua demisso (quo pene indies corpus fodicabat) indutus, hoc iter Treviris susceperat, quod cum imbecilli satis pertentasset corpore, zelo, quam viribus fortior, denique succubuit, laetus tamen ad mortis imperium statione cessit tanquam ab exilio iturus ad patriam. Tanti est exiguo tempore inter hujus mundi illecebras fortiter depugnasse, ut aeternum inter coeli delicias gaudeas ac triumphes.

Meminisse et hoc loco alterius gente nobilis, P. Friderici Spee Caesaris Insulani, operae pretium duxerim, qui Treviris anno 1635 die augusti 7. in Gallorum infectorum servitio occubuit, quem studiose in vita universa laborem captabat, tam in pauperum morbidorumque tuguriis, nosocomiis, carceribusque

Digitized by Google

frequens, quam in procerum conversatione gratus, mira in illo erat tractandorum animorum industria quoad cujuslibet status conditionisque homines apposite captandos, ducendosque velut pro arbitrio utebatur, haereticorum blandus, sed efficax expugnator, unde late se per inferiorem Saxoniam a Tillyo caesareoque milite catholicis asserto sese effundens, praeter alia loca Peinam urbem non ignobilem paucorum mensium intervallo Romana fide imbuit, perque varias ecclesias dominicis sacrificia plura concionesque, in orthodoxorum pastorum defectu, solus obiit: in quo munere per insidias haereticorum in silva appetitus, fallentibus sclopis ad trajiciendum paratis, luculentis quinque in capite vulneribus acceptis, cum ita cruentus tamen ad collectam venisset concionem, legeretque evangelium *Pastor bonus animam suam pro ovibus suis ponit,* ceu moriturus concidit. Post diligentem nihilominus curam sibi suisque redditus, haeresi istic rursum cum armis hostilibus invalescente, Paderbornam, Coloniam, Treviros inde deductus est, egregia ubique tum docendo, tum agendo sedulitate ac zelo homines peccatores Deo asserendi eminens. Treviris, ut afflicto Gallorum militi praesidio esset, eorum brevis temporis studio linguam est assecutus, quam utcunque formare doctus, indies stipatus illius militiae proceribus incedebat, ac demum Gallis per Hispanorum irruptionem pluribus laesis afflictisque, tanto charitatis praesidio adfuit, ut cum sibi non parceret, contracta demum lue, aliorum vitae suam moriens impenderit. Et rex Galliarum hac re cognita societatem adversus archiepiscopum, eam de proditione contra Gallos insimulantem, defenderit. Ita demum P. Fridericus obiit, ut etiamnum suis in libris superstes vivat. Quorum tamen primus, quem cautionem criminalem inscripserat, qua judices veneficorum, ad cautelam in hoc examine periculorum pleno informaverat, cum per alienas manus nondum a societate probatus lucem subiret, non paucis suum autorem periculis exposuit, duo alii exquisitissimi laboris prodiere ab eodem libelli, alter de fide, spe et charitate, ad insignem pietatem formatus, alter eruditissimus in lingua Germanica concinatus versibus, mysteria

Digitized by Google

salutis nostrae complexis, quem melodicis idoneum, et nunc passim aptatum concentibus, *Lusciniae* nomine vulgavit.

His porro societatis apud Treviros primipilis alios quosdam etiam ex nobilitate degeneres accensere filios possum, qui majoris libertatis avidi, alioque quam Dei zelo inflammati, ab eadem divulsi sunt. Horum tamen consanguineis amicisque eam debemus gratiam, ut oblivisci nominum malimus, quam ad memorem posteritatem propagare. Ceterum hoc societatis collegium, quod proximis ante hunc principem, temporibus, et pressum injuriis et debitis oneratum et muris tectisque passim subsidentibus inter rudera ruinasque pene sepultum jacuit, nunc liberalitate novi electoris respirat, ejusque ope ac opera, per eleemosynas, ac meridionalis in aedificio alae excitationem sensim erigitur, quamque ab authore primo Joanne a Petra ad fundationem Treviris auspicandam suae originis felicitatem hoc loco duxit, hanc in nepote ejus Carolo Casparo implendam non diffidit, bono omine fretum ac nomine, ut videlicet in petra stet solide fundatum. Quae petra ut aquas etiam novo beneficio funderet, Treverici magistratus liberalitati patres debent, quando ex communi civitatis fonte per subterraneos canales derivandae in collegium aquae potestas facta est anno salutis, quo haec scripsi 1669, cui Deus pro aqua abundantiam vini et olei refundat.

CAPUT IX.

Domus probationis Treverica societatis Jesu.

Postquam Rhenanae provinciae societatis Jesu a Belgica divisae cura P. Antonio Vinckio demandata a Francisco Borgia generali fuisset, utriusque consilio auspiciisque tirones ejusdem societatis, qui singulis in collegiis divisim ad prima religiosae vitae rudimenta excolebantur, ad unum Trevirense

Digitized by Google

collegium ex Coloniensi et Moguntino (plura enim deerant) traducti sunt, facilius sub uno magistro et exemplis vitae communibus instituendi.

Quocirca sub Pio V. pontifice et archiepiscopo Jacobo ab Eltz Treverico ex tota huc provincia anno Christi 1569 evocati per annos sex et viginti sub diversis rectoribus collegii, Hermanno Thyraeo, Adriano Louffio, Richardo Xantheno, Joanne Gibbono, Paulo Leusero et Joanne Gilsio suisque etiam novitiorum magistris versati sunt, religiosaeque militiae sacramenta dedere. Verum crescente numero candidatorum licet suppeditato aliorum collegiorum sumptu tirones alerentur, cum tamen angustiae domus tantam frequentiam non ferrent, translata habitatione antiquam convictorum domum academicae bursae ut vocant adjacentem, incolere coeperunt, ubi anno 1596 proprio rectore simul et magistro novitiorum freti P. Petro Cremerio, una cum secundae probationis patribus substitere, donec anno 1602 sub generali societatis P. Claudio Aquaviva et provinciali Theodoro Busaeo consiliis coeptisque Lothario archiepiscopo favente ruinosum Mediolacensis abbatiae domicilium comparatum est, cum horto adjacente id temporis vel incultus hispidusque vel vicinis civibus venditus oppignoratusque, nihil admodum monasterio (ut literae translationis habent) emolumenti dabat, hic deinde partim redemptus, partim excultus, murisque inclusus est. Domus quadrangulari nec invenusta specie, una cum sacello S. Joannis ad usum plurium tironum triennii spatio aptata, totusque, qua late inter duas ad Mosellam per urbis pomaria excurrit portas, cultiori formatus habitu locus, ac denique sub exitum anni 1605 novitii societatis, tota applaudente vicinia, ad hunc in ipso S. Andreae pervigilio sunt traducti. Tantum hic numerus paucis annis invaluit, ut frequenter deinde supra nonaginta personas domus censeret, singularique divinae providentiae nutu factum sit, quod licet certa nullius fundatoris beneficentia ad tantam amplitudinem, cum loci aedificiorumque, tum personarum haec domus assurgeret, non tamen defuerint opportuna ad rem exitu felici terminandam praesidia.

Digitized by Google

Inter primos vero loci hujus benefactores jure referendus est eminentissimus Trevirorum archiepiscopus et elector princeps Lotharius a Metternich, qui annuo quinquaginta ex auro florenorum proventu hanc domum, instrumento fidei publice submínistrato stabilivit, temploque ea qua fulget specie exornando, argenteaque suppellectile ditando aliquot impendit florenorum millia, cetera tum ex diversorum societatem adeuntium haereditate, tum liberalitate dominorum, ultro compertae egestati subvenientium benevole suppeditata fuere, quorum catalogum recensere longum sit, satisque futurum omnibus est, quod nomina illorum scripta sint in coelis, aeterno nunquam honore ac praemio destituendi.

Consecravit hanc repente felici morte domum Reinerus Statius ex Geseck oppido Westphalorum, submissus, qui aurifabri in arte, a parente Daniele educatus, societatis apud Treviros adeundae gratia viae se commiserat, sed in medio itinere occupatus morbo, dum in rustica haeret domo, suisque a sociis ad metam anhelantibus deserendus videbatur, noctu inter dolores non animi minus quam corporis de proposito sibi fine assequendo desperans, cum nulla a mortalibus spes auxilii affulgeret, ad Deiparam Virginem, quam impenso hactenus coluerat studio, votis se precibusque obnixis convertit, nec defuit periclitanti misericordiae mater, speciosissimae matronae multaque luce circumfusae imagine noctu conspicua adfuit, collaudatoque societatis filii sui adeundae desiderio, affuturam se promittit ut voto potiatur metamque contingat, ibi tamen haud multo post ad vitam monet evocandum meliorem. Hac promissione laetus alacerque postera se luce morbo fortior, cum sociis itineri accinxit, portumque Trevericae probationis incredibili gaudio attigit, ubi rursum in lectum reclinis, cum medicis aegrum fomentis levare conarentur, »frustra, inquit, ista, haec mihi indicta migrandi statio, hinc ad superos excedendum est. Deipara hic brevi adfutura est, ut me ad coelos deducat,« nec fefellit, compositus ad extremum agonem rite omnibus, mortalium jam rerum satur, immortalibusque toto pectore inhians, duodecimo postquam ingressus

est die suavissimum ultimis vocibus alleluja concinens, velut choris jam immissus coelestibus, mortales admiratione juxta se plenos deseruit anno 1605, hoc est immigrationis in hanc domum primo 16. aprilis.

Quod ut felix P. Cremerio rectori omen sub ingressum hujus domus visum est, ita haud multo diversum illud videre potuit, quod septem post annis eidem oblatum est, quando jam immigratione altera post antlatos strenue labores sibi ad superos transeundum esse intellexit. Joannes Ludovici ex suburbio Treverico ad Pontem Leonis natus, in domo probationis jam septimi mensis tirocinium ingressus, lenta ad extremam vitae lineam tabe vergebat, piorum desideriorum et affectuum erga Christum Deiparamque ejus matrem plenus adolescens; accessit pro more ad aegrum invisendum rector, ad extrema illum misteria agonemque dispositurus, cumque hilari eum vultu laetitiaque exuberante plenum deprehenderet, *Unde*, ait, *mi Joannes tam insolens tibi incessit gaudium? A Christo*, respondet ille, *et B. Virgine ejusdem matre ac Sanctis Dei, exulta mecum, o pater, ibimus, ad hos ibimus, hodie ego, reverentia vestra sub diem S. Laurentio martyri sacrum. Sequetur haud multo post Paulus Germanus;* id erat alterius tironis jam in secundum annum probati nomen. Quorum utrorumque, cum etiamnum constaret valetudo, non vana tamen praenuntiasse eventus rei certissimus probavit, sacramentis igitur ad extremam hanc luctam, votisque scholasticorum societati assertus, laetus tanquam coelo mox asserendus valedicit collegis, verbisque gravibus ad pietatem Deiparaeque imprimis cultum et vocationis suae perseverantiam hortatus in crucifixi ante se pendentis imaginem cum oculos animumque convertisset, »quam dispari, inquit, morte pro me Dominus meus defunctus est; ah quis mihi tribuat ut pedibus manibusque cum eodem crucifixis moriar!« Inter quae desideria deserto anima corpore ad amati servatoris sui conspectum evolavit, caeterosque de rerum futurorum eventu suspensos reliquit.

Jam augustus mensis ibat, propiusque D. Laurentii festivitatem ventum est, cum P. Petrus Cremerius domus rector in-

Digitized by Google

clinata gravius valetudine, diem sibi, non frustra praenuntiatum, adesse sensit: quare dispositis ad sancte moriendum rebus suis, domesticisque cum universe ad Deo serio constanterque in societate adita serviendum tum sigillatim quibusque apposite ad illorum indolem paterna commonitione inflammatis ultimam, cum desiderio migrandi, horam operiebatur, quam anno salutis 1611 feria 4. a sancti Laurentii festivitate, augusti 13. adesse sensit, vir cui plurimum haec domus probationis tanquam primo praecipuoque ipsius autori et amplificatori debet, nam ut singulari ad illam animi magnitudine aggressus est, ita industria solertiaque promovit. Mirum enim est tam exiguo opum apparatu tantam totque personarum alendarum capacem brevi annorum periodo domum potuisse assurgere, opusque illud visum est humanis magis viribus sine potentium fundatorum adminiculo rem hanc aggredi, nisi praesentius in providentia divina quam ope mortali praesidium a magnanimo viro repertum esset, interea talem in spiritualium rerum administratione et singulari cujusque tironis profectu curam locabat, ut temporalium oblitum prorsus existimare posses. In morbo ipse suo de aliorum valetudine sollicitus, magis ne quid novitiorum postremo deesset rogando monendoque instabat, quam ut aegritudini propriae sublevandae remedia posceret, boni ubique pastoris, animam pro ovibus suis offerentis, partes explens, unde et hanc in annalibus nostris jure quodam suo memoriam deposcere visus est, majorem coepti tam egregii navataeque sedulo operae laudem habiturus in coelis.

Successit rectoris magistrique novitiorum in munere vir antiqui Germanique candoris P. Petrus Altenhoven, Julias, in quo cum egregia humanitate religiosae vitae cura ac sanctitas conjuncta, raram illi cum apud externos tum domesticos gratiam authoritatemque conciliabat, quam non modo tironum apud Treviros rector, sed et collegii ibidem pluribus annis moderator probavit. Hic postquam e Treverico novitiatu Paderbornam avocatus esset, P. Gerardus Wentzlerus ex rectore Fuldensi Trevericae probationis domus summa potestate administrare anno 1616 coepit. Ejus religionem sapientiamque testatur praecipuo-

Digitized by Google

rum eidem munerum in societate commissa autoritas, nam ut diversis locis rector, sic provinciae demum totius regendae cura eidem demandata est, qua gloriose cum ipsa defunctus vita, anno 1624 occubuit.

P. Christianus Mayer, Mengelrodii in Eisfeldia natus, superioris anni 1623 exitu in tironum regimine eidem est surrogatus, cujus viri indolem vitamque insigni sanctitate traductam (quod sub eodem ego novitius societatis testis atque arbiter vixerim) praeterire nequeo, quin paucis delibem, cum minime mihi dubium sit, jam nunc in coelis eundem Sanctorum consortio assertum, singulari in se collatae a Deo gratiae, exultanti plausu assensurum. Ab honestis ille antiquae pietatis parentibus anno salutis 1584 progenitus, egregie ad omnem virtutem adolescens formatus, ingenuisque excultus artibus est, atque a primo rationis usu per cathechesin PP. societatis Jesu excultus, ad similem aspirare habitum vitamque et levissimas quasque noxas aversari coepit, admirabili divino, quem in se agnoscebat, providentiae ductu. Unde factum, ut ab omni comprimis impuritate, adeoque sexus disparis consortio a primo calescentis aetatis exordio abhorruerit, atque ad edomandam carnis lasciviam, ter in se quot hebdomadis flagellis, ter cilicio carnem afflixerit, jejunia panis crustula, et tenuis zythi haustu absolverit, ne quisquam sine aliqua in se animadversione dies laberetur. Quibus cum crebra oratio, morumque sancta compositio accederet, cavilla obtrectationesque observantium illudentiumque devitare non poterat, quas immoto animo, atque ad Dei amorem obfirmato, facile contemnebat. Nec interea studiorum negligens, capaci promptuque liberales artes ingenio complectebatur, a rhetorum palestra in societatis disciplinam vitae morumque innocentiam ab omni graviori noxa illaesam transtulit, atque ad ultimam vivendi metam constanter traduxit, ut eorum, quibus animi sui arcana, pro societatis more credidit, testatum nobis fecere. Hac porro in arena ita versatus est, ut pristino vitae instituto religiosae observantiae paupertatisque atque demissionis ornamenta adjiceret, sive ad se ipsum sive ad alios in literis aut virtute formandos accederet,

Digitized by Google

Post intellecta aliisque etiam tradita philosophiae studia, in theologicis ad lauream doctoralem Treviris progressus est, ita tamen inter has studiorum exercitationes Deo conjunctus, ut meditari potius divina, quam humana tractare crederes. Huic mane sese ante venerabile eucharistiae sacramentum, actionesque quotidianas velut in holocaustum totum offerebat, moxque ad rerum divinarum meditationem, et cum sacerdos esset, ad sacram Deo hostiam litandam versus, si tempus ferret una alteraque post hora orationem producebat horarias non solum preces presbyteris usitatas, sed et poenitentiales, graduumque psalmos officiumque defunctorum, ac postremo coronam D. Virginis sacram evolvere indies solitus, quodque deinde dabat aliis occupationibus tempus, interpositis ad Deum suspiriis ita interpolare consueverat, ut vitam ejus perpetuam crederes cum Deo familiaritatem, et ardens quaedam pietatis amorisque coelestis flamma plerumque ex vultu emicaret, oculi etiam prae frequenti lacrymarum profluvio erubescerent.

Porro singulas ipsius virtutes hoc loco expendere longum sit, qui eas inquiret, in supplemento scriptorum bibliothecae societatis Jesu sigillatim magis expressas reperiet, quanquam et ipse P. Christianus in geminis quos conscripsit libris spiritu Dei plenis, hoc est *Enchrydio industriarum*, praecipuas religiosae vitae actiones perfecte obeundi complexo diario meditationum anniversariarum, praeclaram morum suorum imaginem expresserit, cum ex usu haec ipse suo deprompsisse existimatus sit, et hanc illi qua scribendi quae ageret, qua agendi quae scriberet, opportunitatem Deus obtulit, cum repente a schola iis sacerdotibus, qui in tertio probationis anno ad omnem perfectionem informantur, instructor datus sit, ac subinde adolescentibus primam probationem ingressis toto reliquae vitae decursu praefectus; ut exemplo atque institutione ad virtutem omnem sanctimoniamque praeesset caeteris, et certi ipsa oris corporisque ad religiosam modestiam composita specie non minus quam oratione ad Dei amorem inflammata, novitiorum affectum rapiebat, ut tacens juxta loquensque sanctitatem suaderet. Pauperum vere pater, quandoque in rebus domi

Digitized by Google

angustis, ceu propriae oblitus indigentiae, levabat alienam, querentique nonnunquam de inopia oeconomo, »Benignus, inquit, Deus est, largiamur e bonis nostris ut tribuat nobis de suis,« quod eo praecipue expertus est, quando in magna novitiorum multitudine res domi angustas descripto alibi nobis thesauro Deus sublevavit. Tot ergo virtutum argumentis, quidam e Gallica militia provocatus signifer, cum in gravibus colicae doloribus ad vitae desperationem adduceretur, P. Christiani (non ita pridem anno 1634 ad 28. augusti diem vita functi) patrocinio implorato adhibitoque ad partes male affectas chirographo praeter spem medicorum convaluit: alterque e domesticis biennali dejectione stomachi remediorum incapax ad ejusdem patris invocationem pristinae integritati est redditus.

Subiit in defuncti locum eadem propemodum vitae sanctioris vestigia P. Joannes Panhaus, qui Sittardiae in oppido Juliae consulari ex familia anno 1605 natus, a teneris quoque unguiculis per D. Franciscum Agricolam virtutis atque eruditionis eximiae, et libris quoque editis testatae, virum ad omnem pietatem formatus est, ex cujus oculis curaque ad Trajectenses illa aetate florentes humaniorum artium scholas, atque hinc ad philosophiam Duacum translatus, inter harum disciplinarum antesignanos stetit, cum vero deinde Agrippinam Ubiorum divertens, theologica animum scientia excoleret, sodalitio Mariano pro suo erga Deiparam affectu inscriptus, ad sacras D. Ignatii exercitationes divinae vocationis explorandae gratia adhibitus est, stimulosque adeundae societatis Jesu expertus est, ab Henrico Schereno provinciali admissus, neque segnis religiosae vitae observator inter societatis Jesu gregarios substit, sed ad absolutioris perfectionis metam contendit, adeo subactis ad rationis imperium affectibus, ut hos a mundana omni cupiditate abstractos, ad unius Dei divinarumque rerum sensum collegisse putares. Huc quidquid sive adversum, sive prosperum sive insolens atque inexspectatum eveniret, referre solitus, huc in omni eventu recurrere, atque in Dei unius requiescere beneplacito. Singularis modestiae verecundiaeque vir, neque gestum, neque vocem nisi ex harum praescripto

Digitized by Google

formare solitus, ut qui solum intueretur, religiosi sanctique viri imaginem agnosceret. Fugiens omnis popularis strepitus mundanaeque conversationis, quam praeter jacturam pretiosi in vita temporis nihil plerumque emolumenti adferre didicerat, ubi tamen eorum congressum devitare secularium non poterat, demissione juxta facundiaque disserendi gratiam non vulgarem merebatur, ut ambire credi posset, quod defugiebat, quodsi vero sacrarum commentationum capacem esset animum nactus, tum illi neque difficile alloquium, neque sine fructu decurrere solitum, adeo opportuna animos persuasione occupabat. Bis a theologia audita in societate, philosophicas Coloniae disciplinas tradidit: quando et ego illum praeceptorem nactus, ipsius non minus virtutem, quam eruditionem suspexi, subinde rectoris Siegenae inter plerosque id temporis haereticos admotus, qui quos detestabantur sola auditione cognitos Jesuitas, hos in tam religioso modestoque viro admirari venerarique coeperunt. Tantum vitae exemplo suadere visus est, ex hoc tempore summis quibusque per provinciam functus muneribus, bis eidem universae praepositus, bis ad comitia generalia Romam profectus, Coloniae demum etiam collegii ac Treviris novitiorum rector, oeconomiae (quod vix in illa religionis cura existimes) prudentiae solertiaeque insigne specimen reliquit. Dum senio domum praegravante curarum vacuus magis Deo ultima vitae declivis spatia impendere gestiens, auditus est, sed liberatus onere, postquam sacris sese D. Ignatii commentationibus excoluisset, velut postremo functus sanctitatis munere, apoplexia tactus extremisque ecclesiae sacramentis rite munitus, in lethargicum reclinis somnum anno salutis 1666 aetatis 72 morte pia obdormivit.

Sub horum moderatione multis annis novitiorum domui procurator longe optatissimus praefuit P. Gerardus Tens, Ambstelodami in Hollandia parentibus consularibus anno 1569 natus. Quibus mature sublatis, a patruo catholico ad virtutem eruditionemque pie educatus, post Italiam Galliamque obitam, doctorali utriusque juris pileo sacerdotique dignitate inauguratus, demum anno 1606 humilis societatis tiro effectus est,

Digitized by Google

Trevericaeque biennio post domus inter novitios procurationem admisit, quam per annos facile quadraginta, velut e coelo missus opitulator indefesso labore et frequenti a Batavis tum propria tum amicorum supeditata pecunia levavit, ut supra viginti censeri queant aureorum millia, quae ab ipso in familiae hujus usum sub diversorum moderatorum regimine derivata sunt, adeoque citra haec subsidia difficillimo bellorum incumbentium tempore domus illa probationis stare tanta imprimis frequentia non potuerit. Caeterum in tam liberali rerum procuratione tanquam servus omnium irremissa cura diligentiaque satagebat, ne quid deesset receptis in Christi disciplinam tironibus, eorumque bonum commodumque interpretatus, ut suum accipere beneficium videbatur, cum his impenderet. Vir integerrimus, quique simplici candore animi, humili demissione, fide dictorum et constanti patientia, omnium quibus notus erat amorem gratiamque occuparat, illibatae per vitam continentiae fuit, quam jam olim adolescens Lovanii in studiis Deiparae Virginis exemplo provocatus per illius manus votivam Deo consecraverat, illam, quod admireris, gratiam consecutus a Deo, ut, quod rectori suo sub vitae finem aperuit, nec indecentem carnis motum quidem aliquando perpessus sit, quod immaculatae matris patrocinio tribuebat, cujus etiam Conceptionis festivitatem paucis diebus 19. decembris anno 1651 moriendo est consecutus.

Reliquorum, qui adhuc supersunt moderatorum facta non expendo, cum sola haec morte coronentur, paucis solum adjiciam, quae de P. Gregorio Weilhammer in annalibus novitiatus memoratu digna suppeditantur. Hic Monachio Bavarorum ex nobili oriundus prosapia, aulam Osnabrugici principis et spem familiae in se nixae reliquit, fratresque quos in societate habebat geminos, ac Christum secutus est, atque in novitiatu Treverico mecum probatus, quindecim postea ibidem annis minister confessariusque substitit, tanta modestia ac dimissione, tantaque erga domesticos externosque charitate, morumque ac vultus gratia, ut velut angelus de coelo missus ab omnibus observaretur. Ejus tempore domus novitiorum pauperibus,

Digitized by Google

afflictis, desolatisque circum affluebat, eo numero, ut cum pares his levandis non essent domestici, ad externos se pater effunderet, emendicatisque aliunde subsidiis foveret. Ab anno vero hujus saeculi 36 usque ad 39, quibus plurimi ad urbem exules tum bellorum injuria, tum rerum penuria mixtique orthodoxis heterodoxi confluxerant: horum quingentos facile ad catholicam fidem traduxisse compertus est, cumque trecenti pene illorum fame ac lue demum consumpti sint, in extrema calamitate salutem ac felicitatem repererunt. Multorum tamen ille per spiritualia remedia morborum curator extitit, sed, qui ab aliis mortem arcebat, ab eadem ipse anno 1650 occupatus, spei ac meritorum plenus Treviros deseruit.

Illorum, qui e novitiorum sunt numero usitatos ad proximi salutem labores expendere fusius, ut longum, ita supervacaneum in re nota futurum est. Nautica illos ad Mosellam juventus olim in S. Joannis, nunc in basilica D. Pauli collecta experitur. Pauperes ad carthusiam quot hebdomadis pro eleemosyna insigni frequentia coeuntes norunt, pagi et vicina circum oppida, per cathechesin disciplinamque christianam quot dominicis per vernos aestivosque dies, naviter instructa sentiunt. Unde singularis ad urbem Trevirorum pro sacramentorum divinorum usu multitudo affluit, quae sacra tribunalia et mensam eucharisticam, non sine admiratione fervoris et sanctae simplicitatis, usque ad defatigationem sacerdotum, implet, ut taceam pietatis exercitia propriis in ecclesiis foris usurpata. Tantum est a teneris ad virtutem adsuescere, opportunisque ad illam cohortationibus subinde dormitantes excitari.

CAPUT X.

Collegium Confluentinum societatis Jesu.

Sollicitus illa rerum temporumque ab haeresi anno salutis 1580 nata perturbatione de opportunis praesidiis Jacobus archi-

Digitized by Google

episcopus, ut invalescenti cum erroribus malitiae corruptionique mortalium se opponeret, illud quod a patribus societatis Treverim introductis emolumentum, tam in bonis artibus quam moribus subditorum formandis experiebatur, ad inferioris quoque archidioecesis suae limites tuendos, ubi quaquaversum irrumpebat pestilens error, propagandum sensit, satis tamen visum est, studiorum universitate jam in Trevirorum metropoli instituta, si Confluentiae humaniorum tantum artium gymnasium erudiendae juventuti patribus committeretur, quod ab his rectae institutionis initiis magnum pendeat reipublicae in orthodoxa veritate firmandae momentum. Impellebat ad hoc consilium principem vir spectatae inter suos virtutis sapientiaeque D. Joannes Wimphlingus, cancellarii munere jam diu egregia laude perfunctus, igitur ut per apostolicum hujus loci nuntium archiepiscopum Rossanensem Romanus pontifex Gregorius XIII. supplicibus instructus literis, monialium pro collegio patribus coenobium, opportuno urbis loco situm, illis ad commodiorem in Rheni insula translatis, testate facta concederet, nec abs re erit pontificium diploma, cum et causas, et modum translationis complectatur, hoc loco audire. Sic habet.

»Gregorius papa XIII. Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem. Intelleximus fraternitatem tuam, non sine gravibus difficultatibus et expensis unum collegium patrum Jesuitarum in civitate Trevirensi fundasse, atque competenter dotasse, hacque ratione superiori parti tuae dioecesis probe consuluisse, nihilominus quia tua oppida primaria, veluti Confluentia, Boppardia, Wesalia, Monsthabor et Lymburgum, quae ab haereticis sunt circumdata, ob magnam earum ab ipsa civitate Trevirensi longinquitatem, quippe quod dioecesis Trevirensis valde ampla et in longitudinem multum protendatur, commoditate et beneficio ejusdem collegii gaudere nequeunt, cupis, tanquam catholicae religionis vigilans zelator partes quoque inferiores ejusdem tuae dioecesis contra rabiem et furorem impiorum haereticorum communire ac corroborare, erigendo scilicet, ac fundando Confluentiae alterum ipsius societatis Jesu collegium. Verum cum id alia ratione facere

Digitized by Google

»non possis, cogitasti huic laudabili operi admodum fore com-
»modum quoddam monasterium monialium ruinosum, ordinis
»cisterciensis, intus et in medio fere dicti oppidi Confluentiae
»positum, modici redditus, in quo solum octo aut novem
»moniales sunt, quae ad aliud monasterium monachorum, extra
»Confluentiam, in una insula Rheni situm, ordinis canonicorum
»regularium S. Augustini, majoribus et ditioribus proventibus
»dotatum, sed temporis injuria et ob malam canonicorum ad-
»ministrationem fere desolatum, transferri poterunt. Ubi duo
»tantum fratres professi resident, unus vitae dissolutissimae,
»alter vero ob magnam ejus simplicitatem eidem monasterio
»parum utilis, qui ad aliud monasterium ejusdem ordinis tuae
»dioecesis Trev. transmitti, eisque pro congrua sustentatione
»certi redditus perpetui assignari poterunt, quae quidem, si
»ut praefertur facta fuerint, et dictis monialibus major inde
»vivendi commoditas redundabit, simulque ubi collegium ipsum
»Confluentiae fundatum fabricatum fuerit, necessitati tuae
»dioecesis absque ipsorum canonicorum dispendio optime con-
»suletur.

»Nos igitur hoc salutare consilium ad fidei catholicae
»contra haereticos defensionem per te susceptum plurimum
»in Domino commendantes, tibi si ita expedire cognoveris,
»dictum monasterium monialium Confluentiae pro erigendo
»ibi collegio patrum jesuitarum accipi mandare, et in eo
»statum et essentiam ordinis cisterciensis supprimere et ex-
»tinguere, monialesque illic degentes ad supra memoratum
»monasterium canonicorum regularium, ut ibi perpetuo Do-
»mino famulentur, transferre, pariterque ibi statum et essen-
»tiam ordinis S. Augustini supprimere et ordinem cisterciensem
»introducere; duos vero monachos ibi existentes ad aliud
»monasterium monachorum seu canonicorum regularium S.
»Augustini tibi bene visum traducere, certosque redditus ad
»eorum congruam sustentationem perpetuo assignare, contra-
»dictores quoslibet, et tibi in praemissis parere recusantes
»per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris
»et facti remedia compescere, caeteraque in praemissis, et

Digitized by Google

»circa ea necessariis seu quomodolibet opportuna gerere, »facere, mandare et exequi libere et licite valeas, authori- »tate apostolica, tenore praesentium, plenam et amplam con- »cedimus facultatem et potestatem, non obstantibus conditioni- »bus et ordinationibus apostolicis, ac dictorum monasteriorum »et illorum ordinum, etiam juramenti confirmatione apostolica »vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, »privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis eisdem mo- »nachis et monialibus et eorum superioribus quomodolibet »concessis, approbatis et innovatis, quibus omnibus illorum »tenores ac si de verbo ad verbum inserentur praesentibus »pro sufficienter expressis et insertis habentes illis alias in »suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter et »expresse abrogamus: contrariis quibuscunque aut si aliqui- »bus communiter, et divisim ab apostolica sede sit indultum, »quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per »literas apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de »verbo ad verbum de indultu hominum mentionem. Datum »Romae ad S. Petrum sub annulo piscatoris die 4to maji aõ »1580, pontificatus nostri octavo.«

Archiepiscopus impetrato pontificis consensu utrique religiosorum tam providit liberaliter, ut hi facile loco et conditione cesserint, ejusque rei testes locupletissimas reliquerint literas; cum monialibus lentius quidem, ut consiliorum minus capaces foeminae sunt, transactum, et plena demum voluntate ad locum amoeniorem, lautioremque, ac solitudini illarum magis opportunum permutatione bonorum facta concessere, subscribentibus factumque approbantibus tam abbatissa, quam Himmerodensi abbate Georgio, earum directore, ac spirituali patre Ambrosio Schneidt. Quibus confectis has dedit archiepiscopus ad P. Franciscum Costerum id temporis societ. Jesu provincialem in Rhenanis finibus.

»Jacobus Dei gratia archiepiscopus Trev. et princeps »elector P. Francisco Costero. Venerabilis ac religiose, sincere »nobis dilecte. Quemadmodum S. D. N. nobis non modo gra- »tiose indulserit, verum etiam mandarit, in usum erigendi

Digitized by Google

»collegium jesuitarum in oppido nostro Confluentinensi, ut »moniales monasterii ejusdem oppidi cisterciensis ordinis in »monasterium inferioris Insulae transferremus, tibi ante hac »innotuisse non dubitamus, cum itaque religiosi jam dicti »monasterii in inferiori Insula (qui pauci admodum numero »fuere) singuli in loca ipsis deputata concesserint, atque mo»niales in illud deductae sint, ita ut illorum monasterium nunc »omnino evacuatum sit, nec amplius aliquid restet, quam ut »in reliquo summi pontificis voluntati, et nostro instituto »satisfiat, a te gratiose petimus, ut de personis aliquot ex »societate mature cogitare, eosque quamprimum id fieri possit, »huc mittere velis, qui omnia necessaria in monasterio, ipsi »collegio deputato, et ad hoc evacuato disponant, et initium »ei rei faciant. In hoc feceris nobis rem gratam, nosque tibi »ad gratiam propensi semper manemus. Datae Confluentiae »28. septembris an. 1580.«

Octobri igitur mense provincialis Confluentiam veniens, istic P. Wilhelmum Limburgum, cum socio adjutore, velut in pignus admissi beneficii reliquit, quorum alter rerum illic sacrarum, alter domesticarum primas curas auspicatus est, actumque ab electore civibusque fuit, ut patres ecclesiastae istic munere in aede parochiali Deiparae Virgini sacra fungerentur. In quam rem P. Joannes Brennerus Moguntia missus adfuit. Verum liberum hoc sibi munus patres et pro arbitratu deponendum, nec nisi dominicis praestandum diebus, sumpsere, cujus rei gratia parochiali etiam domo suscepti tantisper fuere, dum collegium usibus magis ipsorum aptaretur. At cum et redditus tenues, et pars eorum quoque a monialibus abstracta, nec par facultas archiepiscopo voluntati ad subveniendum inclinatae suppeteret, in scholarum onere admittendo quod sustineri sine auctiori, ut personarum ita et proventuum numero vix poterat, anxii satis principio haesere patres, ut manendum an rursus migrandum statuere vix possent, accessit insperata mors Jacobi principis, anni sequentis mense julio defuncti, quem inter primos hujus collegii dotandi conatus Deus sustulit, ut incohatae beneficentiae coronidem, absolutionemque

Digitized by Google

Schoenenbergio haud illiberali erga societatem successori relinqueret. Hic enim velut parens optimus societatem Confluentiae amplexus, tenuem annuorum proventuum censum decimis Niderbrechianis jure optimo ad se devolutis, auxit, adjecitque anno 1588 ex Trident. concilii facultate, proventus non contemnendos altaris S. Joannis Baptistae collegiatae Monasterii Meinfeldensis ecclesiae; qui totius capituli, et summi pontificis Sixti consensu atque authoritate confirmati, jus in eadem ecclesia residendi societatis Jesu rectori annexum retinent, ut ex bulla pontificia docetur. Porro gymnasio jam ad usum quinque scholarum humanioris literaturae erecto, cum adolescentes numero indies accrescente augerentur; elector illos suprema authoritate, a civium senatusque Confluentini jurisdictione poenisque exemptos, rectoris collegii arbitrio subjecit, ita quidem, ut in publicis, gravioribusque delictis jus magistratui capiendi esset, verum mox captos collegio sistere, arbitrariisque poenis subjicere tenerentur, quam societatis et studiosorum praerogativam literis sancitam publicis voluit esse apud posteros perennem, iis tamen solum concessam, quorum nomina in album gymnastarum relata fuissent, ita sensim ad eum, quo nunc floret, studiorum cultum, gymnasium erectum est: non exiguo urbis patriaeque emolumento, cui ex hoc veluti seminario jam plantas ad quemvis sive religiosum sive ecclesiasticum, sive etiam saecularem statum non sine uberi religionis conservandae fructu, transferre promptum est, atque hanc instituendae juventutis curam idcirco a societate potissimum susceptum esse, ut adversus ingruentes haereseon impetus, hic praecipuus esset ecclesiae orthodoxae clypeus, nemo sapiens rerum aestimator poterit ignorare.

Extremum anni 1587 mense julio exeunte diem inter mortales confecit D. Joannes Wimphling, rarae eruditionis virtutisque existimatione archiepiscopali cancellariae praefectus, cujus potissimum consilio impulsus, elector Jacobus societatem Confluentiam receperat, Joannes vero Schoenenbergius copiosius etiam ad gymnasii labores, decusque sustinendum dotarat. Quocirca et in templo nostro post fata receptus et meritus

Digitized by Google

viro honor exequiarum praestitus est, basilica universa funebrem in atro habitu luctum testante, sacrisque solennibus a duobus abbatibus pontificali apparatu celebratis. Funus juxta arae summae latus depositum, hoc epitaphio rei gestae memoriam comprehendit.

Magnifico domino Joanni Wimphelingio de Greninga jurisconsulto, trium archiepiscoporum Trevirensium principum electorum consiliario, et duorum eorundem cancellario, apud omnes imperii ordines spectata prudentia, viro erga religionem catholicam indefesso studio et labore paratissimo, bene merito. Nec non Appoloniae Barbarae Kautin ab Ulma, lectissimae feminae conjugi ejus, parentibus optimis, liberi haeredesque, pietatis officii et memoriae ergo posuerunt cum lacrymis. Obiit ille anno 1587 die 28. julii aetatis 54, illa vero 1588 octobris mensis die 31. aetatis 55.

Religionis in viro praeclarissimo defendendae zelum, eruditionis ad posteros propagandae studium, reipub. Trevericae egregia viri prudentia et laude aequitatis administratae curam, quanquam Treviri et Confluentes, clarissimis factorum testimoniis freti non ignorant, felicius tamen copiosiusque meminisse et remuneratos esse coelites in aeternitate confidimus, cum ut mortalium fluxa memoria, et gratitudo brevis est, ita immortalium finem nullum, inconstantiamque habere sentiamus.

Felicibus hoc eodem tempore auspiciis octavo septembris die statua Deiparae Virginis, factis supra naturam admirandis celebrata, templo societatis Jesu Confluentino illata est, ubi hodiedum cum summa observatione non paucis in Deiparae clientes beneficiis inclarescit. Hanc venerandam olim in aede campestri prope Wezflariam iconomachi hujus temporis calvinistae tanquam idololatriae, ut vane fugiunt, alimentum sustulerunt, in aqua praeterfluente mersam, verum ab honesta femina Gertrude Gerhardi, quae ante hanc quondam supplex Deiparae sanitatis ex claudicatione gravi opem senserat, ab interitu domesticos intra parietes vindicata, ac post hujus mortem Nicolaum Kramer, senatorii ordinis apud Wezflarienses virum, pari religione per annos facile viginti custodita, denique

Digitized by Google

a domino Matthia Kellero archiepiscopi in curia ecclesiastica judice ut vocant officiali impetrata, devotioni catholicorum pristinae in templo nostro, inter plaudentium musicorum choros pomeridiana vesperarum est restituta. Et licet statuae ex vetustate squallentis, parva sit gratia, singulari tamen circum affluentium mortalium animos pietatis sensu, amorisque in Deum Deique matrem igniculis succendere comperta est, non sine praesentis faventisque istic precantibus numinis indicio, unde frequentibus ejus ara luminibus pietatis studio a supplicantibus iconi appositis plerumque corruscat.

Mensi septembri denique anni 1588 Augustino Glesch Inferioris Rheni Insulae religioso extincto, redditus illi pro alimento assignati collegio cessere. Nata subinde lis est de tributo inter provinciales conscriptos anno salutis 1590, cum societatem hactenus immunem ad paria secum contributorum onera, clerus religiosique suam quoque antiquitus immunitatem obtendentes, pertrahere conarentur, cui ita intercessit fundator archiepiscopus, ut non solum immunia ad societatem translata per se bona esse diceret, verum longe eam dispari ex juventutis institutione pro totius patriae emolumento suscepta frui privilegio testaretur, quod nec caesarea, nec gentium unquam jura ademptum disciplinarum talium magistris voluerunt. Nefas enim tributa ab iis exigere, quod hac in re publico bono deserviunt, ad quorum alimentum tributa cogi consueverunt, non unius hic societatis, sed omnium academiarum privilegia oppugnari, quibus rationibus pervicit, ut quamvis inviti cederent, literas deinde pro collegio immunitatis perpetuae anno eodem Trevirensi stylo 8. februarii Witlichii datas provincialibus transmisit, quibus acquievere. His tamen freti patres ab oneribus acquisitorum deinde bonorum eximii non fuere.

Anno sub haec 1591 sexta maji die archiepiscopus Schoenenbergius primum in ala collegii, quae gymnasio objecta est, lapidem solenni ritu collocavit, ac post octennium, valetudine jam inclinata mortem praesentiens, riteque a collegii rectore divinis ad extremum hunc agonem sacramentis munitus, magno pietatis sensu ex hac vita decessit, corde et visceribus

Digitized by Google

in templo societatis depositis, ut quibus istam jam vivens complexus fuisset.

Angustioribus hactenus templi monialium spatiis quam pro usu societatis et divorum honore esset, patres stringebantur, unde tam Lotharii electoris quam aliorum beneficentia adjuti novum a fundamentis moliri ceperunt, lapidi primo collocando, cui nomen Jesu inscriptum, Lotharius absens suas rectorem vices implere voluit, decem subinde alii, primorum totidem patrum societatis nominibus signati a patriae proceribus locati, fabricae surgenti dedere initium anno salutis 1613, quae quadriennio post absoluta, ab Ottone Cyrinensi episcopo et suffraganeo Agrippinatum sub D. Joannis Baptistae patrocinio, cujus non ignobiles reliquias maxillae digitique possidebat, est consecrata. Domus collegii ala dextra versus orientem in ruinam inclinata, favore et impensis moderni archiepiscopi Caroli Caspari de Petra surgere, dum haec scribo anno 1669 coepit.

Variorum hoc loco sociorum Jesu gloriosam cum vita mortem, tum quorundam etiam in amentiam lapsorum calamitatem praetereo, quod iis gratulari, his nobis condolere sufficiat.

Illud non omittendum, quod variae ex hoc loco per patriam Trevericam missiones ad propagandam tuendamque orthodoxam fidem tanquam ex munito quodam religionis praesidio, sint institutae, quas cum fere in decursu annalium attigerimus, quaedam etiam, sub primis Philippi Christophori auspiciis coeptae feliciter, bellorum denique subnatorum injuria et pacis Monasteriensis legibus interciderint. Supervacaneum duximus hoc loco in memoriam revocare, laboris incassum sumpti, molesta magis quam utilis recordatio. De illa quae ad Hadamarienses suscepta missio sigillatim juverit meminisse.

Syllabus rectorum collegii S. J. Confluentini.

1. Joannes Brenner, primus rector, 1581—1595.
2. Gisbertus Schevichavius, 1595—1601.

Digitized by Google

3. Petrus Muser, 1601—1603.
4. Gregorius Berchheber, 1603—1611.
5. Joannes Mestorfius, 1611—1627.
6. Gerhardus Crapolius, 1627—1631.
7. Nicolaus Lehm, 1631—1638.
8. Joannes Henricus Prack, 1638—1643.
9. Albertus Spich, 1643—1652.
10. Henricus Codonaeus, 1652—1654.
11. Andreas Cronenburg, 1654—1659.
12. Matthias Merrhem, 1659—1663.
13. Winandus Weidenfeldt, 1663—1666.
14. Joannes Wildenrath, 1666—1669.
15. Fridericus Jungblut, 1669—1672.
16. Paulus Mylius, 1672—1677.
17. N. Lennep, 1677—1679.
18. Simon Derckum, 1679—1682.
19. Henricus Nolden, 1682—1686.
20. Matthias Loosen, 1686—1692.
21. N. Mylius, 1692—1699.
22. Hermannus Nolden, 1699—1706.
23. Petrus Leurenius, 1706—1709.
24. Wilhelmus Monen, 1709—1714.
25. Engelbertus Beyweg, 1714—1718.
26. Eremundus Birken, 1718—1720.
27. Joannes Hannotte, 1720—1724.
28. Petrus Schmidtmann, 1724—1726.
29. Henricus Hamblock, 1726—1731.
30. Adolphus Nirtz, 1731—1734.
31. Ferdinandus Limpens, 1734—1739.
32. Hubertus Weymar, 1739—1743.
33. Ludovicus Doetsch, 1743—1750.
34. Engelbertus Hitzler, 1750—1759.
35. Philippus Elz, 1759—1762.
36. Petrus Friedrichs, 1763—1765.
37. Jacobus Goergen, 1767—1769.
38. Petrus Friederichs, 1770—1772.

39. Joannes Nepomucenus Weidenkranz, „des Collegiums in Coblenz letzter Rector, starb zu Trier 178*," heißt es in einer alten Anzeichnung, wiewohl in dem Staatskalender von 1772 zum letztenmal ein Rector, Peter Friedrichs, aufgeführt wird.

CAPUT XI.

Residentia societatis Jesu Hadamariensis.

Hadamaria in Westerwaldicis ad Albulam amnem trans Rhenum Loganamque haud procul Lymburgo septentrionem versus sita, nobilissima principum Nassovicorum arce potius, quam urbe spectabilis, circa annum hujus saeculi 30 societati locum fecit, non tam scholis principio, quam missionibus patrum ad abolendos heterodoxorum errores patefacta. Occasionem dedit Hadamariensis princeps hoc titulo primus Joannes Ludovicus Nassovius, ab heterodoxia calvinianorum ad orthodoxam religionem, opera jesuitarum conversus, unde quos agnitae veritatis authores ipse habuit, suis idem subditis ad saniora fidei documenta revocandis studium impendere desiderabat.

Si ad priscam ejus regionis fidem vertamus mentem, eam a S. Lubentio Nassovicae olim ditionis apostolo, cujus etiamnum apud Dietkirchianos quiescunt cineres, sub tempora Constantini Magni hausisse eandem, cum hodierna nostra compertum ex vetustis annalibus tenemus, quam deinde Willibrordus ac Bonifacius vigili cura aut promoverunt aut stabilierunt. Haec a quarto post Christum saeculo per mille et centum annos usque ad XV. saeculum inviolata stetit, ex quo trans-Rhenicolae hi susque deque ad Loganam perpetua S. Lubentium memoria venerati sunt, donec vertiginoso illo superioris aevi tempore, ad lutheram primo credendi licentiam, ac subinde ad majorem etiam calvinisticam licentiam inflecti coepit: ac postquam hanc turbulentam perpessa vertiginem esset, denique velut receptis ex morbo sensibus, ad pristinam fidei integritatem respirare.

Digitized by Google

Primus pastorum loci, qui ex lutheranorum loto gustaverat circa annum 1556 haustamque inde luem sparserat in ceteros, Gerardus Lorich Hadamariensis fuit, secutus hunc alter Joannes Stein, pari suos doctrinae lixivio perfudit, cui anno salutis 1575 die 23. defuncto, successit in parochia Conradus Wenckenbachius Marpurgensis, calvinisticae sectae assecla, qui explosa augustanae confessionis doctrina, catholicorum etiam repudiata longius, primum se hoc loci orthodoxam veritatem inferre professus est. Patrem secutus filius Godefridus anno 1613 paria non erubuit profiteri, donec nostra e societate patres ad apostolicam majorum viam, unius pene seculi periodo oberrantes revocavere.

Primus horum Theodorus Lennep Moguntiae anno 1629 evocatus, cum socio istic usque ad annum insequentem substitit, quasi ad velitationem quandam antegressi, donec una cum principe Joanne Ludovico duo Confluentia patres, Ringelius et Prackius, stationem hoc loco fixere, qui quam egregio istic profectu versati sint, quos adjutores successoresque nacti fuerint, in annalibus latius exposui.

Hi principio anni 1630 exorsi conciones, manumisso ex superioris Hadamariae parochia Godefrido Wenckenbach, ex inferioris ecclesia Joanni Piscatori calvineanae sectae praedicantibus successere, primamque 3. februarii die orationem ad populum ex cathedra et sede prisca catholicorum habuere, quando pridie, inauditum jam pene a seculo, vesperi salutationis angelicae signum campano aere insonuerat, ad quod nonnemo senum istic adhuc catholicorum a puero rituum memor, exultasse fertur, atque illud priscum Simeonis repetiisse canticum: »nunc dimitte servum tuum Domine. Nunc laetus moriar, quando ex confusione babylonica recens introducta ad majorum nostrorum fidem pietatemque respirare patriam video.« Quia vero latior hic campus pateret, quam cui duo operarii sufficerent, bini alii patrum Thorhoven et Sanderus evocati, ac subinde in primi ex valetudine deficientis, P. Holthausen est substitutus, qui partitis laboribus, ac postremo aliis etiam ecclesiasticis aucti rem aggressi ex voto denique brevi tem-

Digitized by Google

porum intervallo perfecere, vix paucis obstinata in haeresi resistentibus.

Ringebantur inter haec dolore, cum vicini tum remoti etiam sectariorum, qui has a calvinismi tenebris ad lucem veritatis emergere regiones aequo sustinere animo non poterant. Quare praedones e Batavorum cohortibus ad insidias adhibiti, cum vias itinerantium obsiderent et D. Joannem Vineae canonicum Bonnensem in hanc messem accersitum et P. Holthausen in captivitatem abductos indignis ad saevitiam enormem modis tractavere. Ipsi denique non inulti omnes, ut in annalibus docuimus.

Sed hic calamitatum finis non fuit, nam postquam alter a primo conversionis anno 1631 fluxisset, et jam alibi patres societatis, alibi P. franciscani et parochi divina in paroeciis diversis administrarent, Suecici belli tempestas his regionibus turbine quodam violento incumbere coepit, et Romanae ubique religionis surgentia late tecta evertere, inter hanc tamen per biennium eluctati catholici, nunc hos nunc illos pastores clam palamve allapsos habuere, cumque jesuitis hujus reformationis ductoribus praecipuae minae insidiaeque tenderentur, hos aliquamdiu subducendos procellae tam princeps, quam societatis praepositi censuere, unde ab his deserta per quadriennium missio repetita domum anno salutis 1637 per veteranum stationis hujus possessorem P. Prackium fuit, recepta etiam in montem Hadamariensium S. Egidii patrum franciscanorum de observantia a principe colonia fuit, ut exemplo et labore suo hanc juxta vineam excolerent. Parochialis tamen ecclesiae curam princeps penes societatem esse, frustra aliis prensantibus, voluit; quam ab anno 1639 constanter administravit.

Denique residentiam ejusdem societatis perpetuam ibidem literis fundationis in hanc sententiam scriptis fixam cupiebat. Nonnulla ex multis prolixe statutis quae anno salutis 1652 die 3. octobris chartis commissa sunt, excerpam.

»Nos Dei gratia Joannes Ludovicus princeps de Nassau &c.

»Postquam divinae bonitati placuit nos ab ineunte aetate »in calvinianis erroribus enutritos gratiae suae radiis illustrare,

Digitized by Google

»atque ab anno hujus seculi 29 in aula caesarea negotiorum »causa constitutos, ad avitam catholicam fidem, et sanctae »matris ecclesiae gremium opera societatis Jesu reducere, mox »subditorum nostrorum, tum ad hoc ab annis 80 in iisdem »erroribus haerentium, salus unice cordi esse coepit, et quia »nobis non tantum publico aliorum principum testimonio, sed »etiam experientia propria constabat, quantum laudatissimae »societatis doctrina, virtus et ardens propagandae fidei catho»licae zelus in instituendis et ad verae fidei lumen reducendis »animis valeret, continuo domum reversi aliquot societatis »operarios expetivimus, et impetravimus. Quorum indefesso »labore effectum est, ut infra breve tempus subditos nostros »prope omnes, qua concionando, qua cathechizando fidei ortho»doxae rudimentis imbuerint et sectas contrarias e ditione »nostra universa eliminaverint.

»Qua de causa ut pro tanto in nos et subditos nostros »beneficio a societate impenso, grati animi monumentum ali»quod statueremus, et porro fidem orthodoxam in animis sub»ditorum recenter plantatam per institutionem continuam »fovere, et contra praedictas sectas adhuc circumquaque in »vicinis comitatibus grassantes, praemunire, nec non agnatis »nostris aliisque propinquis comitibus occasionem intelligendae »veritatis praestare possemus, ad collegii societatis Jesu fun»dationem animum serio adjecimus, ut quos fidei primos in»structores Dei beneficio nacti eramus, eosdem conservatores »propagatores perpetuos habere liceret, et ut collegii fructus »copiosior in universam provinciam nostram redundaret, semi»narium addendum putavimus, ex quo opportuno tempore »pastores idonei dominici gregis educerentur.

»Quem in finem suppeditabuntur bona quaedam eccle»siastica a laudatissimis majoribus nostris pie olim fundata, »partim in nostro, partim in agnatorum nostrum adhuc acatho»licorum territorio sita, quae post praevium consensum in»victissimi caesaris Ferdinandi II. anno 1630, 26. augusti »diplomate caesareo sancitum, S. D. N. Urbanus papa VIII. »dimisissimae supplicationi nostrae annuens, collegio societatis

Digitized by Google

»Jesu et seminario in ditione nostra fundando incorporanda »et perpetuo unienda clementissime concessit, bulla desuper »data anno 1631, 12. aprilis; quae deinde anno 1641, 29. maji »contra aliorum religiosorum impugnationes in curia Romana »evicta et societati confirmata fuerunt. Bona vero haec sunt, »ecclesia collegiata in Diez, monasteria Besselich, Dierstein, »Gnadenthal, cum dimidio Throni Deiparae siti in dynastia »Werheim, archiepiscopo Trevirensi et Nassovicis communi. »Quae simul juncta ad amplam collegii et seminarii funda- »tionem sufficere poterant. Verum quia potissima eorum pars »in agnatorum acatholicorum territoriis sita erant, nunquam »illis frui licuit, nihilominus omnia sic unita societati in prae- »dictum finem anno 1637, 12. februarii obtulimus in futurum »possidenda, ac re ipsa quidem ea, quae in ditione ac pote- »state nostra eo tempore deprehendebantur etc. Quia ergo »media illa locupletiora pro collegio fundando per tractatus »pacis Germanicae nobis erepta ... conditione perpetuae resi- »dentiae freti offerimus, eum in finem denuo praedicta bona »nobis ab agnatis acatholicis integre legitimeque ad nostrum »arbitrium cessa, atque ante hac praevio consensu s. c. »majestatis et a sede apostolica una cum aliis bonis eccle- »siasticis (nunc per tractatus pacis ad agnatos acatholicos »revolutis) societati concessa et incorporata, ac contra impugna- »tores in curia Romana evicta (ut supra memoratum fuit) in »specie vero primo monasterium Besselich cum omnibus juri- »bus et pertinenciis, prout haec et alia in apposita designa- »tione, sub dato 3. octobris an. 1652 specificantur ... omnia vero »illorum bona temporalia mobilia et immobilia, libera et exempta »esse volumus et decernimus ab omnibus oneribus civilibus, »ab omnibus vectigalibus, exactionibus, servitiis et impostis, »similibusque gravaminibus, quibus praedicta bona, cum ab »aliis tenerentur subjecta, et obnoxia fuerunt etc., in quorum »fidem et confirmationem has donationis, cessionis, assecurationis »literas sigillo et manu propria communivimus anno incarnat. »D. N. J. C. 1652 die 3. octobris. Joannes Ludovicus prin- »ceps de Nassau.«

Digitized by Google

Liberiori igitur proposito optimi principis, quàm exequendi facultate, societas Hadamariae recepta est, quae tamen hac aetate consistit, et humaniora studia non in tribus solum grammatices classibus, sed cum poesi et rhetorica etiam, quamvis in parva ob viciniam heterodoxorum frequentia, ad absolutionem perducit, melioribus, ut speramus, temporibus aut locis reseryanda.

Residentia societatis Jesu Goarensis ad Rhenum.

S. Goaris ecclesia et canonicale collegium olim a Prumiensibus abbatibus excitari coepta sunt, postquam Carolus M. cellam S. Goaris a. 780 Assuero praesuli addixisset. Hanc cum urbe superiori seculo heterodoxorum libertas, catholicis abstractam sacris, novitiae lutheranorum aut calvinistarum disciplinae addixit, qui hodiedum divisis studiis in eadem ecclesia colliduntur, ut appareat, quo authore hoc certamen religionis ceptum sit, atque ad hanc aetatem continuetur. Advertit huc mentem serenissimus e domo Casellana princeps magnanimus perspicaxque Ernestus, cum Eleonora lectissima conjuge, orthodoxamque majorum suorum fidem anno 1652 Coloniae amplexus, ejuratis Calvini erroribus ad catholicorum rursus partes accessit. Vulgo hominum metu Casellanae domus, supremum ibidem religionis jus occupantis, etiamnum restitante.

Patres igitur societatis Colonia in spem futurae messis huc advocati, magnis hucdum frustratam successibus apud coactos operam locant, oppido etiam exclusi et excitata olim a Romanae fidei cultoribus ecclesia, sacellum foris S. Goaris ad paucorum ex arce et vicinia catholicorum solatium incolunt, meliora annuente coelo, tempora ad opportunam sementem operturi. Haec nimirum est libertas illa religionis et conscientiarum, a novis hisce evangelistis praedicata, quam omnibus fieri hominibus ambitiose postulant, praeterquam suis, quando ad catholicam apostolicamque majorum fidem reditus aperitur.

Digitized by

CAPUT XII.

MONASTERIA ORDINIS CARTHUSIANORUM.

Sacra hujus ordinis asceteria, quamvis magni nominis, in rara vitae austeritate ac sanctitate famam detrectantia, praeterire tamen nobis, in religione hujus metropolis exponenda, fas non est, praesertim, cum honor de republ. christiana merentibus tanto debeatur illustrior, quanto magis subterfugitur, et publico serviamus bono, in quo bonorum virtus ad exemplum proposita, malorum saepe corrigit aberrationem, et tepentium in via salutis ignaviam excitat. Nolo sancti hujus ordinis a S. Brunone, Germano, inter Agrippinates nato homine, originem ducente, exordia legesque expendere, aliis hoc labore historicis jam abunde perfunctis, illud jam dudum a Francisco Petrarcha exaratum testimonium recolo: »ordo carthusiensis est, quem nemo deceptus nemo invitus intrat, in quo nullus perseverare fictus potest,« et Cassanaei in *catalogo gloriae mundi:* »Ordo carthusiensium est venerabilis religio, quae ad praesentem usque diem servat vigorem suarum observantiarum per annos circiter 400; nomen traxit a montibus in Delphinatu Galliae hoc titulo S. Brunoni attributis, ubi solitariae hujus vitae exordia Hugone Grationopolitano archiepiscopo suffragante posuit, et hodiedum carthusia major primaevo in flore reperitur, ab anno, ut communius fertur 1084 incohata.«

Carthusia Treverica S. Albani martyris.

Nomen carthusiae huic a S. Albano martyre veteri nuncupatione loci adhaerescit, quod vetus in suburbano hoc agro post contractum urbis pomicerium S. illius martyris oratorium relictum sit. Matthiano jam olim abbati, una cum vicinia

Digitized by Google

camporum colliumque vitiferorum subjectum, siquidem cum Balduino laudatissimo Trev. archiepiscopo desiderium subiisset, celebratum a sanctitate per Galliam Germaniamque carthusiensium ordinem suae quoque dioecesi adscribere, possessionibus his aere vendicatis, religiosos hosce viros amplificato D. Albani oratorio domiciliisque juxta excitatis, immisit, coeptum opus anno salutis 1330, absolutumque anno 1338, quando ab ipso archiepiscopo solenni ritu basilica est dedicata. In qua familia frequenti ipse commemoratione consenescens, ut multa reliquit suae benevolentiae pignora, ita non pauca virtutis exercitatae argumenta. Non enim diurno precum penso cum iisdem in ecclesia exsolvendo contentus, nocturnas saepe etiam vigilias praeclara religiosorum hominum aemulatione, obibat, et cella juxta templum suis usibus aptata, nihil jucundius inter archiepiscopales curas habuit, quam cum Deo versari, quanquam ut hoc quietius, jam proprior metae, hoc ageret, graviores reipub. curas in praepositi Argentoratensis Liechtenbergii humeros amandarit: donec anno 1354 Moguntiae in comitiis XII. calendis februarii extremum diem clausit, sepeliendus ex voto suo carthusiana in aede, nisi metropolitani Treverici potiori eum jure sibi vendicatum, in choro S. Nicolai collocassent, ubi in edito situs monumento illustrem modo templi locum occupat, magnifico hisce annis opere a Carolo Casparo a Petra archiepiscopo exornatum. Nunc praecipua nobilium ascetarum censere capita operae pretium duxi, qui quidem non curuli sella, veterum more principum sublimes vecti spectentur, sed cellae angustiori reclusi secessibus, tanto superis intuentibus excelsiores videntur, quando mundi oculis sunt despicatiores. Nos paucos, quos deprehendimus, vel invitos suis e latebris in lucem extrahemus.

1. Joannes Epternaco oriundus, ex Moguntinensi carthusia a Balduino archiepiscopo evocatus, stabilem hoc loco sedem anno circiter Domini 1333 sub prioris titulo fixit, quem tamen alius ejusdem nominis per biennium ferè antecesserat, magis ut aedificiis habitationi suae opportune excitandis director adsisteret, quam praeesset, unde et rebus hic utcunque con-

Digitized by Google

stitutis, ad montem S. Beati Confluentiam transiit, carthusianis eodem quoque a Balduino traductis locum aptaturus, caeterum quo denique loco perstiterit, incertum mansit. Quare Epternacensi illi Joanni primus apud Treviros locus relinquitur, monumenta vero carthusiensium brevi hunc, sed illustri elogio exornant, fuisse scilicet hunc *praecipuae industriae et sanctitatis virum*, adlaboravit sedulo, ut sui ordinis privilegia immunitatesque hoc loco tam pontificiis Romae, quam archiepiscopalibus literis apud Treviros firmarentur, capitulari etiam summae aedis consensu approbata, ut ex diplomate anno salutis 1335 subscripto constat, denique laboriosa usque ad anno 1342 praefectura, simul cum vita 19. octobris defunctus est.

2. Rudolphus post hunc anno 1343 censetur, qui ex professo carthusiae Montis omnium angelorum (Mauerbach?) in Austria huic loco praefectus aliquamdiu fuit.

3. Gerardus de Noviomago paucis annis praefuisse creditur, quod in chartis capitularibus notatum sit, anno 1348 misericordiam illi, hoc est manumissionem ab officio prioratus factam esse, talem enim misericordiam in capitulari consessu petere apud illos solenne est, quam quo magis gravate postulare existimantur, tanto facilius impetrant, negari hoc petentibus beneficium in laudis parte ducitur et pro honoris delati beneficio aestimatur.

4. Henricus I. Gerardum in vestigio ejusdem anni est consecutus, obiit die 4. martii.

5. Henricus II. de Wetzlaria anno salutis 1355 die 8. octobris migrasse creditur.

6. Hermannus I. 1365 obiisse ex Joanne successore cognoscitur.

7. Joannes Ryle ex Confluentinae carthusiae professo huc anno 1356 ad clavum accersitus, eundem non sine integritatis laude tenuit, atque a summo pontifice Urbano V. pileo cum sui ordinis hominibus, quem capellum vocabant, donatus est; quo videlicet per itinera ad solem pluviamque arcendam liceret uti. Addit tamen »hujusmodi capellos volumus

Digitized by Google

»esse uniformes et ad illius capelli similitudinem et exemplar, »quem dilecto filio Joanni priori monasterii S. Albani prope »muros Trevirenses, tunc in curia Romana constituto, cum »gratia divinae benedictionis et nostrae (quam paterno desi»derio affectamus in totum ordinem redundare praedictum) »propriis manibus assignandum duximus, ejusque capiti primi»tialiter imponendum etc. Datum Romae apud S. Petrum »pontificatus anno VII. idibus novembris.« Mors illius ad 20. aprilis anni 1372 refertur, postquam annis tribus visitatoris generalis munere in provincia functus esset.

8. Joannes III. Meinardi, ex Geldriensi Monichhusana carthusia moderandae Trevericae domui praefectus, brevi periodo gubernationem conclusit, nam anno Christi 1374 privatas abiisse rursum ad sarcinas, capitulo mandante reperitur.

9. Winandus, Tremoniae in Westphalia natus, septendecim annorum adolescens, propter votum a se in maritimo periculo emissum, carthusianum apud Agrippinates institutum amplexus est, jamque duodecim annorum professus, Joanni apud Treviros decedenti in prioris officio est surrogatus, quod egregia sedulitate cum insigni coenobii emolumento prosecutus est. Vix illo alius in censibus, vineis, pratis, aliisque redditibus indagandis solertior extitit, quorum ex literis originalibus copiam libro complexus, hodiedum sui laboris usum suppeditat. Hac in cura postquam annis viginti et duobus suam omnibus industriam prudentiamque probasset, ad quietem anhelans in solitudine Coloniensis domus receptus est, sed triennio vix exacto, hinc ad publicas rursum Argentinensis carthusiae extractus curas, nec multo post ad novum Basiliensis urbis religiosorum plantarium anno 1407 rite formandum transmissus, ac plenus denique egregie factorum meritis anno Christi 1409 die 11. junii vitam in morte conclusit.

Sub hoc praedatorum variae militum factiones, Rheni Mosellaeque limitanea pervastarunt, Britonum vero incursu Trevirorum agri anno 1384 adeo praedis rapinisque exhausti fuere, ut carthusia migrandi consilio suscepto finibus excessura

Digitized by

fuisset, nisi humanitate, liberalitateque Cunonis archiepiscopi in palatium recepta ac sustentata esset.

10. Petrus ejus nominis I., praeter haec patris Dominici, loci hujus aetatisque supparis scriptoris, verba: »P. Petrus praecipuus zelator justitiae virque facundus erat,« quae ipsi tribuenda videntur, nullam sui posteris notitiam reliquit. Anno 1408 regimen a Bernardo Coloniensi (de quo infra) desertum occupans, mox annua istic cura expleta rursum destituit, quod difficile aegris in rebus, post Cunonem munere ac vita defunctum, sese offerret remedium; publicis etiamnum rebus per crebra intra urbem atque archiepiscopum dissidia exulceratis, et privatis non leviter afflictis.

Ad hujus praefecturae tempus referenda videtur memorabilis illa monachi a daemone graviter ad exitum sollicitati historia, quam sanctus hujus loci scriptor Dominicus, ex recentis aevi memoria recitat in libro *Sonus Epulantis* inscripto, pag. 142 et alibi in *Corona Mariae,* pag. 115, Rickeliusque et Dorlandus recensent, in eo tamen aberrantes quod novitium appellent (nisi more illic recepto transgressorem pro novitio habeant); res ejuscemodi est. Monachus apostasiae stimulis agitatus, dum religionem meditatur deserere, anxiusque tantum de vestitu, sumptuque in profectionem comparando haeret. Inter hunc animi luctantis disquirentisque aestum, dum per cellam ultro citroque incedit, videt juxta fornacis orificium, panniculum suo quaepiam involucro complectentem, quem arreptum tollit, evolvitque solicite, ac reconditos in eo reperit florenos ex argento septem et quadraginta, ad quorum intuitum vehemente stupore perculsus, unde haec demum pecunia tam improvisa sibi sorte deferatur, non una cogitatione scrutatur, ac postremo statuit, non aliunde quam a tentatore diabolo, perditionis suae cupido, provenire potuisse. Qua consideratione perculsus, jamque suae metuens salutis, e vestigio ad priorem convolat, sua illi consilia, oblatamque pecuniam expromit: monitusque de technis insidiatoris, suaeque salutis discrimine seria poenitudine conceptam apostasiam emendat. Prior vero pecuniam volvens revolvensque cum nihil in illa

Digitized by Google

fraudis appareret, piscibus eam emendis destinavit, quo proximum monasterio vivarium jam pene exhaustum, nova piscium alimonia in sequentis anni usum fecundaret. Factum, ut jussit, pisces hoc aere magno numero empti, vivarioque illati sunt, quod juxta horreum ad inferiorem monasterii portam intra septa latius excurrit. Res mira, postero quam illati pisces erant, die, neque pisces, neque piscinae aqua, quantumvis copiosa hactenus, usquam comparuit, orcus omnia hiante terra absorbuisse visus est, ut unde pecunia hausta est, illuc ejusdem pretium absorberetur. Perstat hodiedum locus aquarum pisciumque incapax ac vacuus, tantaeque rei, constanti ad posteros traditione transmissae, non inane testimonium est. Expendant hoc omnes, qui ex alieno et male comparato aere, res suas lautiores esse cupiunt. Diabolus sua his arte, quamvis non semper eadem, novit illudere.

11. Adolphus de Essendia in Treverica admissus professusque domo, regimen ibidem quoque anno 1409 auspicatus, ad annum produxit 1415, quando hinc ad Rutilensis carthusiae recens istic natae exordia promovenda rector transiit, rediturus huc ad locum quietis, et primis sanctioris vitae vestigiis signatum. Sub hoc Dominicus Prutenus scriptor *Experientiarum* aliorumque librorum in ordinem carthusianum admissus Treviris, sanctitate conspicua vixit, et magistri sui Adolphi vitam *in Sono Epulantis* non obscuris clarissimarum virtutum lineamentis expressam reliquit, tamque illum in se durum asperumque quam erga alios facilem benignumque extollit. Mirabili illum arte industriaque turbatos aliorum animos ad quietem animosamque in tentationibus pugnam composuisse meminit, nec ab eo moestum, dejectumque accessisse quempiam, qui non laetus erectusque animo discederet. Temperantiae sibi leges rigidissimas scripserat, verum aliis quibus abunde largiebatur, nunquam imperatas. Panis illi secundarius, puriore in aliorum usus seposito, inter delicias erat, vini modicum aqua copiosa suppressum magis quam dilutum, potus erat, jejuniorum diebus aqua panisque alimentum erat, injurias quascunque contumeliasque, ac verborum

Digitized by Google

spicula, invicto patientiae clypeo, ac fronte etiam hilari excipere solitus, nec refellere, nisi humanitate, quam docere efficacius alios non poterat, quam suo in vultu verbisque expressam. Nec difficile hoc illi, qui immota mente in Deum fixa non mutabili bono adhaerebat, qui devotionis igniculi emicabant in ore, lacrymis ad pia cogitata lectionemque praesertim passionis Christi per genas manantibus. Excessus in ipso mentis frequentes, raptusque ad coelestium consortia extatici, quibus robur ingens pietatis, secretamque divinorum cognitionem hausit. Inter haec spectacula illa est a pluribus scriptoribus asserta visio, qua rosarii Mariani usum coelites suo ipsi exemplo devotionis erga Deiparam et Jesum mysteriis vitae utriusque memoratis commendant, raris pietatem illam amantium praemiis divinitus exhibitis. Unde ingens hanc familiam incessit hujus devotionis ardor, non solum inter suos excolendae, verum ad alios etiam propagandae. Porro his vitae sanctae traductae argumentis felix, non ignarus propinquae mortis, inter fratrum circumstantium preces ad illa psalmi Davidici ab eis recitati, et ab Adolpho repetiti verba: *in manus tuas Domine commendo spiritum meum*, in sede suis assidens, manibusque elevatis orans, placide anno 1439 die 4. junii exspiravit. Cujus tamen ante mortem illud praesentibus terrorem incussit, quod objectum sibi tetra specie tentatorem diabolum tanto conatu aversatus sit, ut obmota utraque manu, inclinatoque capite, horrendo os naresque spectaculo contorserit, donec implorantibus divinam opem fratribus, tetro in omnium naribus foetore relicto abscesserit, placida subinde in morte Adolpho quiescente.

Nunc paucis quoque ejus discipuli Dominici Pruteni vitae historiam prosequar. Hic absolutis Cracoviae studiis, cum religionis studio tactus, Pragensis carthusiae prensasset aditum, repulsam haud invite tulisset, ratus se conscientiae, ut par erat obsecutam, varias oberrare regiones coepit, nec contemnenda animae corporisque adire pericula, donec allapsus Treviros et vellicante pristina vocationis conscientia, aditum hic rursum carthusiae explorare coepit, atque obtinere anno

Digitized by Google

salutis 1409, ab Adolpho priore admissus et Petro Eselweg novitiorum magistro ad omnem perfectionem instructus, et principio quidem ut in iis assolet, qui ex mundanae vitae licentia ad excellentioris sanctitatis palmam a Deo excitantur, magnis tentationum fluctibus jactatus, parum aberat, quin succumberet, armis tamen spiritualibus ciliciisque ac flagellationibus carnis strenue obnisus, ad passionis dominicae meditationem assiduam, velut asylum confugere solitus, pervicit denique, miraque animi dulcedine perfusus gustare coepit, quam suavis esset Dominus invocantibus se, verum non diu hac fruitus impune suavitate, inter varias coelestium rerum visiones ac delicias, quae nunc musicis per aures in animum vocibus, nunc oculorum contuitu, nunc imaginaria vi, nunc intellectu etiam divinarum rerum contemplationi immerso hauriebantur. Daemon suas artes, illecebrasque miscuit, et modo blandimentis somniorum visionumque, modo terriculamentis, ipse etiam humana figura in utroque apparens sexu, bestiarumque nonnunquam figuram induens, ac gravissimis in eum flagris saeviens, ab instituto nequidquam revocare conatus est, sed harum postremae tentationum post innumeras luctas in adulta aetate victor juvenili quodam vigore coepit reflorescere ac commentari secum varia, quibus laudem creatoris sui Dei ordinisque sui in illustrium sanctitate virorum factis exponendis decus commendaret. Impense vero magnae Dei matris amori honorique deditus, ut omnium vere Christum filium ejus amantium suadet affectus (canticum illud Ambrosianum, quo Sanctissimam Trinitatem in ecclesia veneramus) Deiparae Virgini accommodo inscriptum sensu, *te coeli reginam laudamus,* felici vena panxit, teneroque secum affectu frequenter volvit. Unde elogium illud Leodiensibus typis anno 1514 publicatum est. »Dominicus carthusianus par devotione Bernardo, canticum in laudem supremae matris perscripsit, quod quando solitus fuerit spiritu oris et mentis affectu decantare, dilecti numinis relativus amor celesti melodia comprobavit, cum enim diu recitando cantico devotam navasset operam, raptus coelum conscendit, ubi praeter arcana verba futurae suae beati-

Digitized by Google

tudinis signum certissimum, angelorum symphoniam canticum suum concrepantium audivit. Non poterat tam ignita orationis vis alio centro quam coeli residere. His aliisque praeconiis viri laudata pietas, profundissima humilitatis virtute, mansuetudine amplissima, discretione eximia singularique et altissima in Deum proximumque charitate, simplicitate columbina, abstinentiaque et castitate rigidissima fulciebatur, quas in viro Dei Rutila, Treviris, Moguntia, Confluentia et Agrippina observavit, magnique in eodem proceres amarunt et venerati sunt, in quibus familiares Dominico, Otto de Ziegenhayn et Jacobus de Sirck, uterque Trevirorum archimysta, quae prolixius Dorlandus et Petraeus cum aliis in chronico carthusiensi prosequuntur.

Neque hoc loco progredi libuit, quin commemorem renovatum eo saeculo vetus anachoreticae simplicitatis atque obedientiae miraculum, quando Dominicus Moguntiam missus, magnae nobilitatis adolescentem Joannem de Beldersheim, ut novitium excolebat, quam experimenti gratia plantam arboris arescentem inutilemque rigare aqua indies voluit, usque ad pentecostes festum, donec efflorescceret, quod cum aliquamdiu fecisset, viridem denique florentemque ex trunco ramum succrevisse ostendit, cui his virtutibus intento hoc gratiae celites rependisse feruntur, quod avum ejus virum bello illustrem ac denique in eodem succumbentem, purgantibus addictum flammis, in sacrificii sui primitiis coelo assertum donarint.

Sed redeamus ad annum Christi 1415 quo Adolphus a praefectura discedens alteri successori locum fecit.

12. Petrus II. Unmuz is fuit, qui post triennale munus decessit 1419.

13. Joannes IV. de Rode surrogatus in locum, suae aetatis novum sydus; post biennium Ottonis archiepiscopi Trevirensis et Martini V. pontificis jussu abbatis ad S. Matthiam fastigium tenuit, multisque coenobitis castigatioris vitae facem praeluxit, ut alibi vidimus.

14. Joannes V. Cover de Sulen. Ex canonico Metensis ecclesiae ad arctioris vitae latebras transgressus, magistratus

Digitized by Google

hic monastici munia et onera binis sustinuit vicibus, primo quidem ab anno 1421 usque ad 1428, deinde ab ejusdem saeculi 31 usque ad 35, quando iterata, ut vocant, misericordia donatus, ad quosdam tentationum impegit scopulos, a quibus tamen cum salvus enatasset, Rutilensi prioratu anno 1437 est oneratus, quem hoc in munere obiisse diem extremum (qui erat 11. novemb. anni 1441) Dominicus scribit, tanto vitae beatioris desiderio, ut cum Paulo cupide optaret dissolvi et esse cum Christo.

15. Bernardus subinde, cujus supra sub Petro I. meminimus, iterato ad clavum hujus gubernacionis vocatus est. Illud, quo Joannes discesserat tempus vacuum, hoc est ab anno 28 usque ad 31 regendo implevit, cui Joannes rursum, ut diximus usque ad 35 est surrogatus, caeterum Bernardus ab Ottone archiepiscopo familiari ac domestico pene carthusianorum ejus quam cum suis capitularibus habuit controversiae arbiter delectus fuit; tanta integritatis et prudentiae aestimatione vixit. Priorem in octo fuisse et carthusianorum domibus, chartae generalis capituli ad annum 1440 testantur, ante quem superiori anno 39 diem extremum Coloniae 15. martii conclusit.

16. Petrus III. Eselwech, postquam Hermannus II. ab Apeldorn (de quo inferius rursum sermo) biennio praefuisset, anno 1437 successit, Rutilensis et Friburgensis carthusiae jam ante prior, qui a Dominico, ejus quondam, apud Treviros discipulo, magna virtutum gratia extollitur, ut cujus virginalis integritas ope B. Mariae Virg. singulari conservata sit, quique angelos coelesti aliquando musica templi odeum implentes audierit, conspexeritque ignea eosdem in sphaera, dum rerum divinarum commentationi vacaret, radiantes, tanta vero devotae mentis attentione in res sacras abreptus fuerit, ut per matutinas 12 lectionum preces nec verbum quidem incogitantem fefellerit.

Sub hoc illustris quoque exemplo vitae floruit praenobilis dominus Joannes a Soeteren, ex Philippi Christophori archiepiscopi proavis, qui ex metropolitano Trevirensis ecclesiae canonico S. Albani carthusiae novitius ac demum procurator,

Digitized by Google

pietatis abstinentiaeque ac demissionis rarum exemplar. Tanto inter preces affluebat devotionis sensus, ut lacrymis per ora manantibus latentem in pectore divini amoris ignem proderet, nec ordinario contentus horariarum precum penso, arbitrarium huic adjiceret, caeterum, ut de eo testatur Dominicus, non minus Marthae occupationes eruditus, in consiliis dandis promptus, in negotiis expediendis agilis, duas in procuratore dotes sociabat egregias, rerum temporalium sedulam administrationem et spiritualium diligentem curam. Verum haec illustria carthusiae Trevericae lumina sub deterrima illa pestilentiae lue extincta sunt, qua anno Christi 1439 tertia his locis mortalium pars consumpta est, non tamen mors tenebris obscuravit, alibi gloriosiori luce oritura. In his cum ipso Petro Eselwech priore, Adolphus de Essendia et Joannes a Soeteren, cum aliis ejusdem loci professis quinque, laicisque atque operariis compluribus.

17. Hermannus II. Apeldornius ad usurpatum quondam post Joannem Cover regimen iterata electione postulatus adfuit, et rem domi forisque usque ad salutis an. 1457 cum laude administravit, quando Agrippinensis prior et provinciae generalis visitator declaratus, usque ad 1472 diem septemb. 18. vitam Confluentiae depositam propagavit. Xantensis ille an Clivensis, nobili oriundus genere, hoc elogium post Nicolai Albergati cardinalis vitam apud Georgium Cannefeltium obtinet. *Hermannus de Apeldorn summae innocentiae et virtutum omnium praeclaris dotibus egregie ornatus,* quod magnorum ego regum epitaphiis ingenti titulorum gravatis serie, praeferendum duco.

18. Joannes VI. Huttenus ex praemonstratensium disciplina, ubi prioris officio perfunctus erat, ad arctioris vitae leges adspirans, quondam transierat, in qua ita se probavit reliquis, ut Hermanno substitutus sit, munusque hoc cum vita 19. septembris anno 1459 consumavit, cui Dominicus breve hoc, sed ingens reliquit encomium, *bene vixit et sancte obiit,* cum aliis pluribus pestilentia etiamnum grassante in ipso aetatis et virtutum flore mundo subtractus.

Digitized by Google

19. Henricus III. de Piro, votis suffragantium Colonia accersitus. Quem Petraeus juris utriusque doctorem fuisse, Treverisque ante religionis ingressum publice jura ac canones tradidisse refert, ac dein carthusianorum diversis in domibus ut Diestemiensi, Leodiensi, Wesaliensi, ac Rutilensi strenuam navasse operam. Hic Treviris anno 1463 in magistratu valetudine infirmiori fractus, qua Coloniae anno 1473 die februarii 19. oppressus est.

20. Stephanus Roir Munstereifflius anno 1463 Henrico manumisso successit, sed post triennale regimen anno 1467, augusti 13. vitam Confluentiae reliquit.

21. Joannes VII. de Geysmaria, electus circa festum Exaltatae crucis, cujus elogia Tilmannus Sarburgius, Bernardus Bervinus, aliique viro noti suis scriptis complexi sunt. Triginta id propemodum annis raro continuati magistratus exemplo carthusiam S. Albani moderatus est, castigatae et abstinentis vitae laudibus celebris, rarissime tanto tempore extra Albanianae solitudinis claustra visus et tamen pervagata sanctitatis fama late cognitus, atque a Joanne Badensi archiepiscopo Trev. inter praecipuae virtutis viros suae dioecesis aestimatus, adeo vera ex ipsis etiam tenebris tanquam in nocte gloria emicat, et virtutum splendor nullis claustrorum repagulis abditur. Pauperum inopiae sublevandae unice intentus, hospitum tam liberalis domi receptor fuit, quam parcus foris visitator, feminarum imprimis conventu nullibi delectari visus, valetudinis pene semper afflictae, nulla tamen exemptione domesticorum onere levatae, vix unquam seu noctu, seu interdiu abesse choro visus. In mensa non raro lacrymis diffluere visus, quod cibus pro tormento videretur esse, et nisi humanae parendum esset necessitati, jejunium ante epulas, jam edentulus et cacostomachus, habiturus esset. Denique vir ecclesiasticis non minus quam civibus sua liberalitate et humanitate gratissimus, devotione etiam aestimatissimus, anno 1497, 28. februarii ad meliora migravit.

22. Joannes VIII. de Francofordia, ex doctore medicinae domus Moguntinensis professus, ac prior denique Trevirim

Digitized by Google

quoque eligentium votis, ad resumendum hic magistratum istic depositum, vocatus anno 1502 eodem retractus est, tanquam ad regendum natus, donec a laboribus quieturum anno 1515 mors occuparet sub die 18. septembris.

23. Tilmannus Saarburgius sive de Saraecastro, ex Trevericae domus professo et annorum 25 sedulo procuratore, in priorem assumptus, fraternam cum S. Matthiae benedictinis patribus confederationem interlapsam reparavit, patruumque Matthiam, officialem et collegiatae S. Simeonis ecclesiae decanum, suae familiae benefactorem non contemnendum habuit. In humanis esse desiit 15. septembris anno salutis 1506.

24. Georgius de Efferen, nobili stirpe, sed virtute nobiliore Treviris professus, fratres germanos raro exemplo duos habuit, locis diversis idem vitae institutum amplexos: alterum Coloniae, alterum Juliaci in Cantavio, ubi et hic prioris cum laude perfunctus munere ad idem post Tilmannum huc Treviros revocatus est. Magni vir animi et severioris disciplinae nomine a quibusdam alio transfugis perstrictus. Obsidionis Sickingianae magna sensit incommoda, quando diruta funditus ab amicis Trevericis carthusia, ne jurati hostis emolumentis serviret, ipsique in urbem annua pene commemoratione recepti sunt. Illud feliciori eventu rectoratum ejus memorabilem reddidit, quod diploma canonizationis S. Brunonis ordinis patriarchae a Leone X. conditum vulgatumque sub ipso in conventu anno 1514, pridie festum S. Brictii fuerit: tum confoederatio cum patribus S. Maximini datis receptisque literis in solatium defunctorum utrimque recepta sit. Parentibusque Joanni et Reginae anniversarius commemorationis inter suos dies 15. martii institutus fuerit, quos ille 1525 die aprilis 21. moriens est insecutus.

25. Christophorus a Rheineck illustri patre ortus, post sexennium in hoc loco professionis suae Georgio vita ac munere functo surrogatus, assumptusque haud multo post in visitatoris adjutorem, cujus et ipse demum munus suo prioratui adjunxit, tanta in eo virtus ac prudentia, jam tum a primis aditae religionis annis eminuit. Coeptam a decessore

Digitized by Google

carthusiae instaurationem Richardo Trevirorum archiepiscopo favente ac suffragante, nobiliori, quam ante fuerat, specie erexit et postquam hanc provinciam cum insigni sapientiae et religionis laude annis triginta et uno, temporibus difficillimis, administrasset, parentumque etiam opibus multorum levasset annorum inopiam, 20. septembris anno 1556 sancte quievit.

26. Petrus IV. Edigerus 14. januarii anni 1557 in defuncti prioris locum ex procuratore admissus, ea virtutis existimatione rem domi administravit, ut visitatori in officio adjunctus, disciplinam monasticam foris quoque moderatus sit, oratorque in capitulo generali anno ejusdem saeculi 62 sit auditus, donec quinquennio post 1567 humana ad 30. julii deseruit.

27. Bernardus II. Boppardiensis ex Trevericae domus professo non invitus prior, quod munus diligentius amplexus est, quam tuitus, siquidem post annos praefecturae octo defecisse in via Dei, atque a majorum instituto deflexisse repertus, non sine correptione publica dimissus ab officio, Molsheimensi in carthusia hospes consenuit, anno 1611 vita functus. Sub hoc perstricta admirabili fulminis ictu ecclesia, qui postquam catenam horologii ferream, hoc penitus intacto, comminuisset, deinde inscrutabili penetravit in ipsam ecclesiam via, ac levato, qui fonti incumbit lapide per fistulam majorem, usque ad regiam S. Matthiae aram progressus, hanc quoque consumpsit, intactis omnibus, qui per latera excurrunt fistulis, ut industria, non casu processisse videatur. Magna nubium vis, quam in hoc fulminis partu demonstrant.

28. Christophorus Coberen prioratum Trevericum, quo loco religionem adierat, anno 1575 legitima electione adeptus, eum per 21 annos constanter tenuit, dum mors 1596 die decima quinta decembris eundem extorqueret.

29. Jodocus Emmelius Treveris religionem professus, per varia ejusdem officia ad prioratus denique curam vocatus, hanc ad annum Christi 1601 cum laude sustinuit, quando hic desertam magis oneris quam honoris provinciam Ruraemundae

Digitized by Google

iterum adiit, ubi hanc tanta aestimatione sui et aliorum satisfactione administravit, ut perstiterit, donec senio jam fessus, anno ejusdem saeculi 23 ad quietem anhelans, sese hac cura deposita, ad mortem brevi instantem, et 6. januarii anni 1624 obitam praepararit.

30. Hector Hoen, Vitensis, Trevericae carthusiae jam olim alumnus, unde per varia loca officiaque evocatus, Rutilensis praefecturam domus, annis facile 14 tanta industria, facilitate, prudentiaeque ac virtutis existimatione sustinuit, ut visitatoris deinde per Rhenanam provinciam honoratus munere, ad Trevirensis denique domus administrationem anno 1601 accesserit, ubi non vulgarem, cum eloquentiae ingeniique ad omnia promptissimi, tum religionis observantiaeque regularis laudem promeritus, inter praecipuos ejus aetatis viros aestimationem habuit. Hospitalis in paucis, acuto verberare sale, et amoena varietate sermonem condire solitus, ut hospites in mensa non colloquiis minus, quam cibis oblectaret. Accessit nativae facundiae eruditionis ornamentum, qua ecclesiasticarum imprimis rerum scientiam complexus, suo quoque pondere aestimabat seculo atque aulis idoneus, nisi solitudinem ac coelum illis spretis praetulisset. Quod tandem in morte anno 1622, 20. februarii die adiisse creditus est.

31. Petrus V. Pilch, Cusanus, suffragiis conventualium suffectus, annis 14 rem sacram profanamque suprema prioris administratione curavit, ut impigre, ita et fructuose. Ambitum domus labantem novo fornicatoque instruxit opere, cum cellarum trium additamento. Capellas etiam geminas, S. Catharinae et Barbarae, cum fenestris vitreis encaustico variatis opere instauravit, sumptu ex quorundam dominorum liberalitate corrogato. Gallici tamen belli tempestatibus jactato, diu quiete monastica cum suis frui religiosis non licuit, sicquidem anno 1632 obsidionis mox insecutae metu, in urbem sese 7. augusti recepere, cumque post dies 14 urbs ad Gallorum transiret potestatem, in agrestem tantisper concessere villam, dum rebus ad coenobii habitationem rursum dispositis solitudinem reviserent. Verum huc pestis bellorum pedissequa,

Digitized by Google

consecuta, novem ex ordine religiosos, ad meliorem, ut spes est, quietem transtulit, Petro denique paucorum annorum intervallo ad 1. septembris 1636 insequente.

32. Michael Arnoldi, Arlunensis, ante electam carthusianae domus solitudinem presbiter et canonicus, Treviris vota professionis suae Deo nuncupaverat, unde ex procuratoris Ruremundensis officio, in priorem domus Molsheimiensis assumptus, hinc deinde ad Trevericae familiae gubernationem, anno hujus 36 traductus, ac sequente generalis capituli confirmatione, ut mos est, probatus fuit. Sub quo in ecclesia S. Albani eminentissimus princeps elector Carolus Casparus a Petra ab episcopo Azotensi et archiepiscopi suffraganeo Ottone a Senheim sacerdotio initiatus est anno 1652 prima post natalem Deiparae solemnem; die dominica infra eandem octavam proxima in episcopum bene auspicato ritu ibidem inauguratus. Sub eodem ordo carthusianorum felicibus alibi progressibus, idque in Polonia imprimis, auctus insigni Michaelis gaudio fuit, qui zelo religionis inflammatus, maximis hunc ubique incrementis ad Dei honorem adolescere cupiebat. Ipse porro jam senio ac sacerdotio venerandus, anno hujus saeculi 56 rara felicitate, primitiarum suarum, post annum quinquagesimum presbiterii, diem, jubilaria celebritate recoluit, ac meritorum plenus, anno salutis 1659, aetatis 84, triginta septem annorum diversis in locis prior, 26. augusti die migravit ad Dominum.

33. Paulus Dercum, Juliacus, ex Cuchenheim, consueto electionis genere inter suos in locum surrogatus, cum laude prioris munere functus est, et oeconomica qua valet industria hoc assecutus, ut religiosorum hodie numerus tribus personis auctior, antiqua religionis locique pietate Domino inserviat, de quo pluribus non dissero, ne viri modestiam haec ipsa obliterare nuper conantis offendam. Successor hujus infelici tempestate factus Gerardus Poüin, haud multo tempore egregia sedulitate ac pietate religiosos homines moderatus fuerat, cum Galli, qui occupata urbe rerum summam ad se pertraxerant, causati monasterium hoc propius imminere, urbi hosti nimium

Digitized by Google

obsidenti opportunum, ideoque illius demolitionem minantur, quos primum quidem prior modesta deprecatione, subinde etiam unctione aurea argenteaque gubernatori comiti de Vignory clam admota, placasse visus est, sed anno post, qui fuit 1674 regis mandatum vafer homo obtendens, postquam auro potitus erat, moenia, cellas, templum, Balduini quondam electoris opus, magna strage aedificiorum subruit, atque in acervum lapidum omnia religionis, pietatisque monumenta convertit, ut exinde ad superiorem villam Sarae incumbentem religiosi transmissi partim fuerint, partim alio demigrare jussi, illustre laudatumque hactenus ab insigni religionis disciplina coenobium tanquam dextrum Trevericae urbis brachium resecuerint.

Sequitur syllabus alter priorum, ex documentis domesticis congestus.

1. Joannes Polonus, qui cum Joanne de Epternaco, procuratore carthusiae Moguntinae anno Domini 1330 initia posuit. Obiit Joannes Polonus novae domus Herbipoli rector III. cal. martii 1350, habetque tricennarium per totum ordinem.

2. Joannes de Epternaco, procurator Moguntinus, munere functus circa annum 1343.

3. Ludolphus de Sassen, cui a capitulo generali absolutionem ab officio prioratus 1348 conceditur.

4. Henricus, qui non post multos praesidentiae annos (attamen post 1350) fasces cum vita posuit.

5. Gerardus de Noviomago in Gelria, quondam canonicus Ss. Apost. Coloniae, solutus a prioratu 1355, obiit 29. novembris 1361.

6. Henricus de Wetzlaria praefuit usque ad annum 1364 et supervixit grandaevus usque ad 8. octobris 1413.

7. Joannes de Berka, Guestphalus, ex Tremonia (Dortmund), a capitulo generali amotus 1366, obiit 24. septembris 1398.

Digitized by Google

8. Joannes de Ryle, professus Confluentinus, ob eminentem sapientiam et doctrinam electus 1366, ad prioratum Moguntinum translatus 1372, obiit 20. aprilis 1374.

9. Joannes Meynardi, Norimbergensis, vix unum annum in prioratu agens, dominica Palmarum 1374 a visitatoribus officio solutus, 40 annos supervixit, decessit 1414.

10. Winandus Stenbecke de Tremonia, electus fer. II. post ramos Palmar. 1374, a prioratu 1396, 8. julii liberatus, Coloniam reversus in domum professionis, anno 1402 novam Basileae ortam plantationem regere jussus, ibidem obiit 1409.

11. Bernardus, Coloniae professus, bina vice prior — prima ab anno 1396 usque 1407 quo et visitatoris officium aggressus est, ad aliam carthusiam regendam discessit.

12. Petrus, qui 2 annos tantum fasces gessit et 13. septembris 1420 vita cessit.

13. Adolphus de Assindia (Essen), nobilis vir, literis tum divinis, tum humanis, praesertim jurisprudentia praepollens, anno 1409 regimen assumpsit, anno 1415 prioratu solutus, primi rectoris provinciam ad Mariae rivulum prope Sirck adeptus est, qua 1421 absoluta, bina vice in abbatem benedictinorum electus, sed se subducens, in visitationibus socius fuit Joannis Rode abbatis S. Matthiae, cum quo Bursfeldensium redintegravit vitam. Obiit 4. junii 1439.

14. Petrus de Moguntia regimen suscipit coactus 1415, deponit 1419.

15. Joannes Rode, Trevir, doctor Heidelbergensis, canonicus Metensis et S. Simeonis decanus, 59. aetatis anno 1417 asceterium S. Albani ingressus, anno 1419 invitus et cum dispensatione fasces S. Albani accepit. Volente Ottone archiepiscopo 1421 pedum S. Matthiae acceptare jussus est. Obiit peste Montaburi aestumatissimus vir, 77. aetatis anno 1439, in ecclesia S. Matthiae sepultus.

16. Joannes Cover de Sule, nobilis vir, ecclesiae majoris Metensis cantor, intravit carthusiam 28. februarii 1419, post Rodium prior electus, a regimine absolvitur 1426.

Digitized by Google

17. Bernardus, secunda vice 1426 electus, 1430 absolutus, 1439, 8. decembris Coloniae obiit. Fuit is cum Joanne de Monte suffraganeo et decanis S. Paulini et Simeonis pacificator inter Ottonem et capitulum Trev.

18. Hermannus de Appeldorn, nobilis Clivo-Xantensis, natus 1408, votis admissus 1432, post 4 annos prior, anno 1437 Coloniam repetiit.

19. Petrus de Eselsweck, Mogonus, obiit 26. maji 1439.

20. Hermannus de Appeldorn secunda vice electus 1439 post 18. annis prior Coloniensis, electus, 1472 in visitatione Confluentiae decessit vita, ubi et in pace quiescit.

21. Joannes Huttenus, sive »von der Hütten«, antea prior praemonstratensis, 1457 prior carthusiae, obiit 29. septembris 1459.

22. Henricus de Piro, Coloniensis, utriusque juris doctor, scholasticus S. Pauli Leodiensis, prior carthusiae Tornacensis, Trevirensis ab anno 1459, 1463, obiit 19. februarii 1473.

23. Stephanus Roir, Monasterio-Eiffliensis, 1463—1464, quo anno in negotiis Confluentiae obiit 13. augusti.

24. Joannes Grassenbach de Geismar electus 14. septembris 1464, obiit 27. februarii 1497.

25. Joannes Beutler de Francofordia, antea medicinae doctor, prior Argentinensis, ab anno 1497 Trevirensis, 1502 Moguntinus, obiit 18. septembris 1515.

26. Thilmannus de Saarburg 1502 electus, peste obiit 15. septembris 1506.

27. Georgius, ex nobilibus de Effern, 1499 prior Juliacensis, 1506 Trevirensis, infortunia ex bello Sickingiano perpessus, 21. aprilis 1525 vita functus.

28. Christophorus, burggravius de Rheineck, nepos Christophori domus majoris Trev. decani, electus 1525, obiit 21. decembris 1556.

29. Petrus Ediger, electus 1557, obiit 30. julii 1567.

30. Bernardus Grahn, Boppardiensis, electus 6. augusti 1567, obiit 9. septembris 1616.

Digitized by Google

31. Christophorus Zeuzen, Cobrensis, 1575, 29. augusti electus, obiit 15. decembris 1596.

32. Jodocus Emmel, electus 1575 (1601 prior Ruremundae), obiit 1624.

33. Hector Hoen, Vitensis, 1601, obiit 20. februarii 1622.

34. Petrus Pilch, Cusanus, electus 1622, peste obiit 1636.

35. Michael Arnoldi, Arlunensis, electus 1636, obiit 84. aetatis anno, 26. augusti 1659.

36. Paulus Derckum, praetoris Cuchemensis filius, electus 1659, absolutus 1670, obiit 29. novembris 1686.

37. Gerhardus Poeyn, Ruremundanus, senior trium fratrum carthusiensium, consiliarii provincialis filiorum, electus 1670, obiit 2. maji 1678.

38. Martinus Schue, Neumagensis, electus 1679, obiit 23. decembris 1695.

39. Bruno Bacges, Confluus, electus 1696, 1707 defunctus.

40. Fridericus Kneip, electus 1707, obiit 2. nov. 1719.

41. Ernestus Zang, Luxenburgensis, elect. 1719, ob. 1741.

42. Nicolaus Pauli, electus 1733, amotus 1738.

43. Godefredus de Rodinghausen, nobilis Hollandus, electus 1738, obiit 7. octobris 1744.

44. Joannes Nirtz, Andernacensis, electus 1744, obiit 12. octobris 1745.

45. Antonius Welken, Trevir, electus 6. novembris 1745, obiit 1781.

46. Albergatus Ehlen ex Grach, natus 5. januarii 1739, electus 13. martii 1781, vita functus 1811.

CAPUT XIII.

Carthusia Confluentina Montis S. Beati.

De hujus origine cum in annalibus suis temporibus actum sit, hic paucis suffecerit disseruisse; situm monasterium illud in

Digitized by Google

conspectu Confluentiae in clivi montis ad meridiem cis Rhenum orientale latus alluentem. Mons ille seu collis potius a martyribus olim dictus, quos ut celebri illuc cultu honoratos, ita cecidisse olim sub persecutione Maximiniana credibile est, verum postquam S. Beati corpus sub Poppone archiepiscopo ex benedictinorum patrum monasterio B. M. Virginis, quod paulo infra Treviros Mosellae adjacet, huc circa annum Christi 1017 translatum est, a novo celebrique id temporis miraculorum gratia hospite nuncupationem sumpsit. Fuit autem hic Beatus sacerdos unaque cum fratre Banto sub Modoaldo Trevirorum archiepiscopo circa annum 637 a frequentia Trevericae urbis ad Vogesi montis solitudinem Deo soli vacaturus excessit, ubi aliorum id temporis virorum, ut Vandalini, Disibodi, Carileffi, Wolffilaici sanctitatem austeritatemque vitae aemulati, velut illustria duo sydera Castori Pollucique jure praeferenda emicuere, ex privato subinde eremo ad proximorum etiam salutem exorta, unde de his festorum Trevirensium scriptor canit:

> Vulgabant Christum Bantus cum fratre Beato
> Ambo sacerdotes signorum efferre stuporem
> Insignes ambo coeloque immittere manes.

S. Servatii ad eundem locum cineres miro eventu relatos, annales carthusianorum, et Dorlandus opinor ex eisdem memorat, nam cum post Ottonis III. Henricique imp. mortem, res imperii aemulatione successorum turbata, sua etiam tempestate Confluentinorum agros affligerent, Trajectensis ecclesiae canonici, luculento illuc vinearum, agrorumque praedio Gulsae potiti, cum plerique fructus bellorum hominumque interverterentur iniquitate, D. Servatio patrono freti ejus reliquiarum praedio illatarum ope tutiorem fore locum putarunt, sed dum has Confluentia Gulsam adversa Mosella transferunt, ubi monasterium S. Beati haud procul in colle situm, istic memorant conditorium ossium S. Servatii sese ultro erigere, terque versus aedem S. Beati inclinare visum est, quod ut admirationem omnibus, sic religionem venerationemque loci injecerit. Inde evenisse porro, ut transferendas eodem reliquias duxerint, Gulsanum ex vicinia praedium abunde protecturas, uti illud

Digitized by Google

in hodiernum usque diem inviolatum possident; utut sit, illac certe ex D. Servatio aliquot membrorum in S. Beati monte possidentur reliquiae, quibus S. Noitburgis et Officiae, ex Ursulano sodalitio, martyrum accedunt pignora, unde martyrum jam olim haesisse monti nomen, non inepte auguramur. Veterum ejus loci ecclesiam Confluentinus olim ad S. Castorem clerus occupavit, a quo deinde ad benedictinae familiae religiosos, cum ambitu montis fundisque ac possessionibus, usque ad arcem Capellae excurrentibus, Hillini archiepiscopi authoritate translata est, ut hodiedum antistitis hujus diplomate anni 1153 testatum manet, cui praeter abbates, e nobilitate subscripsere Reinboldus de Isenburg, Udo de Brubach, Leuboldus et Wilhelmus de Castro, Conradus de Confluentia, adjectum nomen praelati id temporis regentis,

Reingerus abbas de monte S. Beati, cui reperitur accessisse nominatus alter,

Warnerus abbas ad annum 1238.

Ecclesia subinde extructa major dedicataque archiepiscopi Theodorici aetate, qui cum ipse per valetudinem adesse non posset, hanc Henrico Osiliensi episcopo, qui e S. Dominici familia tunc e finibus Livoniae aderat, provinciam mandavit, isque anno 1241 ad XVII. cal. septembris templum hoc novum in honorem Dei Genitricis et SS. confessorum Servatii ac Beati consecravit, stetitque hujus loci florens aliquamdiu sub benedictinis religio, dum aetate vires amitteret, floremque pristinum successorum languor decerperet, et improbitas violaret.

Conatus primum est Boemundus ea tempestate Trevir. archimystes vergenti in pejus licentiae occurrere, Walramo abbate ad S. martyres Treverico ad formandos in melius religiosorum mores destinato, verum hic cum Aethiopes lavare se cerneret, desperato labore ad suos reversus est, et Balduini in archiepiscopali sede successoris authoritate effectum est, canonici duodecim exterminatis monachis immissi sint, qui hymnodiae et sacrorum curam sustinerent. Hi tamen, cum deinde et solitudinis taedio ducti et vectigalium tenuitate, rem segnius divinam administrarent, consilium Balduino subiit,

Digitized by Google

de carthusianis ex Treverica plantatione eodem quoque traducendis, de quo illius diploma extat, cujus hic partem insero.

»In nomine Domini Amen. Balduinus Dei gratia S. sedis »Trevirensis ecclesiae archiepiscopus, S. imperii per Galliam »archicancellarius, ad perpetuam rei memoriam. Non debet »reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum, »statuta quoque varientur humana, praesertim cum evidens »pietas vel urgens necessitas id exposcit. Ecclesia sicquidem »montis S. Beati prope Confluentiam, nostrae dioecesis, olim »sacra nigrorum monachorum religione fuerat instituta, sed »personae ipsius, exorbitantes ab ordine ante nostrum adventum »archiepiscopalem longis temporibus religionis cultoribus, et »bonorum ipsius distractione, ipsam reliquerant deformatam, »ac penitus dissolatam. Disponente itaque Deo, archiepiscopale »regimen adepti, prae caeteris ecclesiis et monasteriis, ejusdem »ecclesiae destructioni paterno compatientes affectu, diutinam »nostri animi vigilantiam super eo convertentes, in collegiatam »ecclesiam, dignitatum et canonicorum secularium, juxta ordi»narium ecclesiae nostrae Trevirensis, in divinis officiis et »consuetudinibus, capituli modum reductis prioribus, et ad»junctis aliis bonis immobilibus, ipsa ecclesia tunc per nos »solenniter est erecta, collationibus hujusmodi dignitatum, »canonicatuum ac aliorum beneficiorum juri episcopali reser»vatis: ut ad honorem Dei, et ecclesiae suae sanctae, per»sonae perfectiores ibi instituerentur, pro cultu divini nominis »ampliando. Cumque dicti decanus et canonici propter nimiam »exilitatem reddituum, et loci solitudinem, residentiam per»sonalem, ad deserviendum in eadem ecclesia personaliter, »sicut eos instituerамus, et nostra ferebatur intentio, con»tinuare nequirent, voluntarios labores subivimus, et cogitatus »revolvimus infinitos. Tandem plurium sapientum communicato »consilio, ad reducendam ipsam ecclesiam in aliquam religionis »observantiam, nostra mens resedit, ad quod loci dicti montis »religio primitus instituta, et reliquiarum Sanctorum plurium »in eo collocatio nos maxime induxerunt. Inter caeteras autem »religiones sanctas carthusiensium ordinem pluribus invenimus

Digitized by Google

»sanctis operibus praefulgere, habentes quidem proprium in »communi unde vivant, et de extrinsecus cura non indigentes, »ut tota mentis contemplatione serviant soli Deo &c.« *Post quae, cum aliquo usufructu bonorum ad dies vitae canonicis indulto, ab officiis ejusdem loci illius liberasset, subjicit:* »Instituimus nunc de caetero, perpetuo in dictum locum, »ecclesiam seu monasterium S. Beati ordinem carthusiensem »per fratres ipsius ordinis perpetuo observandum, cum privi- »legiis, indulgentiis, indultis et libertatibus omnibus ipsi ordini »concessis, et in futurum concedendis. Praefatum insuper »locum, ecclesiam seu monasterium montis S. Beati, una cum »domibus, muris, aedificiis, curtibus, hortis, vineis, agris, »decimis, pratis, pascuis, arboribus, sylvis, nemoribus, aquis, »aquarum decursibus, exitibus, introitibus, censibus, redditibus, »proventibus: specialiter etiam jure utendi incisione, et de- »ductione arborum et jure in nemoribus Confluentinis, et aliis, »nec non omnibus juribus, rebus ac bonis, ac pertinenciis »eorundem universis, ac jure possessionis, proprietatis, et quasi, »praefato ordini carthusiensium, ex nunc perpetuo donatione »perfecta, irrevocabili, ac inter vivos, donamus et conferimus, »atque in eundem transferimus per praesentes. Reservamus »tamen nobis de praedictis redditibus percipiendi, pro domo »ejusdem ordinis prope Trevirim, per nos noviter disposita, »numerum fratrum in ipsis domibus instituendi, nec non super »orationibus, memoriis et anniversariis faciendis, ordinandi »potestatem, si et prout viderimus expedire. In quorum om- »nium testimonium sigillum nostrum una cum sigillo capituli »nostri Trevirensis, cujus assensus praemissis omnibus inter- »venit, ad preces nostras, his literis sunt appensae. Et nos »praepositus, decanus et capitulum ecclesiae Trevirensis sigillum »capituli nostri, in testimonium consensus ad praemissa, ad »preces dicti D. N. archiepiscopi recognoscimus praesentibus »appendisse. Datum anno Domini 1331, die 18. mensis »augusti.«

Post haec anno 1383 Cunonis archiepiscopi subsidio et authoritate templum atque altare innovatum, a Bertramo

Digitized by Google

episcopo Thephelicensi, ejus in pontificalibus vicario, consecratum est in honorem B. M. Virginis, S. Joannis Baptistae, S. Servatii episcopi, S. confessoris Beati, Noitborgis et Officiae virginum et martyrum.

Primum hujus loci initiatorem fuisse reperio eundem Joannem, qui Trevirensi carthusiae auspicandae director adstiterat, et Joanni Epternacensi Moguntia evocato, primo hujus loci priori locum fecit, cujus perquam honorifica memoria in chronico carthusiae Coloniensis extat.

Ludolphus a Saxonia, Argentinensis primum carthusiae professus, et prior, deinde moderandae hoc in monte religioni praefectus est, cujus illustria doctrinae monumenta etiamnum in libris ab eodem elaboratis supersunt, demissionem vero ejus arguunt supplices instantesque preces, quibus dignitatem curamque prioris non illaudate obitam, a se ad alios transferri oravit, obtinuitque anno 1382.

Arnoldus post hunc delectus prior, sanctitatis opinione venerandus Argentinensi in chronico laudatus, qui, ut Confluentiae professus est, ita 12 eidem domui annis praefuit. Reliquorum licet nomina usque ad praesentem P. Joannem Hoff ex cathalogo domestico suppeditata sint, numero 28, quia tamen res ab illis gestae reticentur, sola hanc nomenclatura historiam implere non libuit, ne suum majoribus videor silentium exprobrare.

Celebris hoc loco mons Calvariae, juxta septentrionale asceterii carthusiani latus, magna devotione affluentis populi, jam in alterum cultus saeculum, praetereundus omnino non erit. Jam anni fluxere centum septuaginta et unus, ante hunc Christi 1668, quando Petrus Vietor Molesbergae in Nassavico tractu natus, Confluentinus incola, postquam gemina peregrinatione loca Jerosolymae sancta raro pietatis ardore obiisset, cupidus amorem patientis Christi in popularium suorum cordibus propagandi, Romano Alexandri VI. pontificis diplomate facultatem stationum crucifixi ab urbe ad montem usque ducendarum obtinuit, indulgentia 1040 dierum iis concessa, qui festis S. Crucis, dedicationis sacelli in monte, D. Petri et

Digitized by Google

Pauli apostolorum, et veneris sancto has poenitentia expiati obirent. Sed his literis anno 1496 obtentis, tertiam ipse peregrinationem ingressus occubuit, postquam sacello in monte (quem Calvariae ad exemplar Jerosolymitanum dici voluit) excitato initium pio operi dedisset, ita ad nos usque deducta stationum patientis Christi pietas, frequenti etiammum populo, veneris praesertim diebus, et diversis per annum processionibus, colitur, ut montem S. Beati hoc iterum titulo beatum appellare liceat, quod tam sanctae devotionis vestigia fideliter constanterque tueatur.

Reingerus, abbas S. Beati, 1153, 1163.

Ditardus, abbas, 1220.

Warnerus, abbas, 1238.

Walram, abbas monasterii B. M. ad Martyres Trev., resignat auf die Rechte in Bezug auf die Adminiſtration des Beatusklöſters 1314.

Fr. Martin, Biſchofs zu Alba, Ablaßprivilegium zu Gunſten des Baues der Kirche auf dem Beatusberge, 1316.

Henricus, plebanus in Müden, decanus S. Beati, 1317.

Henricus, plebanus in Waynebach, decanus S. Beati 1321.

Joannes, decanus 1331, obiit 10. dec. 13**.

Canonici S. Beati.

Joannes Viginbuch.
Hermannus.
Ludovicus sacerdos.
Henricus de Lahnstein.
Joannes Minnink, insimul scholasticus S. Florini.
Roricus de Bacheim.
Henricus de Muda.
Philippus de Insula.
Jacobus de Kutge.

Digitized by Google

Zum Dank für den Eifer in der Errichtung zweier Carthausen bewilligt das Generalcapitel des Carthäuserordens dem Erzbischof Balduin das Monachat in jeder ihm beliebigen Carthause. Dat. Carthusiae (la grande Chartreuse) 1337.

Auch edle Geschlechter hatten Bündniß mit den Carthäusern: 19. sept. **** D. Conradus de Porta, miles, qui habet associationem. — Item Thilmannus de Lahnstein, decanus S. Florini. — Tyrus de Nemore. — Jacobus Zieglein de Andernach.

Godfried, Herr zu Hohenlohe, wohnte bei den Carthäusern 1379.

Priores carthusiae ad S. Beatum.

Henricus, 13**.

Eustachius, 13**.

Ludolphus, obiit 13. decembris.

Petrus, obiit 1382, 11. octobris.

Joannes Rosewin, obiit 14**.

Petrus de Hoichheim, 1557.

Joannes Simon Leemen, 1635.

Christophorus Steick, Mogonus, obiit in Cusa 23. septembris 1643.

Joannes Hoff, 1667 et 1672.

Joannes Gerardus Goedt, 1673.

Joannes Krantz, 1678.

Adolphus Neissen, 1707.

Jacobus Saltner, 1708.

Nicolaus Mihl, 1710, obiit 17. octobris 1712.

Nicolaus Friderici, 1713.

Joannes Welcker, obiit 18. martii 1752.

Paulus Zirvas, electus 16. aprilis 1752, obiit in ascensu ad visitandum hospitale Cusanum, 24. junii 1758, in domo Treverica.

Hermannus Bamberg, electus 17. julii 1758, obiit 28. februarii 1800.

Gerardus Beckhaus, obiit 1. octobris 1807.

Digitized by Google

Domus Confluentinae ultimus professus, P. Bruno Hoffmann, obiit die 7. octobris 1843, Sancto patri Brunoni sacra, cujus humilis ferventissimus quoque discipulus erat.

CAPUT XIV.

Carthusia Rutilensis S. Xisti.

Antiquum hoc olim loco benedictinae quoque familiae coenobium, cujus primae originis notitia cum pristinis interiisse cultoribus visa est. Id satis exploratum Caroli Magni temporibus effloruisse, cum oratorium hic ostendatur S. Stephano sacrum, in quo Officia sive Efficia, Caroli Magni filia sepulta traditur.

Rotela sive Rutila vetus loco nomen pagum seu regionem Trevericae dioecesis obtinet Lotharingis vicinam. Illustrem illic quondam basilicam stetisse argumento etiam sunt aedificii ampli magnificique vestigia, et hanc Leonem III. pontif. dedicasse olim atque a D. Bernardo ibidem sacrificante multis magnisque decoratam miraculis, traditione scriptisque receptum est, de qua re non inepte vetus scriptor lusit cum Rutilam vere rutilam *in beati viri praesentia rutilasse luce quadam coelesti, memorat.* Et priscorum quaedam hic abbatum censentur diversis in scriptis nomina.

In pervetusta martyrologii Treverici ephemeride qua primarius clerus usus est, reperitur Rapo abbas de Rotila 3. calend. februarii, quem utique viris sanctis accensuere. Et Bernardus abbas memoratur anno 1084, Folinus quoque et Folmarus, qui Friderici I. imperatoris diplomati Hillino archiepiscopo concesso subscripsit anno 1157, occuritque aō 1163, post quem Richardus ad annum Christi 1211 et 1214 censetur, nec non Petrus 1333.

Digitized by Google

Verum nonnullis custodum in disciplinae monasticae vigilantia obtorpescentibus languor, ut fit et inertia, ac deinde pedissequa harum licentia irrepsit, locumque habitatoribus demum ipsis pene vacuum destituit, quae res Trevirorum archiepiscopo Ottoni de Ziegenhayn hanc postremo injecit curam, ut de ferventioribus Dei cultoribus ecclesiae, ejus honori destinatae, prospiceret, atque e florentissimo id aetatis carthusianorum patrum apud Treviros seminario plantas eo transferret religionis pietatisque uberiorem fructum daturas.

Supererat cum raro habitatore Petrus de Bettenberg ultimus abbas, velut ad sarcinas custodiamque domus relictus, qui autoritate summi pontificis Eugenii IV. anno 1331 indictione IX. Juliano cardinale S. Angeli cum Ottone archiepiscopo rem administrante et Joanne Rode S. Matthiae abbate adstipulante loco et dignitate cessit, unde non vulgaris prudentiae sanctitatisque vir Joannes Cover de Sule jam Trevericae carthusiae prioratu exercitatus, in loci possessionem evocatus est, qui Romam ad Eugenium profectus, diplomate apostolico translationis factae vim roborari fecit. Ne vero aut patres benedictini aut etiam duces Lotharingiae futuris temporibus quippiam obmoverent, ordinis sui consensu Petrus de Bettenberg abbas possessionibus jam plerisque obaeratis, renuntiavit ultro, supplicibusque apud Reinardum Lotharingiae ducem literis intercessit, ut translatio rata haberetur, quam non ipse solum, verum et consanguinei reges ac principes suis literis firmavere, quare ut a Reinardo duce anno salutis 1433, sic a Renato et Reinardo regibus Jerosolymitanis, illo quidem anno 1452, hoc vero 1494, aliisque Lotharingiae principibus, in sua carthusiani patres possessione stabiliuntur, quod idem plurium pontificum sequentium literis, ut Calixti III., Gregorii X. et Urbani V. ac VI. praestitum est. Petro vero abbati binisque qui supererant collegis, reliquo vitae tempore abunde est prospectum.

Verum, quia sat tenuis ibidem commorantium res erat, aliudque haud procul inde infra Sirckium oppidum, ad Mariae Rivulum insidere cisterciensium quaedam virginum monasterium

Digitized by Google

coeperant, visum omnibus Rutilam transferendam hanc esse religiosarum coloniam, atque illic solitariae vitae castra, habitationemque figendam esse, ut geminorum locorum inopia, ope mutua fulciretur.

Vivebant ad Rivulum hunc cisterciensis instituti nonnullae virgines, quae inopia ne rerum, an disciplinae etiam incuria (quod non satis exploratum) ad paucitatem redactae, agente Margaretha Bavara sanctissima foemina, Carolo Lotharingiae duci nupta, Freisdorffium ad alium parthenonem translatae sunt, ordine cisterciensium probante, vocatique ex carthusia Treverica, qui divinis istic pietatis studiis, ac hymnodiis incumberent. Margaretha unice ad hanc rem vigilante, ut locus hic piorum hominum opportunitati deserviret, quod affectu non minus, quam suppeditatis vitae subsidiis agere est conata, unde ab illa et Carolo duce impetratum anno 1414, ut e Trevirensi seminario sub Adolpho de Essendia sacerdotes aliquot, cum fratribus laicis transierint, sed cum impares benevolentiae opes ad sustentationem justam essent, ea denique, quam diximus post annos septendecim migrandi opportunitas arrepta est, geminoque ex corpore validius unum Rutilense conflatum est, suisque sub prioribus hoc usque insigni laude regitur.

Adolphus de Essendia inter priores domus Trevericae supra commendatus, hic agmen ducit, qui alteram hanc suae professionis spartam cum Dominico Pruteno rerum praecipue spiritualium vicario prudentia et vitae sanctitate eximio ab anno salutis 1414 usque ad 21. seculi ejusdem, ornavit, cujus ut vitam, sic mortem supra leges.

Petrus de Moguntia ex procuratore domus Trevericae prior Rutilensis a 21 ad 25 praesedit, misericordiam dein, ut ajunt consecutus, post hunc Petrus Eselwech in Treverica carthusia laudatus, Rutilensibus ab anno 1425 usque ad annum 1432 praefuit. Huic proximus Joannes Diepach. Deinde P. Joannes Neukirchen domus Trevericae professus succedit, quem Mosella anno 1437, cum alio fratre haustum infelici casu sustulit. Hunc sequitur Joannes Cover, alibi quoque in Trevirorum carthusia laudatus. Quocirca, cum et in caeteris,

Digitized by Google

qui ad trigesimum octavum usque numerum occurrunt, praeter solam nomenclaturam, nihil magnopere historiarum notitia suppeditari dignum reperiam, quod jam ante chartis non consignarim, vacuis tabulam nominibus non explebo, illorum praesertim fretus modestia, qui latere sibi gloriosum magis ducunt, quam amplis scriptorum laudibus circumferri.

Carolus Klein, prior, occ. 1765—1785.

Sixtus Gade, prior, occ. 1786—1794.

CAPUT XV.

MONASTERIA EXTRAORDINARIA

ut

Monasterium Cruciferorum Montis S. Helenae.

Monasterium hoc Cruciferorum haud longe Treviris, in archipresbyteratu Merschensi situm, regulis D. Augustini adstrictum, iruit in colle S. Helenae, vulgo ad hospitale nuncupato, quia hospitalis hic olim pro peregrinis locus domusque celebrata est. Ejus principium ex Maximiliani imperatoris literis non abs re erit investigasse, qui in iis, quas Wormatiae anno 1495 die 25. maji dedit sic loquitur. »Notum facimus tenore praesentium universis et singulis praesentibus et futuris. Quod etsi magnopere cupiamus, omnes ecclesiasticos et religiosos ordines, nostris temporibus crescere, multiplicari et conservari, maxime tamen eos, qui propter laudabilia et multiplicia bona opera in augmentum divini cultus, quotidianis precibus tam legendo quam orando instituti sunt. Qua de re cum noster et S. R. J. fidelis devotus Ludolphus ab Enschringen artium et juris utriusque doctor, ecclesiarum S. Simeonis Trev. et S. Crucis in campis Moguntinis praepositus, canonicus Leo-

Digitized by Google

diensis, S. N. palatii Lateranensis et aulae regalis comes, qui nobis et imperio omni cura et diligentia saepe servivit, conventum seu monasterium patrum ordinis S. Crucis sub regula Sancti Augustini, in loco ad hospitale nuncupato prope oppidum Welsbillig Trev. dioecesis situm, ad honorem S. Helenae D. Constantini matris erexerit et ex parte dotaverit prioremque et conventum inibi instituerit, venerabilis Joannis archiepiscopi Trev. S. R. J. per Galliam et regnum Arelatense archicancellarii, nepotis et principis nostri electoris charissimi et ejusdem capituli assensu, auctoritate, approbatione et confirmatione accedentibus (ut desuper confectis literis plenius continetur), ordoque praedictus ab eadem inclyta Helena pro sanctissima crucis custodia, et ad diversa loca transportatione primum inceptus fuerit. Quare nos ob ejusdem Ludolphi servitia humillimasque preces, et singulari pietate ac devotione ducti, animo deliberato et ex certa scientia, regali authoritate erectionem dotationemque prioris et conventus institutionem, omnes quoque et singulas praerogativas, libertates, immunitates, exemptiones, gratias, privilegia et indulta praedicto monasterio S. Helenae concessa seu concedenda, confirmamus, approbamus atque de novo concedimus &c.«

Ex his literis fundator Ludolphus ab Enschringen S. Simeonis praepositus, et approbator Joannes Badensis archiepiscopus, et ordinis hujus principium, a S. Helena deductum, et singulares praerogativae indicantur. Quibus idem imperator adjecit, si fundationis bona deficiant, facultatem eleemosynas toto imperio colligendi. Joannes archiepiscopus jam ante sexennium anno 1488, jus pecora pascendi, aquas ducendi, cauponamque excitandi, cum loci possessionisque confirmatione, indultisque eidem ordini alibi concessis indulserat, 18. mensis augusti in ipsa D. Helenae festivitate summi pontificis et capitularium dominorum adstipulatione fretus, annuamque ejus beneficii memoriam extare apud religiosos voluit, ut jam tum habitationem istic auspicato coeptam intelligamus.

A quo tempore personae illic receptae sex, nempe cum duobus laicis sacerdotes quatuor, ac sequenti anno per epis-

Digitized by

copum Azotensem, et praelatos geminos SS. Maximini et Martyrum templum atque altaria consecrata fuere, sensimque ad alia pro conventu molendino, hospitalique pauperum domo, aedificia processum est, sed magna rerum et fundationis accisae jactura per immaturam D. Ludolphi de Enschringen mortem operi coepto intervenientem, qui anno salutis 1504 die 5. maji decessit.

Fluxere ab hoc tempore anni quinquaginta, quibus suo praecipue flore monasterium per erumpentem e Germania in Trevericam archidioecesin visitatorem religiosorum Albertum marchionem Brandenburgicum, repente omnibus bonis ac pretiosis templi ornamentis, thecisque reliquiarum exuitur, unde ad pristinam hactenus dignitatem emergere, arctis in rebus nunquam licuit.

Et quamvis reparatis utcunque rebus eluctati subinde sint, tamen post annos totidem Batavi ex Hollandia infessis armis rapacique militum cohorte adfuere, sublatisque universis, nuditatem solam in domo reliquere, habitumque in beneficii loco est, quod pari, quo vicinas incendio aedes non consumpserint.

Nec Lotharingorum Gallorumque superiori, quo Belgium Luzelburgicum agrum pervaserunt bello, vim manusque declinavimus, effracta domus et basilica bonis perfugorum referta ac hierothecis reliquiarum etiam sublatis, spoliata, religiosi inclementer tractati, quamvis Hispano domino non subessent, sed ob solam agrorum affinitatem luerent, malumque traherent ex vicino malo.

Patronorum tamen, quos sua in ecclesia venerantur, praesidio non parum debent. S. Helenam ex tota istuc archidioecesi veneraturi conveniunt, festo praesertim illius die, quando magna pars Augustae Trevirorum eo sese effundit, nec fere domus est, ex qua non aliqui affluant, quod pro felici gubernatione familiae ejus venerationem facere experientia docti sunt. Est ejusdem ecclesiae patronus S. Valentinus martyr et pontifex, ad cujus aram reliquiasque ingens per Luzenburgensem imprimis terram affluxus, ut idcirco ad montem S. Valen-

Digitized by Google

tini locus appelletur. Frequens vero ipsius, tum adversus morbum caducum, tum praecipue adversus omnem malignitatem pecori incumbentem praesidium est. Unde plerique pagorum nonnunquam et familiae suo in grege porcum aliudve pecus educant, quod a teneris D. Valentino addictum, vocant S. Valentini pecus, jamque adultum ac pingue priori conventus in sancti illius honorem pro tutela gregis deferunt, observatumque, quod illius religionis apud quosdam neglectu ingenti detrimento pecoris multati sint; aquam ad illius invocationem benedictam adversus toxica tam animalibus, quam hominibus profuisse compertum est.

Cranium S. Cornelii magna in observatione ibidem est, opemque hinc sibi praesentem non raro experiuntur, quotquot capitis vertigine aut doloribus premuntur. Praeter has reliquias S. Sebastiani, S. Stephani, S. Mariae Magdalenae, S. Joannis Baptistae, aliaeque possidentur, quae tum ex Oriente, tum aliunde a praenobili domino ab Enschringen, ad loca sancta Jerosolymam et Romam profecto, fundatoris germano fratre, illatae in templum sunt, ubi suum moriens sepulturae monumentum reliquit.

Est ibidem memoria R. P. Joannis Noviomagi, qui ab Alberto Brandenburgico anno salutis 1552 in odium religionis suffocatus, victima Deo cecidit, quo tempore et alter fratrum Weselius priori relictus socius, ex uno suspensus pede, lento et tristi supplicio occidisset, nisi tandem a superveniente rustico funis praecisus, divina providentia libertatem vitamque obtinuisset.

Plures ejusmodi religiosorum familiae per Luxenburgensem agrum sparsae ut 1. Vertoni, 2. Ivodii, 3. juxta Floramvillam in Schuffio, quae omnes prioratum Huiensem ad Mosam, ut supremae hisce in locis dignitatis verentur, postquam hic ordo in Belgium a quinque viris anno 1216 introductus, perque Hugonem cardinalem legatum pontificium promotus, ab Innocentio IV. probatus est quam prima ut dixi sui instituti exordia ad Helenae et Constantini M. tempora reducant.

Digitized by

Joannes de Schoppingen, prior Montis S. Helenae, occ. 1501.
Sebastianus, 1571.
Ferdinandus Tilmanni, 1760—1763.
Jacobus Serger, 1765—1784.
1785—1786 vacat.
Josephus Andre, 1787—1794.

Locum quendam in allodio regni situm, qui Phedernache dicitur, ubi latronum aliquando conventus erat, nunc autem devote mulieres et fratres tum clerici quam laici congregantur, ad serviendum Deo viventi, ab omni seculari functione segregamus, et divinis omni tempore deputamus obsequiis, ait Friderici I. imperatoris diploma, datum Colonie XVII. cal. maji 1157. Ingebrandus prior, Elisabeth, magistra in Pedernach, occ. 1273, Ludgardis de Liebenstein, magistra, 24. martii 1397. Successu temporis virgines, regulae D. Augustini subjectae, a prima institutione et regulari vita imo etiam in temporalibus ita defecerint, quod locus a novissimis monialibus, paucis quidem, plane derelictus est. Quapropter pater abbas in Springiersbach desertum monasterium adprehensus, circa an. 1450 illud per monasterii sui canonicum, nonnumquam per secularem clericum aut laicum administravit; demum domus illa taliter neglecta et collapsa est, quod iterum latronibus patere coepit. Quare inter Joannem II. archiepiscopum et Joannem Auwach a Wittlich, abbatem Springiersbacensem tractatum et conclusum, quod locus ille cum universis suis proventibus in manus archiepiscopi dimitteretur. Joannes II. autem, »quia ob sexus imbecillitatem, latronum horrorem et loci desertionem existimamus ad moniales reductionem fructuosam fieri non posse, locum in Pedernache devotis fratribus ordinis sancte Crucis sub regula S. Augustini regulariter viventibus donamus et assignamus per presentes, 1496.« Addidit donationi istae per literas, 4. aprilis 1500 confectas, archiepiscopus xenodochium in Rhens. Henricus Huls primus noviter constituti monasterii prior, occ. 10. aprilis 1500. Vixit Joannes Bolen

Digitized by Google

prior, ão 1546. Anno 1552 m. T. 11. januarii, Joannes V. ab Isenburg, archiepiscopus recipit monasterium in monte Pedernach, a fratrum sanctae Crucis magistro generali nec non patribus totius ordinis, in manus suas resignatum.

CAPUT XVI.

Monasterium ordinis SS. Trinitatis.

Hoc monasterium cruciferorum quoque est in valle Viennae Luxenburgensis ditionis, quod oppidum Vienthal Germanica voce incolae designant, juxta Ouram fluvium, quo alluitur monastici hujus loci situs. Albo in habito crucem bicolorem praeferunt seque a SS. Trinitate de redemptione captivorum appellant, et sub priore, quem ministrum suum dicunt, vitam agunt, parochiisque etiam administrandis adhibentur, quamvis primo a Joanne Matha doctore Parisiensi instituti fuerint, ad auxilium captivis ferendum, unde appellatio haesit, quo nomine anno salutis 1197 ab Innocentio III. probati sunt, Massiliaeque suprèmum ministrum (ita ordinis sui caput nuncupant) habuere. Porro in hanc vallem ab Henrico Viennensi comite, anno D. 1258, ejusque conjuge Margaretha, religiosi hi viri sunt vocati, postquam comitem parentem, pietatis causa in Orientem profectum, corrogata pecunia ex Turcarum captivitate redemissent, cujus beneficii memoriam perennem Henricus, pius in parentem filius esse voluit, monumentumque in artificio templi scrinio hac inscriptione superest. *Anno Domini 1248 a comite Henrico et Margaretha conjuge et Philippo primogenito eorum fratres ord. S. Trinit. de redempt. captivorum in hospitali de Vienna recepti sunt IX. calend. junii.*

Christophorus Fischbach, minister in Vianden, occ. 1762. Successit Petrus Mamer, 1763—1766. Ultimus magister fuit Joannes Chrysostomus Lorent, 1767—1783, in quo anno viri religiosi e sacra familia dimissi sunt.

Digitized by

CAPUT XVII.

Monasterium Wilhelmitarum.

Hic Wilhelmitarum ordo, qui a Wilhelmo Aquitaniae duce severissimo poenitentiae genere vitam anteactam in peregrinationibus et solitudine castigante, originem trahit, trans Rhenum in Loganae insula haud procul Limburgo eremitorium habuit, quod a Gerlaco Limburgensi domino circa annum Domini 1316 est incohatum, vulgo Winsbach aut etiam Pons B. M. V. nuncupari solitum, porro ubi amnis, ponte saxeo junctus, nimia exundatione domicilium infestabat, anno 1322 in occiduae plagae suburbium coenobitae migrarunt. Fuerunt in observatione religiosa S. matris Annae reliquiae, quae ex paradyso Marcodurano ejusdem familiae hunc in locum translatae, non sine miraculorum gloria late inclaruerant, unde frequens affluxus et finitimorum excitata populorum pietas, quae ubi temporum mora refrixit, locus sensim deseri atque ad paupertatem contemptumque prolabi coepit, ut ultimus denique coenobiarcha Fridericus a Derna anno 1561 Trevirorum archiepiscopo Joanni a Petra cesserit, qui ad pauperum usum in hospitale vertit.

Ejusdem vero instituti virgines haud procul inde juxta castrum oppidi Dieze sub Limburgensi priore vixere in clusa Fachingen dicta, quae nunc quoque inter haeresum libertatem obortam evanuere.

Vocantur in antiquis chartis Wilhelmitae Limburgenses die Wieſenbacher, die Rorbacher Herren, a rivulo praeterfluente, Rorbach, Wiesenbach vocato, et in diplomate Sifridi de Runkel, praepositi S. Severi Gemündensis, fer. III. post festum Omnium Sanctorum 1328, dicuntur fratres de Wandispeche. Stetit hic sacer coetus a saeculo XII. ad saeculum XVI., quo Fridericus Obelech ex villa Derne ultimus fuit coenobitarum rector. Quo ex vivis decedente, fratres dilapsi sunt, bonaque deserti

Digitized by Google

monasterii a Jacobo ab Eltz archiepiscopo occupata, qui tamen vi transactionis de die 3. jul. 1573 domum et bona ad usum hospitalis de S. Spiritu consecravit.

CAPUT XVIII.

Congregatio D. M. Virginis.

Haec congregatio virginum sacrarum, ad primam foeminei sexus institutionem gratuitam, superioribus hujus saeculi temporibus anno salutis 1613 in Lotharingicis orta finibus, indeque per Galliam Germaniamque propagari coepta, sub moderni electoris Caroli regendi auspiciis Luxemburgo Trevirim traducta est, illustrisque capituli et magistratus urbici consensione anno 1652 recepta, in tenui adhuc rerum apparatu, strenuam ad erudiendam juventutem confert operam, cum et in literis et in arithmetica omnique nendi texendique artificio puellari, quasvis tam pauperes, quam locupletes gratuito labore, ad solius Dei honorem et reipublicae commodum exerceat, simulque, quo praecipue hoc studium dirigit ad solidae constantisque pietatis ac virtutis exercitamenta educet. Cujus exordia congregationis legesque et apostolicae sedis approbationem, ut paucis hodiedum innotuere, ita lectori non ingratum erit, nonnulla de ejusdem origine, nostrae archidioecesi perquam vicina cognoscere.

Autor illius primus Petrus Fourier dictus, natione fuit Lotharingus, canonicus quondam regularis ex congregatione Salvatoris D. Augustini legibus professus, quo in munere, ut erat zelo divini amoris honorisque propagandi inflammatus, ordinem hunc tota Lotharingia viventem solutius, reformatoris authoritate praefectus, arctioris vitae disciplinae adstrinxit. Verum diabolus tam bonae sementi sua etiam adspersit zizania, nam ut obsequentes ad pietatem multos, ita reluctantes alios

Digitized by Google

reperit, quibusque impar denique, ad parochialem curam, in castellum Lotharingium Matincourt discessit, atque istic in terra licet minus culta, repente insignes zeli religionisque suae fructus collegit. Inter quos hujus congregationis B. M. Virginis saluberrima institutio, jure quam optimo potest censeri, siquidem uti ingenti tenerae juventutis ad rectam christianae vitae disciplinam instituendae flagrabat desiderio, ita haec identidem exstimulabat cura animum, qua ratione id obtineret, ut foeminae non minus ab aetate prima, citra impensas parentum magnas (quae plures retardant) tam pietate quam literis artificioque omni puellari erudiri studiose sancteque possent: quando Deus quinque e coetu virgineo puellas jam grandiores, atque ad honestas artes liberaliter institutas, eidem stitit, ac sigillatim quaslibet, ac de sociarum proposito ignaras, quae hoc se trahi studio, atque ardore juventutis erudiendae profiterentur. Agnovit igitur vir Dei consilium hoc non aliunde, quam divina providentia fluere, admissas igitur virgines in sacro divi Benedicti asceterio, ad monasticae disciplinae leges perdiscendas collocat. Ipse vero D. Ignatii societatis Jesu commentationibus animum excultus, legibus huic praescribendis congregationi sese dedidit, brevique, quantum pro foeminis opportunum videbatur, juxta societatis normam, ad juventutis cultum formatam, easdem concepit, suoque episcopo et Romanis pontificibus dijudicandas obtulit. Ex quibus Paulus V. illas anno 1615 probavit, Urbanus vero VIII. anno salutis 1628 confirmavit.

A prima vero approbatione domum in urbe Nanzeiana sortitae virgines insigni solennitate et religiosum induere habitum, qui ater est, et juxta praescriptas leges vivendi instituendaeque juventutis operam dedere. Nec multo post vulgato tam religiosi laboris fructu, per vicinas regiones congregationis hujus domus propagatae, ad Luzelburgensem quoque urbem e Metensi receptae, egregia praestitae illic operae commendatione, Treviros quoque translatae sunt, exspectantque faventem hic dexteram, quae in sua tenuitate nascentis parthenonis exordia promoveat.

Digitized by Google

Mater prima, quae partheniae huic sodalitati praesedit fuit Alexia de Clair, virtutis sanctitatisque suae aestimatione a morte, quae in 9. januarii anni 1622 cadit, per obsessorum a daemone liberationem cognita, quorum illecebras singularesque in coepta religione oppugnationes, ut casta, invictaque per vitam mente superavit, ita post fata in aliis etiam superare comperta est, promptum in hac palestra dimicantium praesidium. Altera ab hac, dicta Angela, vitae quoque integritate nominis sui omen implevit, adhuc Petro fundatore superstite, in officium antistitis surrogata, sub cujus per annos 38 praefectae magisterio Luzelburgum ad pientissimae matronae D. Monicae de Busbach viduae Wiltheimianae postulationem transmissae ex hac congregatione virgines, fructum publicis senatus illius literis probatissimum suae istic industriae reliquere, unde et monasterio illic veteri receptae et magna affluentium frequentia honoratae sunt, postquam utilitas hujus instituti per praecipuas patriae illius familias jam explorata constitit.

Porro tam eis proprium est, nihil in laboris scholastici compensationem admittere stipendii mercedisque, ut praeter consueta religionis vota quarta ad hoc voti promissione coram Deo facto obstringantur, ne aliquando spes lucri praesentis, futurae remunerationis, divinaeque inter labores gloriae spectatae pretium decusque imminuat. — Tres numerabat domus congregatio D. Mariae Virginis in archidioecesi Trevirensi, Treviris, Luxemburgi, Longwy. Maria Rosa Pergener, *révérende mère supérieure* in domo Treverica, obiit 1764, cui successit Maria Philippina de Fels, 1773 defuncta. Maria Carlotta de Jaquemin, obiit 1781. Maria Francisca Carove, obiit 1781. Maria Augustina Deprez, anno 1787 defuncta. Maria Rosalia de Jaquemin, obiit 1794. Teresa Reichert, 1794; Luxemburgi, *révérende mère supérieure*, 1762—1768 Maria Clara Schaack, 1769—1780 Maria Teresa Gerber, 1781—1794 Walpurgis de Brahm; in Longwy, 1762 Angelica Mamer, 1763—1765 Scholastica Ungeschickt, 1766—1775 Angelica Mamer, 1776—1782 Scholastica Ungeschickt, 1784—1794 Maria Anna Brassier. —

Digitized by Google

ADJUNCTA.

I. Archiepiscopus Trevirensis Carolus Casparus die 21. augusti 1652 confirmat congregationem monialium B. M. V. Treviris. (1)

Carolus Casparus Dei gratia archiepiscopus Trevirensis, S. Romani imperii per Galliam, et regnum Arelatense archicancellarius, princeps elector, administrator Prumiensis, ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii cura a Deo nobis commissa postulat, ut ad ea vigilantiae nostrae partes sedulo intendamus, per quas sanctimoniales, quae oblitae populum suum et domum patris sui, coelesti sponso adhaeserunt, acrius ut ad instituti sui sanctam prosecutionem animentur eriganturque.

Cum itaque dilectae in Christo filiae Maria Gertrudis Wiltheim, superior, ac moniales congregationis beatae Mariae Virginis sub regula ordinis S. Augustini in civitate Luxemburgensi, nobis et nostrae potestati ecclesiasticae, tanquam archiepiscopi ordinarii, ex delegatione sanctae sedis apostolicae juxta decretum S. concilii Tridentini subjectae, per exhibitum eum in finem supplicem libellum pro firmiori ordinis sui subsistentia, et inviolabili observatione confirmatorio, authoritatis nostrae ordinariae robore, eundem communiri humiliter efflagitent. Hinc nos praedictae congregationis felici consulere statui, dictasque superiorem et moniales specialibus favoribus, ac gratiis prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque

(1) Congregatio sanctimonialium B. M. V. bullam a summo pontifice Paulo quinto calendis februarii 1615 obtinuit, qua congregationi Dominae nostrae conceditur religionem profiteri sub regula sancti Augustini.

Deinde ab eodem summo pontifice Paulo V. bullam pridie nonas octobris 1616 obtinuit, quo institutum congregationis Dominae nostrae approbatur.

Tertio bullam a summo pontifice Urbano octavo d. d. Romae sexto idus augusti 1628 obtinuit, qua regulae et privilegia dictae congregationis approbantur.

Digitized by Google

ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis a jure, vel ab homine latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie authoritate apostolica et nostra absolvendas et absolutas fore censentes, ex certa scientia et matura deliberatione praevia, constitutiones, et ordinationes dictae congregationis (quarum tenorem pro expresso, et hic ad verbum inserto haberi volumus) omniaque et singula in illis contenta vigore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis ordinariae nostrae firmitatis robur adjicimus. Ulterioribus porro praememoratum superioris et sanctimonialium precibus annuere cupientes, gratiose ac liberaliter iisdem concessimus, et harum serie authoritate nostra ordinaria concedimus, ut hac in urbe nostra Trevirensi domum aliquam seu habitationem sibi deinceps conducere, in eaque spiritualia habere exercitia, aliave praestare opera queant, quae ab earundem regula et professione non sunt aliena, declarantes insuper saepedictas sorores, iis omnibus et singulis privilegiis et immunitatibus, queis aliae nostrae dioeceseos religiosae gaudent, uti et frui posse; superiorem interea alium neminem praeterquam nos ac nostros officiales Trevirenses, vel alios de caetero specialiter deputandos visitatores seu commissarios agnoscere, nec non ecclesiastico nostro foro subjectas tantum, ab omnibus vero praestationibus, oneribus et muneribus civilibus et publicis, poenitus exemptas et immunes censeri et esse debere. Hac tamen conditione expresse et specialiter adjecta, quod si praedictae sanctimoniales emptionis aut alio titulo domum sibi propriam hac in civitate futuris temporibus acquirere intendant, et in negotio nil certi ac validi absque nostro consensu et archiepiscopali approbatione praevia statuere aut effectui dare ulla ratione valeant. Omnes caeteroquin et singulos in domino hortantes, adeoque tenore praesentium sub censuris ecclesiasticis districte praecipientes, ut praefatas sorores non modo in hac urbe totaliter tolerare et ecclesiasticis suis, jam nunc per nos confirmatis libertatibus et exemptionibus sine ulla turbatione frui permittant, quin etiam beneficiis eas charita-

Digitized by Google

tivis juvare, atque pium ipsarum intentum quovis modo promovere, omnique benevolentia prosequi velint; facturi in eo cumprimis bonorum omnium largitori Deo, remque nobis longe gratissimam. In quorum fidem praesentes manu propria subscriptas sigilli nostri munimine corroborari fecimus.

Treviris in palatio nostro S. Petri die vigesima prima augusti anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo secundo.

(L. S.) (sign.) Carolus Casparus A. E. T.

II. Capitulum metropolitanum Trevirense assensum suum ad confirmationem praefatam Caroli Caspari archiepiscopi praestitit sequentibus verbis:

Nos praepositus, decanus et capitulum metropolitanae ecclesiae Trevirensis notum facimus ac manifestum omnibus et singulis, ad quorum manus praesentes nostrae pervenerint literae. Cum pro parte superioris et sanctimonialium Luxemburgensis congregationis Beatae Mariae Virginis nobis expositum fuerit, qua ratione ab eminentissimo et reverendissimo domino Carolo Casparo archiepiscopo Trevirensi S. R. imperii per Galliam et regnum Arelatense archicancellario, et principe electore, administratore Prumiense perpetuo, domino nostro clementissimo, die prima augusti labentis anni facultatem obtinuerint, in civitate Trevirensi commorandi, domum inibi aut monasterium pro sua commoditate exstruendi, consuetaque ordinis sui exercitia faciendi, subnexa instanti petitione, ut quemadmodum annis abhinc quatuordecim hanc in urbem a nobis vigore tum gesti, et a sac. caesarea majestate nobis delegati, atque virtute ipsiusmet capitulationis archiepiscopalis juratae per sese devoluti ad nos regiminis provincialis salvo ordinarii jure admissae, atque hactenus toleratae sunt, ita consensu quoque nostro capitulari istiusmodi potestatem archiepiscopalem obtentam magis magisque corroborare vellemus, quod attendentes talem admissionem aeque ac confirmationem non solum ad incrementum honoris, gloriaeque divinae, verum etiam in non exiguam hujus civitatis, totiusque provinciae

Digitized by Google

utilitatem, decus et ornamentum cessuram; consensum nostrum perlubenter impertiti simus, prout quoque harum serie literarum in Dei nomine impertimur, et adhibemus, ratihabendo omnia et singula, quae in concessione suae Eminentiae electoralis de praedicta prima die augusti continentur, non secus, ac si omnia de verbo ad verbum hic inserta essent; promittentes nunquam nos iis contraventuros, sed quantum in nobis erit, dictas superiorem et sanctimoniales perpetuis temporibus protecturos et conservaturos. In cujus rei fidem praesentibus sigillum nostrum capitulare, quo ad causas utimur, appendi curavimus Treviris in capitulo generali nativitatis Beatae Mariae Virginis die nona mensis septembris anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo secundo.

(L. S.)

III. Reverendissimus episcopus Trevirensis Carolus Mannay die 31. julii 1808 monialibus conservationem annunciat congregationis B. M. V. Treviris.

Paris le 31. juillet 1808.

Mes chères soeurs,

Depuis longtems votre maison faisoit l'objet de ma sollicitude spéciale. Je voyois avec peine, qu'un établissement aussi utile fût dans le cas de s'éteindre par le non-renouvellement de ses membres. J'ai sçu dans le tems, que des premières dispositions avoient été prises, pour y rémédier; mais elles vous plaçoient hors de la règle à laquelle vous vous êtes vouées; c'étoit une autre institution que l'on vouloit substituer à celle qui dans notre ville a produit si longtems des fruits aussi précieux; le bienheureux père Fourier eût cessé d'être votre fondateur. J'ai été assez heureux pour détourner l'orage qui vous menaçoit; ces dispositions ont été sans effet.

Mais votre sort étoit toujours précaire; votre maison n'avoit toujours pour perspective que l'extinction successive de ses membres; ainsi l'oeuvre de votre pieux fondateur chanceloit et paroissoit devoir s'anéantir. J'en gémissois devant

Digitized by Google

Dieu; le désir de prévenir ce malheur a été un des motifs, qui m'ont appellé dans la capitale, et mes premières démarches se sont portées vers cet objet. Celui, qui tient dans ses mains les coeurs des hommes, a daigné applanir toutes les difficultés. C'est pour moi une grande consolation de pouvoir vous annoncer, qu'enfin je suis à même, de pouvoir vous obtenir l'autorisation nécessaire; pour que vous continuiez de vivre en communauté, conformément aux règles de votre pieux fondateur, avec la faculté d'admettre des novices. A cet effet, je dois présenter à Sa Majesté un extrait des statuts de votre ordre, signé des religieuses de la maison, au vu desquels le décret d'autorisation sera expédié. Je joins au-bas de cette lettre l'extrait de ces statuts; je l'ai tiré du livre même de vos constitutions, que j'avois eu soin d'emporter avec moi. Je dois observer ici que le décret, que j'espère obtenir, ne permettra que des voeux annuels, mais qui se renouvelleront tous les ans, et sous ce rapport auront l'effet de voeux perpétuels. C'est ce qui a nécessité la modification de l'article 5, qui laisse à celles, qui se réuniroient a vous par la suite, la propriété de leurs biens: mais la clause d'en laisser l'usufruit au commun de la maison, les met dans le cas d'exercer la pauvreté, dans ce qu'elle a de plus précieux aux yeux de Dieu. L'extrait, que je joins ici est très succinct; mais il suffira aux yeux du gouvernement, qui ne demande qu'un apperçu général de votre institut, et ne veut se mêler en rien de votre régime intérieur. Veuillez faire transcrire cet extrait, le signer, et me le faire répasser, pour que je mette le complément à l'oeuvre que j'ai commencée. Je ne doute pas de tout votre empressement à entrer dans mes vues sur ce point.

Vous vous rappelerez dans une sainte effusion de coeur les engagements sacrés, que vous avez pris à la face des autels, et qui plus que jamais subsistent dans toute leur vigueur, aujourd'hui, que la facilité de les remplir vous est offerte. Vous ne voudrez pas détruire l'oeuvre de votre pieux fondateur, en vous opposant aux moyens de la perpétuer; pourroit-

Digitized by Google

il trouver des ennemis au sein même de ses enfants? Il s'agit ici d'assurer à la posterité les bienfaits précieux de cette sage institution, ou de l'en priver pour jamais! Ah! mes chères soeurs, vous péserez devant Dieu la responsabilité qui péseroit sur vos têtes. Au surplus si, ce que je n'ose me persuader, si non-obstant ces considérations si puissantes sur des âmes religieuses, qui vous sont présentées par votre évêque, et avec toute l'autorité que lui donnent sur vous les règles mêmes, auxquelles vous vous êtes vouées, s'il étoit quelqu'une qui voulut renoncer aux engagements sacrés qu'elle a contractés, vous sentirez qu'elle ne pourroit plus rester dans une maison où elle deviendroit une pierre d'achoppement et une occasion de disharmonie. Dans tous les cas veuillez me transmettre l'extrait des statuts avec les signatures qui y auront été mises. Mais loin de moi de penser que vous puissiez hésiter un instant à signer un acte qui doit opérer la restauration de votre établissement. Vous sentirez que vous vous rendrez précieuses devant Dieu et devant les hommes, en vous associant par là à l'oeuvre de votre pieux fondateur. Et si par la suite, et jusques dans les tems les plus reculés, la jeunesse trouve dans cet établissement des ressources pour la former à la piété et aux moeurs, comme le bienheureux P. Fourier vous aurez aussi votre part aux bénédictions et aux fruits qui en seront l'heureux résultat. Recevez, mes chères soeurs, l'assurance des sentiments affectueux que je vous ai voués en notre Seigneur,

(Sig.) † Charles evêque de Trèves.

IV. Extractus statutorum congregationis B. M. V. Treviris.

Statuts des soeurs de la congrégation de Notre-Dame de Trèves.

Art. 1.

La fin de l'association des soeurs de la congrégation de Notre-Dame est d'instruire gratuitement les jeunes filles, de les former à l'amour de la religion, du travail et des bonnes moeurs; et de rendre les mêmes soins à de jeunes élèves dans des pensionnats.

Digitized by Google

Art. 2.

Elles sont gouvernées dans chaque maison par une supérieure, une assistante et trois conseillères, élues tous les trois ans, à la pluralité des voix, en présence d'un supérieur ecclésiastique.

Art. 3.

La supérieure nommera aux autres offices de la maison, avec l'avis de l'assistante et des conseillères.

Art. 4.

Le tems de probation est de deux ans, mais en tout tems, les sujets, qui troubleront l'ordre peuvent être renvoyés.

Art. 5.

Elles conservent la propriété de leurs biens, et sont en tout tems libres d'en disposer, mais elles en remettent l'usufruit au commun de la maison.

Art. 6.

Elles sont soumises en tout pour le spirituel à l'évêque dioccésain, et pour le civil au magistrat des lieux qu'elles habitent.

Nous soeurs de la congrégation de Notre-Dame soussignées considérant, que notre désir, comme notre devoir est de servir de tous nos moyens la religion et l'état, soit dans l'instruction gratuite des pauvres filles, premier but de notre institut, soit dans l'éducation des jeunes personnes;

Considérant combien il nous seroit important, d'être autorisées à nous aggréger de nouvelles soeurs, pour nous seconder et perpétuer après nous la même oeuvre, et voulant d'ailleurs éloigner tous les obstacles, qui pourroient s'opposer à ce que nous fussions approuvées d'après les lois actuelles;

Avons souscrit les statuts ci-dessus rédigés en six articles, que nous réconnaissons renfermer l'essence de nos anciens statuts et nous procurer les moyens de remplir les devoirs de notre vocation.

Suivent les signatures individuelles de toutes les religieuses de la congrégation de Notre-Dame de Trèves.

Digitized by Google

Charles Mannay par la miséricorde divine, et la grâce du S. siège apostolique, évêque de Trèves,

Nous certifions que les statuts ci-dessus sont conformes à ceux de la congrégation de Notre Dame, approuvés par le décret impérial du 19. juin 1806.

Paris le 18. août 1808.

Signé: Charles évêque de Trèves.

Pour copie conforme aux pièces, qui ont été adressées par nous à S. E. le ministre des cultes, le 18. août 1808.

(Sig.) † Charles évêque de Trèves.

V. Decretum confirmatorinum gubernii Franco-Gallici d. d. 20. octobris 1808 conservans congregationem B. M. V. Treviris.

Extrait du registre des arrêtés du préfet du département de la Sarre. Trèves, le 23. novembre 1808.

Vu l'instruction de son excellence le ministre des cultes, en date du 20. octobre dernier;

Le décret impérial du 19. juin 1806 relatif aux dames de la congrégation;

Ensemble les statuts de celles de la congrégation de Trèves;

Le préfet du département de la Sarre, chevalier de l'empire,

Arrête:

Art. 1. Les dames de la congrégation de la ville de Trèves sont autorisées à continuer à vivre en communauté, en formant gratuitement les jeunes filles aux bonnes moeurs, aux vertus chrétiennes et aux devoirs de leur état.

Art. 2. Elles pourront admettre de nouvelles associées en se conformant aux lois de l'empire rélatives aux voeux.

Art. 3. Elles sont placées pour la discipline intérieure sous la surveillance de Mr. l'évêque de Trèves.

Art. 4. Copie des statuts certifiés conforme avec les statuts soumis à l'approbation de sa majesté impériale et royale, restera déposée aux archives du département.

Art. 5. Mr. l'évêque de Trèves est prié de donner communication du présent aux dames de la congrégation.

Il en sera adressée une expédition à son excellence le ministre des cultes.

Signé: KEPPLER.

Pour expédition conforme:

Le secrétaire général de la préfecture

(Sig.) KARSCH.

VI. Circulare R. D. episcopi Caroli Mannay ad R. D. parochos dioecesis Trevirensis d. d. 14. decembris 1808, conservationem congregationis monialium B. M. V. Treviris concernens.

Reverendissimus episcopus noster nuperrime obtinuit conservationem monasterii monialium congregationis hic existentis. Cum hoc sit unicum hujus generis institutum, quo gaudet dioecesis Trevirensis, ac proin magni intersit, ut per religiosae vitae tyrones propagetur; hinc si quae forte sint in paroeciis puellae, quae ad eum statum aptae videantur, id illis discrete DD. parochiarum rectores notificare non graventur.

Treviris die 14. decembris 1808.

Ex mandato.

(Sig.) SCHIMPER, prosecretarius.

VII. Circulare R. D. Josephi ab Hommer, episcopi Trevirensis congregationem monialium B. M. V. Treviris concernens.

Rundſchreiben an die Herren Pfarrer, betreffend das in Trier zum Unterricht der weiblichen Jugend beſtehende klöſterliche Inſtitut der Congregation zu U. L. Frauen.

Es beſteht in unſerer Diöceſe, nebſt dreien Frauenklöſtern, welche ſich mit der Krankenpflege beſchäftigen, nur ein Kloſter, das ſich ausſchließlich dem Unterrichte der weiblichen Jugend widmet.

Dieſes klöſterliche Inſtitut in der Stadt Trier, die Congregation zu U. L. Frauen genannt, beſteht ſchon ſeit 180 Jahren, und hier erhalten 700 Mädchen unentgeltlich Unterricht im Chriſtenthume, Leſen, Schreiben, Rechnen und in den weiblichen Handarbeiten, eine Wohlthat, welche der hieſigen Bürgerſchaft um ſo ſchätzbarer ſein muß, weil ſie ſo vortheilhaft auf die unbemittelte Klaſſe von Bürgern, denen es ſelten an anderen wohlthätigen Anſtalten Theil zu nehmen vergönnt iſt, und deren Fortbeſtand die Bürger von hier nicht allein dringend wünſchen, ſondern für deren Erhaltung das Königliche Hohe Miniſterium ſich auch ſchon ausgeſprochen hat.

Da aber die Zahl der Kloſterfrauen ſo abgenommen hat, daß ſie dem Unterrichte für ſo viele Kinder in die Zukunft nicht mehr gewachſen ſind, ſo iſt es zum Fortbeſtehen dieſer Anſtalt nothwendig, daß die Zahl der Lehrerinen vermehrt werde.

Der fromme Sinn für das Kloſterleben hat zwar in den letzten Zeiten ſehr abgenommen; aber doch ſteht zu erwarten, daß bei der wieder allgemein auflebenden Religioſität es noch manche tugendhafte Jungfrauen gebe, welche lieber in einer geiſtlichen Communität zu leben, und ohne von Nahrungsſorgen gequält zu werden, ſich dem Unterrichte der Jugend hinzugeben, im Stillen den Wunſch hegen mögen, wenn ſie nur die Gelegenheit, dazu zu gelangen, kennten. Darum ergeht an ſämmtliche Herren Pfarrer die Aufforderung, in ihrem Wirkungskreiſe zu forſchen, ob es ſolche Jungfrauen gebe, denen der Antrag angenehm ſein könne, und dieſe Abſicht bekannt zu machen.

Die Erforderniſſe zur Aufnahme in die Anſtalt ſind:

1) Ein Zeugniß der Fähigkeit zum Ertheilen des Unterrichts, ausgeſtellt von einer Königlichen Schulprüfungs-Commiſſion.
2) Nebſt guter Geſundheit und dem gehörigen Alter ein untadelhafter Lebenswandel, Eingezogenheit und ein mehr als gewöhnlicher Grad von Frömmigkeit, bezeugt von der betreffenden Geiſtlichkeit.
3) Eine beſondere Liebe, Unterricht zu ertheilen und die Jugend zur Gottſeligkeit anzuleiten.
4) Demüthige Unterwerfung unter den klöſterlichen Gehorſam.

Digitized by Google

Es iſt kaum zu bezweifeln, daß unter den vielen Jungfrauen, welche jetzt Luſt zum Schulfache zeigen, ſich auch verſchiedene fänden, welche nicht zugleich vorziehen ſollten, in einer geiſtlichen Gemeinſchaft zu leben, die ſie vor vielen andern Unannehmlichkeiten in der Welt ſicher ſtellt.

Wenn daher die Herren Pfarrer ſolche Perſonen in Erfahrung bringen, ſo haben ſie mit einer kleinen Beſchreibung ihrer Anlagen die Anzeige davon an das General-Vicariat zu machen.

Gegeben zu Trier, am 28. Auguſt 1834.

Der Biſchöfliche General-Vicar,
gez. Günther.

VIII. Series monialium praepositarum superiorum et matrum congregationis B. M. V. Treviris.

Noms dés religieuses supérieures du monastère de Notre-Dame à Trèves depuis leur établissement en cette ville, le 21. août 1652.

La R^de^ mère Louise Biver de Dasbourg, professe du monastère de Luxembourg, décédée le 18. novembre 1677, âgée de 57 ans.

La R^de^ mère Susanne-Barbe Biver de Dasbourg, décédée le 17. décembre 1700, âgée de 50 ans.

La R^de^ mère Anne Gruentinger de Trèves, décédée le 9. janvier 1701, âgée de 51 ans.

La R^de^ mère Françoise-Monique de Châteaurénault de Penerot en Lorraine, décédée le 17. avril 1715, âgée de 78 ans.

La R^de^ mère Claire-Marguerite Rapedius de Trèves, décédée le 22. janvier 1724, âgée de 68 ans.

La R^de^ mère Marie-Gertrude Henn de Boulange, décédée le 25. fevrier 1731, âgée de 64 ans.

La R^de^ mère Marie-Angélique de Piret de Bergh, décédée le 2. septembre 1751, âgée de 67 ans.

La R^de^ mère Marie-Rose Pergener de Langroisen, décédée le 19. février 1764, âgée de 82 ans.

Digitized by Google

La R^de^ mère Marie-Philippine de Feltz de Luxembourg, décédée le 29. juillet 1773, âgée de 60 ans.

La R^de^ mère Marie-Charlotte de Jacquemin de Sarreguemines, décédée le 10. août 1781, âgée de 74 ans.

La R^de^ mère Marie-Françoise Carové de Trèves, décédée le 12. septembre 1781, âgée de 63 ans.

La R^de^ mère Marie-Augustine Deprez de Cologne, décédée le 30. septembre 1787, âgée de 66 ans.

La R^de^ mère Marie-Rosalie de Jacquemin de Sarreguemines, décédée le 26. novembre 1794, âgée de 81 ans.

La R^de^ mère Marie-Therèse Reichert de Trèves, décédée le 6. juillet 1810, âgée de 82 ans.

La R^de^ mère Marie-Anne-Louise Cléber de Trèves, décédée le 16. avril 1834, âgée de 71 ans.

La R^de^ mère Marie-Constance de Seil de Luxembourg, décédée le 23. fevrier 1835, âgée de 71 ans.

La R^de^ mère Marie-Françoise Fallis, professe de ce monastère de Trèves, élue supérieure le 27. septembre 1847.

La R^de^ mère Marie-Antoinette Brauch, décédée le 7. novembre 1855.

CAPUT XIX.

Mendicantium ordinum monasteria.

Quamvis religiosorum hominum congregationes in Treverica archidioecesi plures sint, qui mendicantium instituto privilegiisque vivant ac fruantur, cum tamen quatuor praecipue hoc sibi nomen ordines vendicent, qui toto orbe sparsi disciplinae suae usum latissime propagarunt, nobis vulgari etiam hac appellatione standum, historiaeque nostrae cursum prosequendum existimavi.

Digitized by

Mendicantes vero illos ex juris canonici usurpatione religiosos dicimus, qui sive ex regularum suarum praescripto, sive pontificum constitutionibus, indultisque, bona stabilia in communi vita victuque nulla possident, sed piorum hominum liberalitate eleemosynisque sustentantur, licet plures annuis quibusdam redditibus ad monasterii totius emolumentum destinatis apostolica indulgentia fruantur, ut a Tridentini concilii patribus luculente est declaratum.

Porro in quatuor mendicantium familiis antiquioribus recensendis consuetudinem juris imitabimur, quae non tam eorum primaevae institutionis, quam apostolicae approbationis rationem sequitur. Enimvero carmelitarum et eremitarum S. Augustini origines, licet altius quoque repetantur, quam lex historiae forsan patiatur, et utrique Lateranense tertium concilium sub Innocentio III. celebratum, longe antecessisse memorent, dominicanis tamen et franciscanis, circa haec primum concilii tempora enascentibus primas deferri mos est, quod S. Dominici institutum Honorius III. pontifex anno 1217, S. Francisci vero sex circiter post annis tabulis publicis confirmarit.

At vero augustiniani eremitae, qui natum suae religionis institutum in Africa praedicant, autore ac parente D. Augustino, cum sparsis per Italiam domiciliis vitam quodammodo privatam agerent (1), Innocentii IV. monitis excitati sunt, ad communem reipublicae christianae operam, caeterorum religiosorum exemplo, navandam. Inde Alexander IV. diversi generis eremitarum familiis aggregatis, qui S. Guilhelmi et Joannis Boni aliorumque vestigiis inhaeserant, anno 1256 unum quasi ex his corpus conflavit, cui niger amictus, cum latiore ex corio zona. Carmelitani denique eremitae ex Palaestina et montis Carmeli domicilio, quod istic Eliae victuri exemplo fixerant, colonias alio traduxerunt, quos primum Almericus Gallus patriarcha Antiochenus gratia Balduini III. Jerosolymae regis fretus et Bertholdo sanctae vitae carmelitano favens, sub hujus dis-

(1) S. Anton. T. 24. cap. 24. §. 3. Jo. Azor Instit. mor. lib. 12. cap. 13.

Digitized by Google

ciplina anno 1121 legibus S. Basilii adstrictos ad coenobium in Carmelo adduxisse fertur. Ab Alberto deinde Hierosolymitano breviorem regulam seculo XII. anno non satis certo, adepti sunt, et ab Oriente, ob Saracenorum tyrannidem in Italiam commigrarunt, recognitaque sub Innocentio IV. eorum regula est anno Christi 1247, quam tandem Honorius IV. sub annum 1286, cum vitae instituto publica authoritate probavit, et pro versicolore virgatoque pallio quo usi in Oriente fuerant, album amictum imperavit.

Hi subinde omnes diversis, ut videbimus, temporibus locisque in Trevericam archidioecesin religiosorum hominum feracem tolerantemque, admissi, pietatis religionisque in illa decus et egregie tuiti sunt, et magnis incrementis. Hoc praesertim saeculo haeresum per vicinas regiones contagione corruptissimo auxerunt, ut, quod alibi detrimentum ecclesia catholica perpetitur, his utcunque terrarum oris sarciatur. Illo etiam religionis orthodoxae, ex corruptionis vicinia bono, quod purgamenta monasteriorum, ut sunt monachi apostatae, huc tanquam in communem cloacam egerantur, quorum nos vitam moresque adversariis nostris acatholicis describendos relinquimus. Licet enim eorum conversionis principium sane haud illaudabile, quo relictis hujus mundi rebus apostolico Christi nuditatem exemplo secuti sunt, in catholicorum disciplina et religione coeptum fuerit, tamen cum sola perseverantia coronet, hanc a vitae exitu protestantibus quam nobis magis explorato, capiendam duximus, adeoque apostolis novellae illius ecclesiae annumerandos censemus, qui exierunt de nobis, cum non essent ex nobis. Interea nos his praeteritis ad veros consiliorum Christi sectatores per suas classes ac monasteria recensendos, calamum vertemus.

CAPUT XX.

ORDO DOMINICANORUM.

Monasterium Trevirense.

S. Dominicus in Hispania ex nobilissima Gusmanorum stirpe oriundus, principio saeculi XIII., quo heresis Albigensium in Gallis in orthodoxam religionem grassari coepit, ingenti catholicae religionis praesidio inclarescere, eidemque se opponere visus est. Magnis ille primum non doctrinae minus, quam virtutum praestantia viris toti spectabilis Europae in hanc late famam habitationemque instituta ab se religiosorum hominum familiae propagavit, postquam Innocentius illam pontifex recepisset, Honorius uterque ejus nominis tertius confirmasset.

Geminum is primum Romae, alterum virorum, mulierum alterum sub regula S. Augustini, quam sibi suisque delegerat, monasterium instituit. Quae non multo post tempore, incredibili hominum multitudine, ad ejus disciplinam anhelante per universam Europam sunt excitata.

Et Treviros quidem ad illam, quam nunc sedem versus orientalem urbis partem obtinet, jam anno Christi 1223 translatus ordo fuit, ac metropolitanae aedis canonicalem domum, quam moriens Ernestus canonicorum e numero vir excellens cessit, sacro donationem capitulo archiepiscopoque probante, obtinere coepit, quae deinde piorum liberalitate hominum in idoneam monasticae vitae habitationem est transformata, illustrique hac aetate ecclesia ornatur.

Primus qui prioris officio hoc loco functus est, Conradus Argentinensis agnoscitur, doctrinae non minus quam pietatis laude clarus. Memoraturque hisce temporibus adolescens ex praecipua Lutzelburgici ducatus nobilitate, Walterus de Meisenburg, spectatae inter canonicos metropolitanos virtutis, exemplo

sanctioris vitae, quo recens ordo fulgebat, captus, relicto vitae liberioris instituto, in arctiorem sese dominicanorum transtulisse disciplinam, praeclaris illic novellum ordinem sanctitatis exemplis, circa annum Christi 1239 quo claruit, illustraturus, ut nobilium fere ingeniorum est, in quamcunque se aut vanitatis, aut virtutis partem dederint, excellere. Sextum decimum vix egressus aetatis annum religiosae solitudini addictus, et in pietate et in literis adeo secundis conatibus provectus est, ut caeteris lectoris, ut vocant munere erudiendis, deinde et prioris authoritate regendis praefectus sit, quo officio ut sancte, ita variis locis functus est.

Nec pauca sunt, quae de eo referuntur in annalibus digna, quorum nonnulla inseremus. Friderici comitis Viennensis (qui Lutzelburgicae ditionis locus) viduam Walterus a seculari vita ad cisterciensis instituti leges traduxerat, quae primo religionis fervore nonnihil refrigescente, cum gravissimis demonis pulsaretur insultibus et Waltero curae esset, ne a precoeptis absisteret, sathanam, Deo aperiente oculos, ad latus improbe exstimulantem deprehendit, quem ubi vir Dei verbis illis salutationis angelicae, quae ad omnem casum tanquam praecipuum salutis munimentum obvertebat *benedictus fructus ventris tui*, repente vis ac tentatio omnis cum ipso malorum authore evanuit.

Non minoris virtutis argumentum, quod ad B. Yolantham Viennensis quoque Henrici, qui pater Friderici fuit, comitis filiam, honoratis sponsalibus destinatam, Christo sponso addicendam convertit. Romanorum haec imperatorum sanguinis cognatione et cura familiae per illam propagandae attigisse fertur, illa vero jam nobilioris et immortalis sponsi amoribus per Walterum pie conciliata animum affectumque ad parthenonem Vallis S. Mariae dominicanorum disciplinae addictum, transtulerat, de qua tradita in annalibus consulere licebit, cum admirabili constantiae patientiaeque exemplo, matri, patri, consanguineis, extrema quaeque vi et fraude molientibus, virgo gratissima et mundo aptissima, uni sponso Christo addictam fidem servando restiterit, ut mater ipsa exemplo demum tam

Digitized by Google

filiae, quam Walteri cohortationibus, quod in illa damnaverat, solitariae vitae institutum ut ante vidimus complexa, mundi vanitati obnuntiaverit.

Haud multo post Walterum anno salutis 1240 claruit illustre ejusdem ordinis sydus Arnoldus, patria Trevirensis, Friburgensi prioratu celebratus, quem ut Hugo de S. Theodorico ejusdem ordinis cardinalis, integritate viri delectatus, secum Romam abstraxerat, alium sibi priorem haud quaquam dari monachi passi sunt, dum hic unice desideratus omnibus, redderetur. Quis quantusque in contemplatione rerum divinarum fuerit, satis, opinor, ex divinis ostentis elucescit. B. ille Jordanum, laudatissimum sui ordinis magistrum vita hoc mortali defunctum, per angelorum manus inter apostolorum et prophetarum choros, coelesti vidit curiae inferri, jucundissimo contemplantis animi spectaculo. Sed et ipse etiamnum vivens sibi praeparatae in coelo felicitatis haud anceps indicium hausit, etenim vitae alterius desiderio inflammatus, cum frequentibus a Deo suspiriis electionis suae argumentum aliquod anxie flagitaret, Christus illi in forma prae filiis hominum speciosa, coelesti gloria circumfusus, apparuit, librumque, quem pectori impositum ferebat, explicare ac volvere jussit, cujus ubi vertisset folia, nomen suum aureis inscriptum literis contuitus prae gaudio exiliit, ac deinde toto pectore ejus amorem excepit, in verbis ac moribus ubique expressum.

Floruisse vero hoc seculo imprimis monasterium hoc Trevericum prae caeteris inferioris Germaniae praedicatorum familiis indicio est, quod universale totius ordinis comitium anno 1249 hic fuerit, et a viro magnae sanctitatis authoritatisque, B. Joanne Teutonico (cujus egregias dotes ac charismata divina praeter ceteros Cantipratanus exponit), praedicatorum generali, institutum. Nec multo post alter generalium magistrorum, Joannes Vercellensis anno 1266, atque longe celeberrimum, ex universo ordine conscriptorum patrum concilium Munio Zamorensis Hispanus, septimus ordinis magister Treviris anno 1289 coegit. Quale illud, quantumque fuerit, non abs re futurum putem, se verbis Stephani Sampayi scrip-

Digitized by Google

toris fide digni commemorem. Scribit is in stemmate ordinis praedicat. p. 236 nonnulla, quae, cum mihi ad manum autor non sit, fide P. Antonini Schauff, historiarum sui ordinis apud Confluentes peritissimi, cujus beneficio pleraque haec possideo, adscribam: »In eo (Trevirensi nempe capitulo) quingenti, ait, »fratres numerati sunt et trecenti famuli, quibus omnibus et »multis aliis incidenter confluentibus, laute omnia necessaria »fuerunt ministrata. Rex enim Angliae et regina de omnibus »fratribus munifice providerunt. Rex enim Bohemiae rogavit »magistrum ordinis, ut futurum capitulum in regno suo cele»brare dignaretur, qui et ipse offerebat se omnibus fratribus »de omnibus necessariis provisurum pro solemnitate capituli. »Illustris etiam princeps Carolus, regis Apuliae filius, per »literas suas humiliter et devote in eodem capitulo petiit dari »sibi quinquaginta fratres, quibus ipse libenter volebat et »domos construere, et de omnibus necessariis ad victum et »vestitum providere. Patriarcha etiam Constantinopolitanus »misit ad idem capitulum rogans humiliter, ut ei mitterentur »fratres, qui Graecam linguam vellent addiscere, quia paratus »erat libenter centum studentibus praedicatoriae familiae pro»videre de necessariis expensis,« unde facile arbitretis, quanta totius ordinis id temporis aestimatio amorque apud omnes late nationes ad orientem solem usque penetraverit, et quanta Treverici conventus fama celebritasque ubique terrarum invaluerit. Quod deinde subjicit, benevola divini Numinis non caret providentia.

»In hoc tertio capitulo, ait, Trevirensi tertio, contigit idem »miraculum piscis sturionis, nam pauper quidam piscator in»venit circa litora in aqua quendam sturionem latitantem, »quem postquam interfecit, ad terram extrahens, vix, cum »quadam sorore sua reptando, pertrahere poterat, qui visus »a populo non sine novitatis admiratione, a devotis civibus »emptus est, atque honorifice praesentatus religiosis patribus »capituli, qui a carnibus stricte abstinebant, fuitque laudis »Dei, laetitiae honestae et ordinis gloriae occasio non parva.« Concludit P. Antoninus memorata verbis sequentibus: »Mirum

sane est, nec casu aut fortuito factum censeri debet, quod tribus illis vicibus, quibus in ea urbe comitia ordinis fuerunt habita, semper repertus fuerit istius generis piscis, alioquin admodum eo loco rarus.«

Illustravit hunc ordinem quoque Dietherus Trevirorum inter Boemundum et Balduinum medius archiepiscopus, nobiliori regimen suum fama decoraturus, nisi eum aut vita destituisset, aut tam illustribus collegis infelicior ipse cinctus fuisset. Ex Nassoviorum is familia Adolphi imperatoris frater, honorum opumque hujus mundi fastidiens, perfectioris vitae studio in florentem ea tempestate dominicanorum familiam Metis sese abdidit. Ubi praeter virtutis studium illam sapientiae divinae impendit operam, ut theologicis jam disciplinis publice tradendis idoneus magister pronuntiatus sit. Verum a scholasticis hisce curis avocatum Romanus pontifex Bonifacius VIII. objiciendum fratris sui Adolphi interemptori, Alberto regi censuit, quo nomine eductus ab ordine Trevericaeque admotus infulae, quas vitaverat mundi turbas, cum admissis honoribus incurrit. Etenim cum Alberto longe imparibus obniteretur viribus, praesidiisque armorum, et opum ad hanc rem necessariis, amicam magis patriam, quam hostem premeret; illius odium incurrit, hujus non evitavit. Quocirca Treverici se primo cives, deinde et Confluentini raptis armis suo objicere principi, ut jam adversarius extra patriam quaerendus non esset. Pauperum tamen religiosorum non immemor, collectas cum his opes partiebatur, ut ostenderet non privatis sed publicis sese utilitatibus intentum, anxia habendi cupiditate minime teneri. Interea suorum pressus subditorum odiis, hujus jam vitae fastidiens post septennii principatum concessit fatis, religiosae disciplinae humilitatisque etiam in mitra sectator, quem latius in annalibus, suo Browerus colore expressit. Antonius Eschius in annalibus Metensium, cum tradidisset in eleemosynis largiendis tam profusum fuisse, ut curia pontificis horreum publicum visa sit, hos de eo versus subjicit:

Est honor hic patriae, domus est et gloria nostrae
Nec minus illustris, divitiisque potens.

Regia nobilitas insignit nempe parentes,
Cujus et externis laus bene nota locis.
Paruit ille Deo, terramque genusque relinquens,
Dominici subiit religionis onus,
Metis agens tandem Christi clementia praesul,
Gallorum primas Trebericumque decus.

Treviris in aede dominicanorum monumentum cum epigraphe (uti suo in annalibus loco ad annum 1307 Browerus expressit) delegit potius, quam in metropolitana basilica, ut quos magis amasset, ornassetque vivus, non desereret mortuus.

Media subinde duo saecula ignorata propemodum, nisi nomina paucorum ex coenobio hoc, qui morte effluunt, nam superioris seculi heretici per vastatorem Brandeburgicum in urbem perducti, nihil prius habuerint, quam religiosorum domus, eorum prisca scriptorum monumenta exscindere, ne quod superesset priscae religionis, in monasteriis potissimum custoditae vestigium.

Proximum tamen dominicanis seculum anno 1546 florentissimum doctrina virum, perque universam Germaniam celebrem P. Ambrosium Pelargum metropolitanae aedis ecclesiasten dedit. Hic ut erat omni scientiarum genere apprime excultus, Graecaque non minus quam Latia eruditione promptus, ac fidei catholicae illa aetate gravissime labefactatae per Lutherum, acerrimus propugnator, non paucis eandem scriptorum voluminibus egregie defendit. Nam ut Wilhelmus Eisengreinius in catalogo orthodoxae matris ecclesiae doctorum scribit:

1. Adversus Joannem Oecolampadium de missae sacrificio doctum volumen edidit.

2. Symbolum Nicenum et S. Joannis Chrysostomi liturgiam ad exemplar D. Simeonis, quod Treviris possident, transtulit, adjecta doxologia Graece simul Latineque quae in missae sacrificio precibusque matutinis usui priscis fuit.

3. De sacrificio eodem conflictatiunculam Pii et Misoloturgi.

4. De eodem Latine et Germanice ad senatum Basileensem.

5. In Eleuthero baptistas, lib. 1.

6. Refutationem consilii Oecolampadiani de differendo

parvulorum baptismo usque ad aetatem, qua lallare incipiunt, lib. 1.

7. Adversus Iconomachos, lib. 1.

8. An fas sit in anabaptistas adeoque haereticos animadvertere, lib. 1.

9. Bellaria epistolarum ad Erasmum Roterodamum vicissim missarum.

Annotationes quoque in dicta ab Erasmo Roterodamo non orthodoxe adducta scripsit.

10. De morte non timenda libellum, nondum prelo commissum.

11. Dialogum virorum ac mulierum lutheranae sectae antesignanorum.

12. De coelibatu sacerdotum eruditione plenum librum conscripsit.

13. Diversas conciones et exegeses in libros bibliorum. Michael Pius in personis illustribus ordinis praedicatorum, de scriptoribus ad annum Domini 1546 ita concionum libros partitur. Unum dicit esse sermonum de tempore librum, alterum de Sanctis, tertium sermonum quadragesimalium. Quiescit in ecclesia praedicatorum Treviris ante S. Theodulphi aram sepultus. Vir immortali etiam a morte dignus laude et inter concilii Tridentini theologos, quibus ut archiepiscopi Trevirensis legatus, adfuit, celebratus.

Reliquiae conventus Treverici.

Reliquiae hujus templi diversae, uno tamen S. Theodulphi abbatis Remensis corpore per mille et amplius annos nondum prorsus corrupto, aestimationem venerationemque merentur. Hunc enim saeculo Christi VI. breviter a Chlodoveo Francorum rege egregia sanctitatis opinione floruisse annales memorant sub abbate Theodorico S. Remigii. Porro ex Britanniae optimatibus ortum, apostolicae vitae studio relicta domo patria in solitudinem montis Ori haud procul Remis abdidisse sese, reique rusticae ac sacrarum rerum contemplationi deditum,

Digitized by Google

post Theodoricum abbatiali functum munere, pluribus qua mentis qua corporis sanitatem varia morborum cura impertiisse, dum nonagenarius merito tamen bonorum operum, quam aetate provectior revelato sibi transitu inter coenobitarum manus cal. maji animam creatori suo laetus redderet. Illius sacrum pignus S. Lutwinus Trevirorum archiepiscopus urbi suae intulisse fertur ex S. Dionysii apud Rhemos ecclesia, de quo in annalibus plura. Sed et Cantipratanum de illo loquentem audisse juverit, qui ultimae translationi anno 1240 factae sese adstitisse testatur. »*Vidimus* ait *corpus* cujusdam Sancti, quod annis ferme sexcentis integraliter manserat incorruptum, nam in urbe Germanica Trevirensi, totius Europae antiquissima civitate, structura quaedam mirabilis erat (juxta portam albam in templum SS. Trinitatis conversa) quae Helenae Constantini matris palatium dicebatur. Hoc ne ab inimicis praeoccuparetur in periculum civitatis, a civibus est destructum, in cujus latere a parte aquilonari oratorium parvum inventum est, in quo altare ex alabastro candidissimum erat, et in latere dextro sepulchrum. Haec vero scriptura in pariete super sepulchrum legebatur:

Sancte Theodulphe nostri petimus miserere.

»Ad sepulchrum ergo civibus adunatis vocati sunt fratres praedicatores, et ego casualiter superveni. Deposito autem lapide corpus invenimus incorruptum et apto schemate, ad cooperiendum naturae secreta manus super verenda demissas. De permissione vero civium, manum ejus dexteram, quam in sacrificio corporis Christi vivens extenderat, mox abscidi et in Lovanium patribus praedicatoribus dedi. Hujus reliquias capillorum et unguium in antiquissimo monasterio jam dictae civitatis, quod Horreum dicitur cum superscriptione veteri et aliis reliquiis sanctorum inveni. De hoc beatissimo viro et fratre ejus Theodorico, qui in alia parte structurae supradictae incineratus inventus est, fama antiquissima ferebatur, fuisse ambos filios cujusdam imperatoris Romani. Quorum B. Theodulphus adhuc puer jussu avunculi filiam regis Britaniae

desponsaverat, cumque adolescens factus spe gratioris vitae sponsam nollet accipere in uxorem, sed virgo in perpetuum remanere, caesar indignatione permotus, illum de patria expulit, qui Trevirim veniens et habitum monachalem suscipiens, quasi in arctissimo specu, in loco quem diximus, se reclusit. Erat autem et lectus ejus lapideus, cum cervicali lapideo, juxta oratorium, quod praedixi. Hunc vero secutus creditur frater ejus, vitamque beatam in eodem loco duxisse. Decreto autem et consilio populi civitatis S. corpus in ecclesiam fratrum praedicatorum translatum est.« Haec ille, quae ut cum Flodoardo aliisque Ms. non pugnent, sentiendum est ex consanguineis Rom. imp. in Britannia natum, inde quoque exulasse, ac primum Treviros, deinde ad Ori montis solitudinem, postea ad Remensem infulam pervenisse: atque eo demum huc nomine, post mortem a Lutwino, quod hunc olim locum incoluisset. Certe dominicanorum ecclesia hoc tam nobili pignore, multo quam muris basilicoque ornatu illustrior existimanda est, memoriaeque proditum est, tum praecipue hujus monasterii res effloruisse, cum eximius venerando huic pignori honos impenderetur. Secus ubi languente disciplina obtorpescerent, et domesticis dissensionibus scinderentur res quoque fortunasque domus retro labi coepisse, quas tamen, qui hoc tempore sustinent, fulcire atque instaurare digno pietatis religionisque studio memorantur.

CAPUT XXI.

Monasterium Confluentinum.

Quorum Browerus exordia apud Confluentes anno constituit 1233, illorum Antoninus ex suis annalibus possessionem biennio anticipat, censetque miraculum lagenae vacuae rursum

vino, post hospites dominicanos liberaliter habitos, oppletae apud Cardonensem agricolam in Mosella inferiore spectatum, ac patribus Confluentiam jam receptis accidisse, quod Cantipratanus anno 1231 factum exponit. Michael Pius id certe loco Confluentinae urbi vicino evenisse statuit. Verum leve illud dissidium ita facile componemus, si hoc anno ad urbem admissos, illo, monasterio jam excitato incolere dominicanos coepisse statuamus, solenni inauguratione loci fretos.

Caeterum rerum apud Confluentinos, cum virtute aut secus, gestarum annales vel incidere injuria temporum vel incuria scriptorum. Si pauca demas, sunt neglecta, vel denique incendio anni 1441 consumpta. Ex illis, quae apud alios fere scriptores supersunt, nonnullas illustrium ex hoc asceterio prodentium virorum imagines levi manu penicilloque adumbrabimus, cumque primorum fere seculorum istic patres, nascentis utique religionis exordio, ut fieri amat, egregia virtute, scientiaque clari, ingrata oblivionis nocte posteris erepti sint, ad sequentia nos tempora vertemus.

Reginaldum quendam Confluentinae congregationis dominicanum, paucis verbis celebrat ad annum Christi 1400 Joannes Lopez, episcopus Monopolitanus, in historia ordinis praedicatorum generali his verbis: »Coelos petiit f. Reginaldus Ss. theo»logiae magister et professor, in conventu Confluentino, con»cionator non minus quam doctor celebris, qui suis concionibus »ingentem animarum fructum fecit.« Alterius haud multo post florentis Petri Confluentini, quod ab urbe patria nomen hausit, memoria apud diversos scriptores eminet, ille enim quamvis Basileae in praedicatorum disciplinam receptus sit, tamen haustum in natali solo pietatis amorem, innocentiaeque huc traductae candorem patriae debet, agnitoque istic primum S. Dominici instituto. Hic angelica, ut semper vita, ita aspectu saepe fruitus, didicit inter varias, quas sustinebat, tentationes, custodiam sibi coelestem non deesse. Habuit tamen et aliorum sibi coelitum delectum, praesensque patrocinium. Ex quibus praeter Deiparam S. Ursula eximia omnium pudicitiae illius insidiantium triumphatrix. Quod expertus est,

cum ante crucifixi imaginem, in gravi tentatione, pronus ejus sibi praesidium et intercessionem apud Christum ardentissime flagitaret, adstitit enim invocanti D. Ursula illustri virginum martyrumque choro stipata, quae sacrum eidem amuletum, ad quasvis tentationes vincendas, ingenti Petri solatio, nec fallente unquam eventu suppeditavit. His igitur victoriis cum laetus ovansque in hoc vitae cursu extrema in meta consisteret, suavissimum jam moriturus risum ridere visus est, rogatusque insolitae inter dolores laetitiae causam, respondit, quid ne laeter rideamque gaudens. En diva Ursula cum illustri virginum coetu me ad coelum invitat, simulque animam corpore solutam in exoptato hoc consortio immortalibus sociavit.

Plurium quoque episcoporum ex Confluentino asceterio emergentium gloriam participant, qui ad virtutum scientiarumque, quibus infulae deferuntur, rudimenta profectumque opem atque operam contulerunt. Habent primo Confluentiae patres dominicani illustres diversarum ecclesiarum praesules, quos suo in sinu educatos, literis non minus quam virtutibus excoluerunt.

Ex his inter primos notus Joannes Schadlandt, quem Colonia suo nascentem excepit gremio, Confluentia renascentem per religiosae vitae professionem Deo. Hic doctrinae merito sacrarum scripturarum doctor et haereticae pravitatis inquisitor aestimatione etiam virtutis clarus. Accessit his prudens expediendarum rerum circumspectaque ratio, quibus animi dotibus legationi pontificiae arduis in negotiis admotus, cum omnia ex voto peregisset, Culmensis episcopus creatus est, nec multo post Hildesheimensi quoque admotus pedo, cumque obortis in vicinia bellis libros prae gladio tractare mallet, hoc se onere magis quam honore absolvi, supplicibus ad pontificem literis postulavit; ferunt principio ad hunc episcopatum introitus, ex proceribus sciscitatum: num quam istic possiderent illustrem bibliothecam? tum vero simulate quosdam ad suum deduxisse armamentarium, atque isthanc bibliothecam esse praecipuam, cui episcopo Hildesheimensium adversus plurimos invasorum opus sit respondisse. Quod cum denique expertus disceret, cedendo quam pugnando quietem maluit

obtinere. Postquam vero eidem pontifex Augustanum simul et Wormatiensem episcopatum detulisset, illumque pari bellorum discrimini obnoxium deprehendisset, eodem quoque dimisso, tenuiorem ac solum Wormatiensium cum pace, quam locupletem redituum proventum cum bello praeoptavit.

Felicem ejus apud Confluentes ex hac vita ad annum 1373 excessum monumentumque Browerus in annalibus hoc loco signavit, cui haec nostra minus ab illo explicata addere visum est. Et librorum amator sine conscriptis libris non obiit, nam volumen edidit de SS. Trinitate, sermones etiam in Sanctorum honorem plures, idibus augusti vita ac munere functus est.

Alter episcoporum ex Confluentibus oriundorum, fuit Bertramus episcopus Thefelicensis, Metensis episcopi suffraganeus, cujus sepulchrum juxta summum altare ad sinistram Schadlandi ad dexteram monumento oppositum, hac inscriptione visitur: *Haec sepultura est Bertrami episcopi Thefelicensis fratris hujus conventus Confluentini, demissa sepultura sua quam fieri fecit in conventu Metensi, ad sinistram manum chori, qui obiit 1387 die 11. januarii. Requiescat in pace.* Nempe locum, ubi primis enutritum religiosae vitae alimentis se noverat, hunc ceteris, licet ad exercitationem virtutis nobilioribus, praetulit. Hujus Tritthemius encomium paucis verbis, sed eximium pertexuit. Bertramus, inquit, episcopus Thefelicensis, ordinis fratrum praedicatorum, natione Teutonicus, Metensis episcopi in pontificalibus vicarius generalis, vir divinis scripturis eruditus, et inter doctores sui temporis famosissimus, ingenio praestans et clarus eloquio, declamator quoque sermonum egregius, scripsit ad Cunonem archiepiscopum Trev. insigne opus:

1. De illusionibus daemonum, librum I.
2. De schismate ad eundem, lib. I.
3. Sermones varios et plura alia.

Tertius Joannes de Monte episcopus Azotensis, eisdem quoque monasterii incunabilis ad religionis curam educatus,

ibidemque postremam haud procul a sacristia sortitus a morte quietem cum hoc elogio: *Anno Domini 1442, 17. mensis decembris obiit R. in Christo pater DD. Joannes de Monte episcopus Azotensis administrator ecclesiae S. Wendelini sacraeque theologiae professor ordinis praedicat. cujus anima requiescat in pace. Amen.*

Fuit autem, ut annales domestici referunt, a Monte carthusiensium oriundus et theologicae facultatis eximius magister professorque in universitate Pragensi, sed hac demum ob factiones erroresque relicta, Coloniensium exedris theologicis magis delectatus est, rectorque ejusdem facultatis, aestimatione doctrinae virtutisque effectus, hinc demum nominis celebritate latius inclarescens, ab Ottone Trevirensi archiepiscopo in episcopum Azotensem et ecclesiae S. Wendelini administratorem assumptus est, quo in munere gloriose supremum diem clausit.

Quartus Henricus Kalteisen patria Confluentinus ibidem praedicatorum ordini disciplinaeque authoratus est: tantisque divinarum scientiarum incrementis sensim provectus, ut post doctoralem in theologia pileum professionemque admissam princeps facile suae aetatis theologorum habitus sit, ac disertissimus praeter haec orator pro concione admiranda facundia dissereret. In Basileensi concilio adversus Hussitas continua trium dierum disputatione fortissime pugnavit. Inquisitor haereticae pravitatis primum deinde et S. apostolici palatii magister, denique archiepiscopus duarum provinciarum Nydrosiensis et Caesariensis apostolica authoritate est designatus. Post varios denique in ecclesia Dei exantlatos labores Confluentiae anno 1465 die octobris 20. extremum spiritum duxit, sepultusque quievit, doctissimis etiam a morte commentariis cognitus, in quibus sunt:

1. Expositiones in canticum Deiparae.

2. Sermones plurimi ad populum docte non minus quam eleganter conscripti.

3. Collationes ad clerum et quaestiones variae, aliaque complura.

Quintus Henricus a Rivenaco Confluentini agri vico, unde nomen traxit. Hic adolescens in asceterii Confluentini disciplina literisque enutritus, tam capaci animo excepit omnia, ut post theologici doctoratus honores inquisitor haereticae pravitatis effectus, denique Venicomponensis episcopus, et Coloniensis archiepiscopi suffraganeus delectus, eximiae in hisce officiis sapientiae laude claruerit. Quiescit Confluentiae in chori medio humili sepulchro cum hac epigraphe sepultus: *Hic jacet R. in Christo P. et DD. Henricus de Rivenaco, magister theologiae inquisitor haereticorum ord. praedicat. episcopus Venicomponensis, filius hujus conventus. Obiit anno Domini 1493 die 14. octobris.*

Huic vicino in sepulchro adsitus episcopus Azotensis hujus originis sextus Otto a Senheim, Confluentinus patria et ordinis dominicani professione Ubius. Cujus hoc epitaphium: *Anno 1662 die 2. novembris obiit Rd^mus in Christo P. et Dñus Otto a Senheim ord. praed. SS. theologiae doctor episcopus Azotensis Em^morum et Rds^morum archiepiscoporum Trevirens. Philippi Christophori et Caroli Caspari suffraganeus et in pontificalibus et spiritualibus vicarius generalis. Requiescat in pace.* Vir minime malus, sed felicior futurus, nisi iniquis huic officio temporibus admotus esset, quibus alieno magis genio quam proprio ingenio erat obtemperandum, diem ultimum in Lacensi infra Confluentes abbatia clausit, dum visitationis episcopalis gratia dioecesin obiret, ad rationes vitae evocatus ipse, dum ab aliis exigeret.

Celebrantur praeterea excellentis in hoc monasterio eruditionis viri e quibus »Reinhardus de Fronthowen Germanus« (Eisengrenii verbis loquor) »ordinis praedicatorum apud Con»fluentiam Rheni et Mosellae, vir cum confessionis gloria tum »vitae et conversatione plurimum insignis, theologus profun»dus, sermones plures ad populum habitos scripsit,« ejusdem apud Tritthemium laus est.

Alter Henricus de Hagenburg, ut idem Tritthemius ait, »ordinis frat. praedicat. natione Teutonicus, in declamandis

»ad populum sermonibus excellentis ingenii, et celeberrimae »opinionis. Scripsit pro directione simplicium sacerdotum non »abjicienda volumina, e quibus extant:

»1. Sermones de tempore lib. I. et sermones de Sanctis lib. I. »Claruit in conventu Confluentino, ubi varia composuit.«

His igitur acquiescimus, dum locupletiora ex veterum annalibus suppeditentur.

Extractus annalium conventus Confluentini.

Postquam sacri ordinis nostri recenter confirmati fratres ex Gallia Treviros venerunt, et anno 1223 (ita illustrissimus suffraganeus Trevirensis ab Hontheim in annal. Trev. tom. 1. pag. 730) Friderico II. imperatore, et Arnoldo II. archiepiscopo feliciter regnantibus, domum canonicalem a quodam ecclesiae metropolitanae canonico ac viro benevolo Ernesto, sub gratioso archiepiscopi et capituli Trevirensis consensu iisdem oblatam, in monasticae vitae habitationem pararunt: zelo verbi divini praedicandi in salutem animarum accensi, Confluentiam venerunt, et secundum Browerum, annal. Trevir. tom. 2. lib. 15. num. 154. anno 1233 in hac ecclesia spatio decem annorum aedificata fratres nostri in ipso festo paschatis primum summum sacrum in omni cordis laetitia, ac vocis exaltatione applaudente populo cantaverunt: prout in fornice a latere dextro chori aureis his literis insculptum cernitur: In dießem Jahr, da man ſchrief von Chriſti Geburth MCCXXXIII. ſungen die Brüder dießes Cloſters die allererſte Meeß auf den H. Oſter-Tag in dieſem Prediger Cloſter, id est: Anno nativitatis Christi 1233 cantarunt fratres hujus monasterii primum summum sacrum in festo paschatis in hoc conventu fratrum praedicatorum. Locum ad ecclesiam uno cum conventu aedificandam liberaliter concessit gratiosa pro tunc liberorum baronum ab Eltz, modo S. R. J. comitum excellentissima familia, cujus liberalitati, ac gratiosae munificentiae structura et fabrica ecclesiae ut plurimum adscribenda erit, eo quod in fornice ecclesiae

ejusdem avitae ac nobilissimae familiae, illiusque agnatorum hodiedum cernantur insignia. Quae pariter gratiosissima familia successive pro sustentatione hujatum fratrum bona, id est, agros, census et similia assignavit; ideoque auditur etiamnum eadem familia, et est fundator conventus nostri Confluentini, talisque jure optimo honoratur. Siquidem tam in summo altari ab imo usque ad verticem ex puro lapide, mixto marmore affabre elaborato, et anno 1620 extructo, quam in reliquis minoribus altaribus hujus excellentissimae familiae non solum insignia, et agalmata, sed et altaria ipsa cum antipendiis, aliisque sacerdotalibus pretiosis paramentis decorata spectantur.

Pusillus ab initio ecclesiae et domus fuit fratrum numerus, supellex curta nimis. Quare Innocentius IV. anno 1245, 26. junii ad supplices pauperum fratrum preces bullam, quae incipit: *Quoniam, ut ait apostolus, omnes stabimus &c. &c.* emanari fecit. Apostolico hoc mandato non minus, ac bono omnium virtutum exemplo, quod fratres dederunt, id tandem effectum est, ut fideles hujus civitatis in- et accolae mutua sese charitate animantes, alter alterum subsidiis charitativis ad perficiendam ecclesiam, conventumque aedificandum praevenire studuerint. Ad finem tandem perducta ecclesia anno 1260 dominica 2da post oct. pasch. in honorem SS. Joannis Baptistae, et Mariae Magdalenae solenni ritu consecrata est, frequentique populi ad rem divinam concursu, ex post multum celebris. Factum est exinde, ut fratres Deo chari hominum quoque amorem promererentur. Familiae nobilissimae (quas inter jure optimo primum sibi locum vindicat excellentissima familia L. B. modo S. R. J. comitum ab Eltz-Kempenich) perillustres familiae de Boos a Waldeck, comitum de Kratz &c. &c. in ecclesia nostra sepulturae sibi locum petierunt. — Viri nobilitate, scientiaque ac pietate illustres summo sibi honori duxerunt candido ordinis habitu decorari. Antiqua aeque ac renovata mortuorum tabula id abunde testatur. Sic legitur, quod modo anno 1259 obierit A. R. P. Elias quondam prior hujus conventus. — 1263 A. R. P. Joannes de Daussenau

Ss. theol. baccalaureus. — 1267 A. R. P. Joannes de Carpentariis concion. et P. h. C. — 1278 A. R. P. Conradus prior et filius h. C. — 1285 A. R. P. Arnoldus prior h. C. — 1291 R. P. Balduinus de Hartenburg lector. — 1297 R. P. Josephus de Bettendorf subprior. — 1302 A. R. P. Jacobus confessarius familiae ab Eltz et filius h. C. — 1338 R. P. Joannes de Limburgo, eminentissimi archiepiscopi Trevirensis Balduini confessarius, filius hujus conv. — 1350 R. P. Waltherus Machusius, ejusdem archiepiscopi confess. et filius hujus conv.

Ex illustrissima familia von der Leyen sive de Petra habitum ordinis susceperant R. P. Henricus, R. P. Ludovicus, R. P. Hermannus et R. P. Adimarus, qui ultimus ab Urbano V. creatus episcopus Bethlehemiticus obiit in Palaestina.

1372 A. R. P. ac dominus Joannes a Schadeland de Colonia, haereticae pravitatis inquisitor, episcopus ecclesiarum Culmensis, Hildeseimiensis, Wormatiensis et Augustanae.

1374 A. R. P. Joannes de Bassenheim.

1387 A. R. P. ac dominus Bertramus Paschesius episcopus Thephelicensis, episcopi Metensis in spiritualibus vicarius, vir in divinis scripturis multum eruditus, et inter doctores sui temporis famosissimus, ingenio praestans et eloquio clarus.

Ex adducta virorum horum serie patet conventum nostrum de saeculo in saeculum talibus semper floruisse ingeniis, quae conventui honori, proximo utilitati, divino vero honori promovendo aptissima fuerunt instrumenta. Ab initio fundationis usque ad annum 1441 serena semper conventus nostri facies fuit, nec ulla miseriarum nube obducta, siquidem sub diversorum archiepiscoporum et electorum Trevirensium, in- et accolarum piis et respective gratiosis favoribus spiritualibus sic profecerat incrementis, ut temporalibus non destitueretur auxiliis. Verum quam subito mutata est rerum facies, quam tristis se oculis scena exhibuit! Accidit, nescio, quo fato, ut primus fratrum conventus infelici incendio in cinerem redactus sit. Sicuti ergo Innocentius IV. pro prima ecclesiae et con-

ventus erectione ad Christi fideles apostolica dedit rescripta; ita Eugenius IV. dicto anno 28. novembris conventui iterum reaedificando pastorali sollicitudine per bullam, quae incipit: *Humilibus et honestis supplicum votis &c.* succurrere voluit. Secunda itaque conventus Confluentini structura et inchoata et consummata est tum propriis expensis, cum piorum ordini addictorum patronorum subsidiis. Quantae quantae fuerunt miseriae, quibus vix non succubuerunt tristes ordinis fratres, sancti tamen propositi tenaces, et zelo verbi divini ferventes procurando animarum salutem proximo utiles esse haud desierunt. Testantur id praeclarissima doctissimorum virorum monumenta, quae in bibliotheca nostra usque ad Gallorum adventum (pretiosus sane thesaurus) deposita erant. Prae caeteris memoria digna sunt manuscripta A. R. P. ac domini Joannis de Monte, qui anno 1372, 23. novembris aetatis suae 10mo praedicatorum ordinem ingressus est, tandem in universitate Pragensi Ss. theologiae professor creatus, ab eminentissimo archiepiscopo Trevirensi Othone a Ziegenhayn assumptus in suffraganeum sub titulo episcopi Azotensis. Scripsit, suoque conventui reliquit raram prosodiam, nunquam alienandam, nisi crudeli Gallorum rapina periisset.

Anno 1465 A. R. P. ac dominus Henricus a Kalteisen Ss. theol. professor, 32^dus^ magister sacri palatii, haereticae pravitatis inquisitor, et S. Crucis praedicator, archiepiscopus Nidrosiensis et Caesariensis in Norwegia. Est vir hic ob eximiam divinae scientiae notitiam, pari conjunctam vitae probitate claritatem, qui literis, atque annalium monumentis cantetur, dignissimus. Duodecim vario argumento volumina, quae in nostra bibliotheca asservabantur) ingenio finxit, ac manu propria conscripsit &c. &c.

CAPUT XXII.

MONASTERIA VIRGINUM S. DOMINICI.

Treviris S. Catharinae.

Origo hujus monasterii in honorem D. Senensis a nobilis familiae viro Ordulpho de Horreo auspicium habet, ut tam lapidis sub choro inscriptione, quam illius parthenonis annalibus constat. Uxor illius Paza ab Eltz antiquae nobilitatis matrona. Familiae istius Horreanae uti genus, ita virtus religioque eximia seculo Christi XIII. memoranda extitit. Nepotes ex Jacobo fratre quinque Ordulphus habuit, Jacobum, Carolum et Theodoricum, qui Teutonicum ingressi ordinem, praeclaris domi militiaeque facinoribus innotuere, quartus ex his Ordulphus, quintusque Joannes fratrum praedicatorum institutum amplexi, pietate illustres cum tribus sororibus parthenonem D. Bernardi ad Leonis Trevericum ingressis eminuere, nulla prolium superstite, quae saecularia saperet, ipsoque demum Jacobo ad Teutonicae ordinis disciplinam filios consequente. Ordulphus hoc fratris totiusque familiae exemplo stimulatus, quominus seculi vanitatem desereret, solius uxoris tenebatur amplexibus liberorumque cura. Ut vero pietatis impense studiis erat deditus, seu vera seu ficta somni imagine, visus est sibi D. Catharinam coelitus delapsam videre, quae manu apprehensum ad stabulum pecorum deduceret moneretque hunc se locum sibi consecratum velle, ex quo tempore desiderio excitandi eo in loco, ad honorem D. Catharinae templi succensus, hoc egit, ut uxori cum filia religiosae non tantum domus, sed et vitae cupiditatem injiceret, ipse cum Jacobo filio Teutonicum ordinem amplexurus. Sed frustra, rem tam arduam eum persuadere non posset, interpellavit mors conjugis, qua jam post geminas adhuc puellas susceptas, liber, stabulum in ecclesiam, domum in coenobium vertit,

coetumque huc sacrarum virginum ex montis Jurani, qui a sancto Martino dictus est vertice anno 1288 transtulit, tribus in eundem parthenonem filiabus, Anna, Leifmudi, et Agnete introductis, filio vero Teutonicae militiae viris asserto.

Reliquum erat, ut in D. Catharinae honorem consecraretur, qua in re dum mora trahitur, Paza uxor Gebellae, foeminae cellerariae quondam suae, per noctem adstitit, monuitque coelo etiamnum se excludi, dum ecclesia, quam olim tergiversatione sua distulerit, in D. Catharinae honorem sacrata esset. Quae causa Ordulphum impulit, ut cunctantem licet archiepiscopum Boemundum ad templi consecrationem opportune importune adduceret. Quo ex tempore sub disciplina patrum dominicanorum et priorissarum moderatione ad hanc nostram aetatem deductum nova aedificii nunc 1669 ala extollitur.

Confluentiae S. Martini.

Monasterium hoc olim in monte S. Martini, haud procul Andernaco situm, jam Confluentia superiori receptum seculo, fundatoris sui in monte simul cum coenobio nomen amisit. Illius tamen memoria instituti superest: quod qui anno 1378 Trevirensibus praefectus est, Wernerus archiepiscopus eas, parthenoni montis inclusas sub ordine disciplinaque patrum dominicanorum Confluentiam habitantium, salvis tamen visitandi juribus, vivere jusserit, et quo benefactorem praecipuum agnoscunt Joannem II. ex familia Badensium marchionum, qui circa finem seculi XIV. praeposituram montis D. Martini cum redditibus agrisque in usum religiosarum convertit, Joanne III. ordinis privilegia possessionesque cum indulgentiarum certarum largitione literis anno 1540 datis approbante. Floruitque iis temporibus monasterium quadraginta facile sanctimonialibus qua nobilibus, qua ignobilibus, sub eadem regula Deo servientibus.

At Truchsessianum in haeresi bellum, a Coloniensium archiepiscopo deficiente natum, cum Andernacenses, eidem

temporali jure subjectos, anxios teneret, ne hostis hoc ad urbem expugnandum monasterium insideret, eversum illud funditus, virginesque ad urbanum hospitale per triennium receptae, miserante demum afflictam harum conditionem Joanne Schoenenbergio Trev. archiepiscopo, anno Christi 1584 Confluentiam in domum franciscanarum tertiae regulae evocatae sunt, duabus istic sororibus reliquis sub obedientia curaque priorissae, griseo tamen in habitu, relictis. His rursum erectae principiis anno denique 1613, corrogato sumptu, templum ibidem in platea S. Georgii excitarunt, jamque laudabili vitae instituto hac aetate sub eorundem dominicanorum patrum institutione efflorescunt.

Sorores tertiae regulae S. Dominici.

Confluentiae laicae quoque sorores sub tertia regula D. Dominici collectae vivunt, directioni prioris jam olim ab anno 1276 commissae. Patronam in sacello venerantur D. Catharinam Senensem, collatis a se bonis fundatae, et ab archiepiscopo ac civitate admissae aegrorum servitio aliisque laboribus aluntur.

Monasterium Mariae Vallis sive Mergenthalense.

In limitibus Eiffliae, nobilium virginum asceterium jam ante annum 1248 extitit, quando illuc invitis parentibus Henrici Viennae comitis filia Yolanthis, de qua supra et in annalibus, advolavit, quod sub priorissae regimine, et patrum dominicanorum institutione continetur. Haec inexpugnabilis adversum vim artesque omnes parentum denique victrix, post se etiam Margaretam matrem et fratriam (mortuis viris) in monasteria traxit.

Liste chronologique des prieures de Marienthal.

Ce prieuré a été fondé l'an 1231 par Thierri, ou Theodoric, seigneur de Mersch, et la règle de S. Dominique y est observée.

On ignore le nom de la première supérieure.

La vénérable Yolende, fille de Henri comte de Vienne, gouverna pendant vingt-cinq ans, morte en 1283.

Catherine de Berbourg, morte en 1285.

Poncette de Meysenbourg, morte en 1289.

Adelaïde de Septfontaines régla la collation de la cure de Sterpenich, et mourut l'an 1317.

Margueritte de Luxembourg, soeur de l'empereur Henri VII. morte l'an 1336.

Ide de Mersch, morte en 1341.

Felicité d'Aprement en 1361.

Jeanne de Limpach en 1366.

Sara de Hollenfeltz, gouverna quinze ans, morte en 1382.

Elisabeth de Heldingen en 1384.

Adelaïde de Sassenheim en 1388.

Helene d'Autel en 1391; on l'appelloit en allemand Elter.

Marguerite de Sassenheim, morte l'an 1398.

Mathilde de Roussy en 1411.

Catherine de la Rochette, vécut jusqu'en 1417.

Marguerite de Stainville ne gouverna que trois ans.

Adelaïde d'Autel, mourut l'an 1458.

Marie de la Rochette, ou von der Feltz, en 1466.

Jeanne de Milbourg ou Mailberg en 1470.

Anne de Rollingen ou de Raville, morte en 1503.

Jutte de Barbanson en 1531.

Julienne de Barbanson en 1570.

Catherine de Rolzhausen, gouverna vingt-trois ans.

Apollonie d'Enschringen, morte l'an 1596.

Catherine de Lontzen dite Roben en 1598.

Françoise de Schauenbourg en 1611.

Marguerite de Rollingen.

Après sa mort, arrivée l'an 1619, la charge de prieure ne fut plus perpétuelle, mais triennale. On peut cependant les continuer.

Julienne-Elisabeth de Deuth, gouverna quatre ans.

Barbe de Housse, seize ans.

Salomé de Schauenbourg, trois.

Esther-Faust de Stromberg, trois et demi.

Nicolle d'Allamont, trois.

Madeleine comtesse de Kurtz, quatre.

Catherine de Hautoy fut continuée prieure quatorze ans.

Marie-Maximilienne, comtesse de Fugger, dix-huit.

Marie-Reine-Elisabeth, comtesse de Daun, gouverna vingt-deux ans.

Marie-Barbe de Willecholle, trois seulement.

Marie-Ludovine de Laittre, trois.

Marie-Catherine de Manteville depuis 1709 jusqu'en 1750 elle a rebâti le monastère qui tomboit en ruine; l'année en est marquée dans ce chronographe:

STRVXIT CATHARINA DE MANTEVILLE PRIORISSA.

Marie de Coudenhoff de Fraiture, prieure moderne.

Marie-Therèse de Gourcy, 1760.

Dominique d'Ivory de Serry, 1762—1765.

Marie-Gabrielle de Manteville, 1766—1767.

Marie-Therèse de Gourcy, 1768—1774.

Walpurge Berchtold de Sachsengang, 1775—1776.

Hyacinthe de Gomez, 1777—1783, année de la suppression de l'abbaye.

Sanctae Barbarae Treverico suburbanum.

Hoc quondam ejusdem disciplinae nobilium monasterium ab augustinianis ad has traductum, versus meridiem ante urbis muros situm, suam cantori majoris ecclesiae originem debuit; ab illustribus feminis Hardwige de Tesle anno 1225 donatum vinea, et Poncetta de Lapide jure patronatus in Beckingen cum decimis anno 1254. Verum cum soluta religione et disciplina desertum monasterium in archiepiscopi potestatem anno

1556 recidisset, Joannes a Petra societatis patribus ad urbem receptis mensae archiepiscopali, cui addictum erat, subtractum, assignavit, qui capitularium dominorum postea consensu accedente stabili possessione locum tuentur, nunc anno 1674 a Gallis urbem occupantibus funditus eversum, vineaque et domibus spoliatum.

CAPUT XXIII.

ORDO FRANCISCANORUM.

S. Franciscum Assisii in Umbria natum postquam Christi sequendi desiderium a mundo ejusque opibus ad religiosae vitae paupertatem salutemque cum propriam, tum proximorum, ingenti studio curandam traduxisset, haud multo post, quam alterum illud ecclesiae sydus Dominicus in Hispania exortum esset, universus ad duo haec luminaria mundus oculos aperuit, ac magno terrenarum rerum contemptu ad sanctam aemulationem tam sublimis in abjectione summa vitae exarsit; nam admirabiles viri isti, praecipue exemplo vitae, institutoque disciplinae suae ostenderunt, quantae essent in paupertate divitiae, et demissione gloria, unde ex omni orbis parte ad erecta ab eis militiae sanctioris vexilla populus convolavit.

Tres vero principio D. Franciscus ordines sub totidem regulis diversa lege instituit, ex quibus primus anno 1206 sub Innocentio III. coeptus, ab Honorio deinde III. confirmatus, lapsu temporum in varias ejusdem capitis, sed non unius in omnibus disciplinae ac vigoris, religiosas familias divisus est, ex quibus aliae fratrum minorum conventualium, aliae fratrum minorum recollectorum sive strictioris observantiae, aliae denique capucinorum a sumpto abjectioris speciei habitu appellati

sunt. Ex quibus postremi successores ex nova in ordinem priorem et rigidiore illa quidem disciplina introducta, quam conformiorem singuli D. Francisci moribus legibusque dictitabant a prioribus secessione facta divulsi sunt, pia quadam et divinitus probata aemulatione, qua non modo ullum ecclesiae religionique christianae detrimentum, sed ingens etiam emolumentum multiplicatis per universum orbem religiosorum familiis accessit, singuli tamen sese genuinos D. Francisci in spiritu filios zelo quodam profitentur.

Alter ordo ex sanctimonialibus anno salutis 1212 formatus ex nobili ejusdem Assisii virgine Clara divi Francisci vestigia eadem aetate consectante clarissarum dictus fuit, qui subinde ordo in geminas quoque diversi instituti familias divisus est, quarum priores damianisticae, a primo S. Damiani conventu per divam Claram ex rigidae paupertatis legibus directo, nuncupatae sunt, aliae urbanisticae, quod mitigationem regulae paupertatisque ab Urbano IV. pontifice indultam, caeteris recusantibus ipsae admiserint. Unde et hae divites, aliae pauperes clarissae, et hae primae, illae secundae regulae dicuntur.

Tertius illorum ordo est, seu virorum seu mulierum etiam conjugum, quae in religiosa domo vel etiam seculari, juxta praescriptum regulae, quam vocant tertiae vitae, suas rationes moderantur, quod vir iste divinus pro admirabili suo ad quodvis genus hominum sancte informandum zelo nihil omiserit, quo salutem proximorum gloriamque supremi numinis promotum iri existimaret. Hoc vero institutum vivendi anno 1221 inchoasse certa legum praescriptione creditur. Hoc priusquam ad singulas institutionis franciscanae familias ex legum varietate diversas, et in hanc Trevirensium archidioecesin receptas descenderem, praenotandum ad majorem historiae nostrae lucem conciliandam, duxi.

CAPUT XXIV.

Ordo primae regulae primogenitorum franciscanorum in archidioecesin Trevericam receptus.

Seraphicus ille D. Franciscus, ut primum Romanae sedis approbatione ordinem suum vitaeque institutum stabilitum vidit, totius orbis ad pietatem inflammandi ingenti flagrans desiderio, cum in praecipuas Europae provincias tum etiam in Germaniam socios ablegavit, et quidem anno salutis 1216 ex primo capitulo generali Assisiis celebrato 60 fratres in Germaniam ablegasse, verum irrito eventu fertur, quoniam linguae Teutonicae ignari et veste inculta insolentique hispidi admirationem magis quam amorem observantiamque sui concitarunt. His igitur reversis aliam quinquennio post D. Franciscus, sub Germano sui ordinis viro, P. Caesareo Spirensi missionem 27 sociorum adornavit, qui felicioribus auspiciis excepta, primam Augustae Vindel. stationem fixit, omni humanitate ab episcopo cleroque habita, hinc deinde velut ex castris praetorianis quaqua versum destinatae copiae Herbipolim, Salisburgum, Ratisbonam, Spiram, Wormatiam, Moguntiam, Coloniamque pervenerunt, nec diu post in quinque loca archidioecesis Trevericae penetrarunt, Limburgum videlicet ad Loganam, Confluentiam, Andernacum, Wesaliam superiorem et Augustam Trevirorum. Luxemburgum etiam, quod spirituali in jure Trevericam mitram veneratur, adhuc superstite S. Francisco a Walramo comite sunt accersiti, a Gerlaco vero Limburgensium dynasta ab expeditione Jerosolymitana reverso, quendam ex S. Francisci contubernio vitae sanctimonia clarum Browerus ad an. sal. 1223 Limburgum adductum sentit, quo cupidum lectorem remitto, et vero principio hujus seculi XIII. plerisque antedictis locis franciscanos, qui tunc solo nomine minorum noti erant, adhuc in primae regulae observantia receptos esse, satis videtur exploratum, quamvis singulorum

exordia suo praecise die annoque nequeant definiri, certe jam anno 1252 in Treverica dioecesi floruisse ex indulgentiarum diplomate Joannis episcopi Sambiensis legati per Germaniam apostolici in festo dedicationis ecclesiae Limburgensis constat, uti etiam ex bulla Alexandri papae IV. anno 1256, IV. calend. februarii, et duabus aliis sequente tempore minoribus in Treverica archidioecesi datis non obscure colligitur.

Verum, ubi lapsu temporum auctus ordo non ubique eandem in eleemosynis ad victum vestitumque necessariis promptitudinem christianorum expertus est, primique etiam ad omnem patientiam obdurati fervoris ardor elanguit, et remissiore vita religiosorum et pontificum indultis et superiorum conniventia laxari primus instituti rigor coepit; quem cum alii ad pristinas aut arctiores etiam constringi leges poscerent: alii in frigidioribus praesertim plagis oblata indulgentia frui vellent, sententiarum primo ac denique et monasticae vitae divisio extitit. Unde in archidioecesin hanc nostram triplex postremo franciscanorum ordo sese multiplicatis asceteriis intulit, quodque perniciosum principio videri his religiosis poterat, hoc ad augendum ex pia aemulatione solitariae vitae sectatorum numerum disciplinamque valuit, ut nihil hoc ordine modo non solum in dioecesi hac nostra, sed late per Germaniam copiosius reperiri queat. Quare et nos modo historiam cum eorum domibus dividere cogimur, ne de separatis eorum conventibus legibusque narratio confundatur.

CAPUT XXV.

Ordo minorum conventualium.

Antiquissimam hi Treviris sedem medio propemodum urbis loco juxta praeterfluentem rivum obtinuere, circa annum 1223 a Theodorico Trevirorum archiepiscopo recepti, qui altero post

saeculo ad strictioris observantiae leges suae jam freti professionis jure concedere noluerunt.

Porro evenit deinde ut PP. societatis Jesu in urbem pro instruenda juventute accersitis cum ingenti haec numero affluens scholis pristinis recipi non posset, locus academiae idoneus ab electore et urbe quaereretur, neque aptior hoc franciscanorum monasterio occurreret, quare bona eorum voluntate actum, ut hi ad sanctum Germanum veteris gymnasii locum habitationem transferrent, suamque patribus cederent.

Ita asceterium hoc jam olim saeculo X. sub S. Germani Antisiodorensis episcopi, cujus possidet reliquias, patrocinio virginibus Deo dicatis ab Henrico archiepiscopo traditum: ac post exspirante illic religiosarum disciplina a Joanne Badensi Trev. quoque electore S. Matthiae abbati ad cultus religiosi propagationem concessum: denique vero ad gymnasii usum sacerdotibus saecularibus, quos a laudabili vitae instituto aureos vocabant, a Jacobo Badensi archiepiscopo assignatum, postremo minoritis patribus per Jacobum ab Eltz anno 1570 die 29. martii transscriptum est, qui constantiore subinde locum possessione excoluerunt, ecclesia non tam ampla quam nitida freti disciplinaque a proximis retro seculis invariata.

Nec ignobili templum reliquiarum thesauro fruitur longa enim retro proavorum memoria recolunt S. Gerasinae reginae Siciliae et Dariae matris S. Ursulae sororis, quae cum filio Adriano et filiabus geminis itineris socia martyris palmam Coloniae assecuta est, corpus hoc loco tumulatum sancte asservari. Debent hoc donum Treviri archiepiscopo Coloniensium Theodorico, qui Henrico Vinstingio facturus gratiam hunc illi recens excitatum parthenonem thesaurum cum aliis S. virginum reliquiis submisit. Ex Trevirensium quoque martyrum choro capita decem obtinent, ut et reliquias S. Helenae et Constantiae filiae Constantini, de S. Hieronymo, Gregorio papa, Nicolao, Huberto, Antonio, Germano, Servatio, Sebastiano, aliisque, quas in minutis prosequi non lubet.

Caeterum et sodalitiis geminis, altero D. Francisci, altero S. Jacobi et Rochi eadem ecclesia ornatur et quotannis magna

solennitate aditur. Haec fraternitas anno primum 1460 instituta, multis postea indulgentiis a Paulo V. est locupletata.

CAPUT XXVI.

Ordo minorum strictioris observantiae Boppardiae.

Boppardiensem patrum de observantia residentiam, quam in postremis hisce annis in monasterium coalescentem, antiquitatis jure tamen caeteris hujus archidioecesis locis praeferendam duxi; haec enim prima illorum sedes illustribus Bernardini Senensis et Joannis Capistrani, reformatae his locis disciplinae autorum vestigiis, signata creditur. Memorant Bernardinum virum sanctitate clarum et zelo instaurandi rigoris pristini flagrantem, trans Alpes in Germaniam, atque ad Rhenum inferiorem progressum, cum ex opposito ad Boppardiam litore transmittere navi flumen cuperet, nautaeque nisi praestito ex aere nauto (quod omnium verum egeno deerat) recusarent, strato in undas pallio, quod pro rato et velo esset, secundante cursum vento, cum stupore omnium Rhenum superasse. Ex quo repente tanta viri Sancti reverentia Boppardiensium pulsavit animos, ut ad hospitale civitatis deducto, amanterque habito, perpetua illi habitatio cum sociis oblata sit. Habentque pro minime vano ejus commorationis argumento sellam lecticamque viri annis prope ducentis religiose asservatam, quam superiori bello insolens haereticusque Suecorum miles anno 1632 Vulcano immolavit. His R. P. Burwenich historiarum sui ordinis collector earumque apprime gnarus et plurium locorum guardianus, cujus beneficio pleraque horum sum consecutus, addit, quae verbis illius recitabo. »Certum »est, quod seculo XV. ad finem tendente, quo nulli Boppardiae »franciscani erant, cum ingens populus confluxisset ad ecclesiam

»miraculosam Deiparae Virginis in Bornhofen, et divinis per»actis singuli remearent ad sua, contigit grandem in Rheno »oboriri tempestatem, et navim peregrinis repletam exinde »periclitari, et ecce in hoc periculo visus est quidam veste »religiosa franciscana indutus, capite cooperto, manibus ante »pectus compositis, ambulans ad ripam fluminis, quasi orans: »interim navis, quae jam solverat a littore, in medio Rheni »cooperta fluctibus submergitur cum omnibus in ea vociferan»tibus, ut nec vestigium appareret, alii peregrini in littore »existentes, et hunc lamentabilem casum cernentes, deplorabant »submersos. Sed paulo post, quasi media inter Boppardiam »et Bornhofen via cum stupore omnium, ex aquarum profundo »emergit navis et feliciter ad littus cum omnibus peregrinis »appellit, salvis et illaesis ac Deum collaudantibus, franciscano »illo ab omnium oculis evanescente.« Haec ille quae illius fide, cum alium autorem non promat, exhibere malui, subjicit vero hinc accensum Boppardiensium ad repetendos Confluentia franciscanos patres, qui (ut mox referam) jam olim discesserant, flagrantius desiderium, et forte D. Bernardinus a morte patronus horum naufragantium, hoc beneficio languidiores, ad pristinum amorem sibi exhibitum provocabat.

Etenim ut sancti illius viri Boppardiae subsistentis consilia prosequar. Illud unice agebat, ut Confluentini fratres arctioris disciplinae leges admitterent, quod cum necquicquam pertentasset, in Italiam, unde venerat, dolens recessit. Quosdam tamen ex fratribus sua institutione formatos, quique hanc ad alios quoque opportune propagarent, abiens reliquit, quod spem conciperet quorundam obstinate resistentium animos inflecti denique ad conceptum rigorem, aut certe loco submoveri posse. Et vero expectationi eventus postremo respondit. Namque archiepiscopus Trevirensis Jacobus a Sirck anno 1451 nondum inclinatos ad severioris disciplinae amorem fratres pontificio mandato exesse jussit, Boppardiensibus in locum accersitis, unde nudata horum praesidio Boppardia, id beneficii ab aegre dimissis impetravit, ut festis ad se majoribus con-

fessionis concionisque gratia excurrerent, semper liberum in hospitali diversorium habituri.

Quod obsequium jam plurium annorum decursu continuatum, cum frequentius esse incolae et accolae desiderarent, sub Philippo Christophoro archiepiscopo quam Lotharius ante mortem indulserat, duorum istic sacerdotum, cum fratre laico anno 1626 denuo residentia inchoata est, atque excitata denique piorum hominum liberalitate juxta curtem Svalbacensem, non procul ab urbis moenibus, quae magna affluentium devotione est frequentata. Sed patribus ruinosa in domo habitantibus, afflictisque misere bellorum id temporis injuria civibus, patienter durandum fuit, dum annis proxime superioribus diversorum principum, Caroli Caspari electoris Trevirensis et Ernesti landgravii Hassiae domini in Rheinfels aliorumque, favore ac praesidio anno 1662 absoluta domus, plures strictioris observantiae franciscanos archiepiscopali diplomate firmatos poenitentiariosque ac primissarios ut vocant, ecclesiae Bornhofiensis constitutos excepit. Quorum et nunc officiis laboribusque incolae, ita peregrini late, pietatis votorumque solvendorum gratia, ad miraculosam Deiparae iconem affluentes, recreantur. Id vero magnopere dolendum, superioribus temporibus Bornhofiensi ecclesiae similes defuisse sacrorum administros, qui non tantum vigili huic loco cura adessent, sed rerum etiam memorandarum expenderent, signarentque eventus, cum diversis mortalium patrocinio Deiparae collata istic beneficia posterorum memoriae seu temporum iniquitate, seu hominum incuria subtracta sint, quae ad Dei Deiparaeque honorem fas esset grata recordatione venerari. Haec vero nunc spes est a navis hominibus minime imposterum negligenda. Indignum enim beneficiis sese facit, qui repente obliviscitur.

CAPUT XXVII.

Confluentini de strictiori observantia.

Quae D. Bernardinus in sancta religiosa disciplinae institutione coepit, haec B. Capistranus scriptis deinde legibus, ipse etiam horum locorum inspector, firmavit. Cujus viri dotes in annalibus non dissimulamus; suis igitur jam legibus firmati, et moribus per inferiorem Rhenum celebrati Boppardienses, de strictiori observantia patres, pontificis Romani et Jacobi, ut diximus archiepiscopi voluntate Confluentiam, in monasterium conventualium translati sunt, qui statim anno eodem 1451 testimonio literarum publico raro exemplo bonis omnibus censibusque ac redditibus, sola habitatione contenti, renuntiarunt, ut nuditatem paupertatemque Christi rigidiori instituto adstricti sequerentur. Extant renuntiationis literae senatui oblatae in vigilia Assumptionis gloriosae Virginis Deiparae, quibus domos, agros, vineta, census, ornamenta pretiosa, demptis solum, quae templo sacrificiisque ad necessitatem serviebant, in manus consulum urbisque transscripserunt, qui partim ecclesiae parochiali, partim hospitali S. Spiritus, partim coenobio poenitentium, pauperibusque haec elargiti sunt.

Porro P. Ivo de Hueti, ex provincia Turoniae huc traductus, primum caput et guardianus, ut vocant, hujus observantium conventus fuit, sub cujus prudenti zelosoque magisterio ordinis hujus aestimatio apud Confluentes magnopere promota est; ejusdem opera religiosarum virginum, quas clarissas vocant, contubernia quoque aut aucta, aut propagata, meliorique etiam disciplina formata sunt. Trevirim in locum mulierum poenitentium consensu archiepiscopi anno 1450 clarissas suorum cura dirigendas introduxit: ac primum Confluentiae sui ordinis capitulum provinciale laetus vidit celebrari. Denique anno 1457 brevi hujus loci praefectura functus obiit, suum in ecclesiae

choro sepulchrum nactus. Subinde et numero et flore religiosorum hominum non in pietatis minus, quam verae eruditionis palestra exercitatorum locus hic eminuit. Provincialibus etiam saepius capitulis frequentatus procerumque favore ornatus, inter quos Nicolaus Cusanus, alibi annalium nostrorum encomio fretus, qui jam cardinalis et Romanae sedis in Germaniam legatus aemulorum suggillationes, laudatae eorum ab Eugenio pontifice reformationi obtrectantium, solenni programmate Magdeburgi anno 1451 elisit. Sed et Joanni Badensi fautori archiepiscopo non parum se debere fatentur. Quamvis vitae suae rationibus hoc egerint hactenus, ut et ceteris archiepiscoporum jure optimo placerent, quemadmodum moderni in se electoris Caroli Caspari benevolentiam grati agnoscunt, qui etiamnum coadjutor, pretiosissimum pignus inconsutilis togae Dominicae Colonia translatum, illorum custodiae potissimum commissum voluit, dum ad securiorem arcis sedem transferretur, ac postea archiepiscopus matris suae illustris Annae Catharinae de Waldpot in Bassenheim, cujus corpus in ecclesia ejusdem ordinis Arweilerii est sepultum, exequias solenni ritu anno 1660 per triduum statuit eorundem Confluentina in aede celebrandas, suamet et praecipuorum archidioecesis procerum praesentia honoratas, ejus vero in se dominae beneficia vel materno ex animo profecta, aeternam fatentur memoriam promereri, ut filium etiam tali in matre teneantur venerari.

Gemina apud eosdem patres fraternitas celebris, altera cordigerorum S. Francisci a Sixto V. pontifice cum suis praerogativis indulta, altera D. Virginis immaculate conceptae, cujus decus conceptionis hic ordo singulari se devotione tueri adversus contradictores omnes profitetur.

Illustrium plane haec ecclesia sepulchrorum monumenta complectitur, in quibus facile eminet nobilissimi dynastae Hermanni in Helffenstein praecipui benefactoris fundatorisque hujus loci tumulus, qui postquam humana anno 1291 reliquisset, in ambitu monasterii depositus est, effigiem virili in forma lapis ecclesiae muro receptus, exhibet. Plures subinde ex Helffensteiniana familia domini ibidem sepulti, donec mas-

cula stirpe deficiente, dominium cum arce archiepiscopo feudi domino cessit. Praeter hos ingens catalogus comitum, baronum, nobiliumque hoc loco quiescentium, ut de Nassaw, Heinsberg, Waldeck, Lymburg, Eltz, Holzapel, Weis, Paffendorff, Winningen, Ley, Dievelich, Reiffenberg, Ahr, Diez, Grentzaw, Drachenfels, Rasfeld, Selbach, Neander, conficitur.

Nec ignobiles hujus templi reliquiae sunt, in quibus dens S. Sebastiani cum quibusdam aliis ejusdem reliquiis, a R. P. Joanne Capet, S. theol. doctore et ex ordine observantium in rebus fidei apostolica authoritate constituto nuntio, cum attestatione veritatis ibidem relictis. Hujus Divi (ut adversus pestem ejus saepe exploratum praesidium est) freti nupera in lue anni 1666 primo quidem dissenterica, post etiam pestifera patres pro servitio sese infectorum obtulere urbi atque archiepiscopo; et in urbe quidem sine noxa inservientium, at extra urbem in pago Weis cum Alexandri Kickenii morte, qua defuncturus, quinque in solatium animae suae sacrificia rogavit, simul pollicitus, coeleste se numen oraturum, ut cum morte sua luem extinguat, qua in re exauditum apparuit, cum nemo deinde pestilentiae amplius malo succubuerit, ipso etiam, qui cum patre correptus erat, fratre laico, ab extremo discrimine emergente. Ita Deus eadem calamitate, qua nonnullos premit, alios nonnunquam sublevat beneficio utrorumque.

Dissenteriae tamen in urbe malum etiamnum pertinaciter haerebat, cum ex Arensteinio praemonstratensium ad Loganam monasterio cranium S. Fabiani, cum aliis D. Sebastiani reliquiis allata, solemnique processione ab ecclesia observantium, per maxime infestam lue plateam ad S. Crucem deportata sunt, ac relata, unde exierant, ubi denique potus ex argenteo calice, quo S. cranium clauditur, universis praebitus, salutaris eventu profligatae dyssenteriae habitus est, remedio plurium locorum experientia probato.

Verum proscripta divinitus plaga, alia mox atrocior ex vicinia locorum contagione, in urbem irrupit, pestis adeo praesenti armata veneno, ut correptos brevi temporis intervallo tumulo consecraret. Ad vota rursum precesque confugere

supplices, iteratoque non solum postularunt, ante memoratas reliquias, sed etiam communi decreto statuerunt cives, Sanctis Sebastiano et Rocho sacellum tanquam asylum adversus hoc pestilentiae malum excitare, quod dum collatis sumptibus in cemiterio patrum de observantia moliuntur, proficiente aedificio, pestis defecit, ac denique quae Sanctorum intercessionis divinaeque per illos bonitatis exoratae est gratia, prorsus evanuit.

CAPUT XXVIII.

Limburgenses ad Loganam et Wetzflarienses.

Limburgensium minoritarum exordia supra ad annum retulimus 1223, at ejusdem per strictioris disciplinae leges observantiam ad salutis annum 1469 referenda est, quando conventus hic authoritate apostolica Honufrii, episcopi Tricaricensis, legati pontificii, per fratres minores regularis observantiae Confluentinos est reformatus; quorum institutis submisere sese, laudabili pietate ejusdem conventus incolae, strictioris disciplinae leges jurata religionis fide amplexi, quare abdicatis possessionibus bonorum ad paupertatis communis onus volentes rediere, ac subinde aucti numero, ut suas in egestate ostentarent divitias, novitiorum seminario ad se recepto, uti personis, ita fructu navatae apud proximum operae, abundare coeperunt. Per late enim patentes Loganae campos effusi, ut regiones sic incultos multorum animos reperiunt, quos exempli et cohortatione sanctioris vitae ad meliora erudiunt. Jamque etiam rogatu civium accolarumque gymnasium instruendae, per humaniores artes, juventutis susceperunt: magis ut aliorum desideriis, quam instituti sui rationibus obsequerentur; quibus sine hac professione, maluissent adhaerescere. Eminentissimi tamen archiepiscopi approbatione hic illorum labor munitus constat.

In horum ecclesia novem facile baronum de Limburg suae quietis a morte locum delegere, cum diversarum familiarum comitissis, ut Cunigunda de Wertheim, Hildegunde a Saarwerden, Elisabetha a Falckenstein, Cunigunda altera in Diez, et Agnete comitissa de Westerburg; aliarum quoque illustrium familiarum monumenta hic extant, in quibus barones de Walderdorff, non ita pridem insignem aram ad perpetuam familiae suae memoriam, cum ornamentis tam ad sacrificantem, quam altare spectantibus, munifice erexerunt. — Origines ecclesiae ad tempora viventis S. Francisci Assisiensis referenda sunt. Anno siquidem 1218 Gerlacus de Isenburg una cum pluribus Loganae nobilitatis dynastis Friderico II. imperatori ad expeditionem in Terram sanctam proficiscenti nomen dederat. Hic ex Apulia redux nactus est geminos S. Francisci fratres, quos peregrinationis socios secum viciniam in Loganam adduxit. Pergunt manuscripta Mechtelii, p. 75: »Hos patres Lintburgum adductos, eo magis magisque admirabatur populus, quod nudipedes, pariter mendicatum irent et eleemosynam rogarent, nec tamen aurum argentumve admitterent, populares vero turpe ducebant micam panis aut quicquam esculenti offerre, magis respondere: Gott helff sive Gott bewahr, patribus mendicantibus. Italica lingua nati Germanicam non callebant, quam ob rem uni placuit interrogare per interpretem, quid hoc esset, Gott bewahr, auditoque esse dictum, Deus tibi suppeditet etc. respondisse fertur, sed ille Deus Germanorum non sic reficit indigentes.« Et sic vice prima iterum abierunt.

Reduces dein, et laxiorem Eliae, secundi ordinis generalis regulam assumentes, locum aedificandae ecclesiae acceperunt, ubi perstiterat ecclesia S. Nicolai quondam parochialis, et aō 1235 ad collegiatam translata, hoc tamen onere, parocho loci portionem canonicalem intuitu antiquae ecclesiae parochialis cum peripheria ipsis cessae porrigerent. Ex quo coeperunt cum beneficio Gerlaci domini Isenburgico-Limburgensis, tum ex collectis aliorum benefactorum, ecclesiam, quae hodie visitur, aedificare, lentis tamen successibus. Ecclesiam medio

saeculi XIII. S. Sebastiano martyri dedicata, ordinis prima sedes, et provinciae Thuringiensis prima mater fuit, multa prole foecunda.

Patres multis dein praediis, et censibus in vicinia Logana Limburgensi ditabantur. Stat etiam antiquum altare in cornu evangelii, in quo S. Franciscum et Antonium habitu minoritarum indutos conspicere licet. Tandem sub Joanne II. Badensi archiepiscopo reformati, ad strictiorem primitivae regulae observantium, omnibus bonis terrenis abdicatis, redierunt. Ecclesia PP. Franciscanorum cenotaphia dynastarum Limburgensium, tum etiam illustrissimae familiae comitum de Walderdorf ostendat.

Non procul hinc conventus Hadamariensis patrum de observantia est, quos superioribus annis Nassovicus loci princeps admisit, tum deinde alter orientem versus unius diei itinere Wetzflariensis, tertiusque in occidentem vergens Montaburanus, quorum cum singularem notitiam assecutus non sim, nuda illorum commemoratione acquiescam.

CAPUT XXIX.

Beurichienses.

Celebratus hic jam olim miraculorum gratia per Deiparae intercessionem, de coelo impetrata, locus fuit, qui sensim ex humili sylvestrique myrica ex opposita Sarburgi trans Saravum flumen sita, ad hanc quam modo praefert, culturam frequentiamque emersit, ut ad illustrem ejus agri ecclesiam monasterium religiosorum hominum cum aliquot agrestium domibus accesserit; de illius vero origine religionis hic paucis est inquirendum, quanquam Brandenburgico ante seculum, hujus loci vastatori acatholico, multarum rerum hic gloriose patra-

tarum excisio, oblivioque cum fastorum conflagratione, non sine posteritatis indignatione imputetur.

Frequentia nemorosae hujus sterilisque plagae ex seculi XIV. post Christum incarnatum fine petitur, quando sodalitatem sub B. M. Virginis patrocinio institutam viguisse ex annalium memoria constat, unde jamtum venerandam hanc Deiparae Jesum ulnis suis complexae statuam repertam fuisse, non inanis consequentia ducitur. Cumque inventionis modus diesque interciderit, narrant tamen silvestri in arbore per agricolas repertam, ac rudi primum ex ligno argillaque congestum pro ejus custodia sacellum, in quo ad transeuntium venerationem exposita, claudorum repente, caecorumque atque aliis afflictorum morbis refugium praesens extiterit, quodque et daemoniacorum purgantibusque addictorum flammis praesidium exploratum fuerit. Qua manante latius fama ingens mox ex oppidis pagisque vel praestandi obsequii, vel auxilii in malis postulandi gratia, mortalium turba affluxit. Quare ex largitione peregrinorum rudiori dejecto opere, elegantius mox sub Joanne Badensi archiepiscopo sacellum ex lapidibus erigi coeptum.

Quod rursum crescente devotione, et affluentium numero, cum impar omnium pietati desiderioque esset, sub Richardo ex Greiffenclaworum familia archiepiscopo nobili amplaque, quae hodiedum extat, basilica est commutatum, sufficientibus jam ad has impensas peregrinantium oblationibus et favore divino operarum labores secundante, majorum enim senumque constanti et jurata etiam assertione ad nos ex superiori seculo traductum est: deficiente incoepta murorum structura materie, cum ad abitum murarii se accingerent, altera subito luce, calcem, ligna, lapides, ferrum ex vicinis locis copiose advecta fuisse. Hinc postquam deinde ad properandum opus (ut confluentium urgebat pietas) magis operarii, quam materies deesset, praesentem adfuisse Dei manum affirmant, murosque nocte una supra relictam pridie altitudinem manifeste assurrexisse. Quae R. D. Ernesti Calmes, minorum de observantia ejus loci modernum guardianum, cujus gratuita opera ex an-

nalibus ejus loci ista possideo, fide adscribo, cum mihi ad affirmationem rei tantae, praeter miraculorum ejus loci receptissimam famam, aliud nihil suppeditetur.

Porro basilica haec eleganti demum opere anno salutis 1516 perfecta stetit, praefertque diversorum hodiedum illustrium familiarum insignia, liberalitatis praestitae non obscura argumenta. In anteriori chori fornice Greiffenclawiorum, nec procul inde Metternichiorum, per fenestras vero dominorum de Petra, seu Leyanorum, Helffensteinianorum et Bavarorum ex Boppardia clypei armaque gentilitia signantur, uti et alibi in cathedrae suggestu et altari S. Annae Leyanorum praefixa sunt. Nobilissima vero ejus loci ara, quae Deiparae gloriosam tot mirandis statuam complectitur, dominorum de Rupe, sive von der Fels, pietati, nominatimque Petro Ernesto collegii principalis Fuldensis capitulari et montium S. Petri et Michaelis extra Fuldam praeposito, debetur. Haec vero primo a consecratione episcopali ecclesia per D. pastorem Irschensem ac Sirscensem administrata est, donec quidam Joannes Rommericus, ex ordine seraphico D. Francisci sacerdos, solitariae vitae studio montis Sarburgici, vetustis Romanorum castris signati, incola, pietatis gratia hanc ecclesiam adire solitus, desiderio frequentioris illic ad Dei Deiparaeque honorem cultus excitandi, et sacrificiorum ac hymnodiae quotidianum usum, archiepiscopum suae aetatis Lotharium (cui sanctioris vitae fama jam innotuerat) eo inflexit anno 1608, ut seraphici ordinis viros de observantia huic loco excolendo transmitteret, qui arctiori hic primum habitatione excepti anno ejus seculi undecimo, demum 1627 primum novi aedificii, quod nunc incolunt, lapidem posuere.

Horum igitur studio ubi prompta ad devotionem peregrinantibus fuere omnia, ita magnopere affluentium et numerus et pietas excrevit, ut jam quot annis ad 20 hominum millia eucharistica in mensa refectorum censeantur, et sacrificiorum supra quinque numerentur millia. Processiones confertim huc accedentium peregrinorum haud minus septuaginta excipiuntur annuae, inter quas et solemnem Treveri ducunt, olim a patribus strictioris observantiae, nunc a patribus dominicanis regi

consuetam. Ceterum prisci annalium libri, qui miraculorum et originem et copiam certis testimoniis complexi fuerant, in arcem Sarburgensem, ceu tutius id aetatis locique asylum deportati, Alberti tamen marchionis vi insidiisque superiori aevo simul cum castro eversi in cineres abiere.

A quo tempore, ait P. Ernestus, hunc locum incolunt fratres minores, ducenta, quae contigerunt, miracula istic authentica numerantur. Quibus cum alibi haud dissimilia exhibuerim, his immorari nolim, hunc patribus de observantia aliquando campum, ad vulgandam magnae Dei matris virtutem relicturus, nondum ab alio occupatum, ut ex publica Trevirensis ecclesiae fide robur, ad incredulorum animos inflectendos, validius mutuentur. Interea, quod de se aliisque eminentissimi archiepiscopi nostri consiliarius Jacobus Melbaumius, J. V. et medicinae doctor, etiamnum superstes et vivus testis, non ineleganti versu complexus est, juvabit, ad levandum scribentis juxta legentisque taedium hoc loco meminisse. Ita post aliquot metrorum decades, in eucharistico carmine progreditur:

Hadriacum Latio, qualis, quae prospicit aequor,
Lauretana domus, sacraria Montis Acuti,
Quae niveaeque tenent Alpes, quae dura Pyrene,
Cetera transgredior, sed non exila tacebo.
Buricum Trevirae spatium ditionis amoenum,
Horatim, qua certa fere suffragia divae
Virginis, in vulgus veniunt miserabile, colo.
Horrida sedatur varii vehementia morbi,
Tabificae ceduntque febres, dolor artubus ingens
Exit, convulsi restaurantur lacerti,
Inque pedes erectus abit, cui viscidus humor
Tristibus implerat, crurum spondilia noxis.
Quin etiam stridente Noto, pereunteque navi
Fluctibus, in mediis redimuntur morte natantes.
Singula, quis memoret, quae cuncto tempore confers,
O consolatrix afflictae maxima gentis,
Humano benefacta gregi de pauperis alma
Coenobii (verum valde venerabilis) aede!
Haec alii meminere mihi, quod contigit edam.
Praeterquam quod saepe manus mihi flore tulisti
A tenero nutrix studiorum fida meorum

Diversae ductrixque viae, per tela, per ignes,
Per mare, per pestes, centumque pericula vitae,
Fortiter assertum semper comitata fuisti!
(Mene silere decet?) nuper cum latro protervus
Impurusque, mihi mortem minitatus inermi,
Publicitus stricto palmam mucrone sinistram
Laesisset graviter, longi quae causa deinceps
Decubitus miseranda fuit, symptomate primis
Accedente malis, quam primum supplice numen
Testabar patrona tuum prece: protinus atrox
E membris fugit languor, vulnusque coivit.
Pro quo perpetuas tibi dico levamine grates.
Et vos qui laeto salebrosa fluenta Saravi
Cingitis amplexu, montes nemorumque vireta,
Tu celsi castrumque jugi, rarique supinam
Oppiduli sensim repetentia limina vallem,
Longinquis famosa plagis ob coelica tanti
Munera thesauri, praesensque juvamen ab astris,
Divae Buriacae mecum pia solvite vota.

CAPUT XXX.

Wittliacus conventus.

Cum anno post Virginis partum 1642 in parochiali ecclesia Wittliaci altare S. Matthiae ex defectu sacerdotis neglectum esset, neque in urbe adjacentibusque pagis christiana qua par erat cathechesios instructione juventus populusque erudiretur, per D. Ottonem a Senheim episcopum Azotensem et suffraganeum Trev. ex archiepiscopi Philippi Christophori voluntate actum est, ut de familia D. Francisci fratres minores de observantia hoc ad munus officiumque diligentius exequendum Colonia accerserentur. Qui admissi ea rem utramque sedulitate et fructu pietatis egerunt, ut perpetuos sibi eos adesse hujus vineae cultores populus cuperet. Nec invitus huic suorum desiderio obsecutus archiepiscopus, ex Austriaca sua custodia literas Vienna dedit anno 1644, quibus residentiam Wittliacam

patres observantibus indulsit. Hi igitur Wachenheimensi inibi recepti domo, istic perstiterunt, dum anno 1646 ex pyrii pulveris molendino natum incendium, cum arce temploque totam urbem brevi duarum spatio horarum inconsumpsit, Wachenheimensi solum domo cum aliis altaristae ejus aedibus diligentissimo patrum studio conservata. Verum cum hanc archiepiscopus suae deinde cellae usibus addiceret, observantibus rursum migrandum statione, cum ingenti civium moerore, fuit.

Fluxerunt interea anni aliquot, quando exempto viventium regentiumque e numero Philippo, Carolus Casparus a Petra archiepiscopus patriae voto surrogatus, patribus de observantia ad stationem revocatis anno salutis 1652, non solius residentiae sed et conventus pleni istic stabiliendi potestatem fecit. Quibus cum deinde titulo emptionis illustris domini Lotharii Braun a Schmitburg vicedomini Trevirensis domus cum horto cessisset, hic anno 1660 primus ecclesiae aedificiique religiosi lapis est collocatus, quo eminentissimum archiepiscopum Carolum fundatorem inscriptione facta profitentur, cujus benevolentia et ope ad suam nunc denique anno 1668 perfectionem adspirat.

His tamen curis impediri se minime sunt passi ejus loci patres, quin domi forisque se proximorum saluti et levandis parochorum laboribus, crebra exomologesi et sacramentorum usu in vulgus reducto, impenderent. Fraternitatem praeterea, quam vocant chordae S. Francisci, civitatis pene totius concursu erexere, ad quam prima cujusque mensis dominica cum plenariae remissionis indulto poenitentibus concesso, frequentes advolant, meritorumque Christi participatione fruuntur.

Andernacensis conventus et alii.

Andernacum spirituali tantum jurisdictione Trevericae mitrae subjectum patres strictioris observantiae ex voto senatus civiumque anno salutis 1615 indulgente Ferdinando archiepiscopo Coloniensi excepit in locum conventualium olim

illic anno 1246 jam receptorum, quorum fundatores Virneburgici comites fuere, suo etiamnum sepulchro et insignibus ad boreale chori latus in templo conspicui. Approbavit firmavitque translationem Paulus V. pontifex et Lotharius a Metternich archiepiscopus Trevirensis.

Statua istic B. M. Virginis a Joanne episcopo Cyrenensi et suffraganeo Coloniensi olim anno 1489 consecrata est, apud quam deinde afflicti plures magnae matris patrocinium implorant, opemque experiuntur, solemnis etiam hoc loco sub Immaculatae Conceptionis titulo congregatio quot dominicis post vesperas coit, publicisque precibus cum exhortatione ad populum celebratur, rudiorque praeter haec aetas cathechesi instruitur. Per eosdem vero patres Leudesdorffiana quae trans Rhenum ante triginta circiter annos medio rure surrexit, et populi ad hunc locum affluentis donariis, ecclesia, per eosdem patres sacris feriatisque diebus, ex Trevirensis archiepiscopi Caroli Caspari voluntate administratur, ubi non pauci peregrinorum exomologesi et sinaxi sacra reficiuntur, ut diversa alia divinarum rerum ministeria vicinis locis ab eisdem impensa patribus omittam.

CAPUT XXXI.

ORDO MINORUM CAPUCINORUM.

Ut gloriosa D. Francisci Assisiatis memoria plurimos mortalium ad vitae rigidioris imitationem traxit, sic quisque ex imitatoribus ejus asperitati quoque proximus videri voluit, ita ex Umbria franciscani instituti zelosus aemulator Matthaeus Baschius in toga quoque horridiorem sectatus cultum, accuminari magis capucium ejus voluit, unde repente per hoc a ceteris habitu discriminati, capucinorum nomen traxere, pro-

batique hoc loco in cultu anno 1528 a Clemente VII. Romanae sedis antistite, toto orbe separatis monasteriis ritibusque ac disciplina vivendi, multiplicari coepere, atque ad hanc Trevericam archidioecesin ex Italia quoque vicinisque locis hoc seculo emergere. Quorum exordia progressumque, si parce admetiar, non meae sed communicantium tenuitati erit imputandum, a quibus sequentia tantum licuit impetrare.

Conventus Trevericus et aliorum locorum.

Treverim capucini a Lothario archiepiscopo recepti fuere anno 1616, postquam praenobilis domina Jutta, domini ab Hattstein vidua, locum, quem nunc incolunt, aedificandae ecclesiae monasterioque instituendo coemisset. Hujus consilio munifica elector princeps manu succurrit, ecclesiamque et chorum suis impensis ad hodiernam speciem eduxit. Verum conventus piorum deinde hominum liberalitate est excitatus, quem hactenus vitae sanctioris disciplina viri egregii illustrarunt.

Bacharacum vocati anno 1621, »ab Hispano milite, qui merebatur sub Caesare contra Fridericum antiregem Bohemiae, rerumque tunc potiebatur in palatinatu, de senatus civiumque consensu domum civicam inhabitandam ingredimur, in qua dum annis fere tribus catholicum gregem exemplo, verbo et sacramentis curamus, primo fame, temporumque pellentibus malis aliquantisper loco cedere, dein vero anno 1627 per minores de observantia, quorum duos ceu sacellanos campestres secum duxerat noviter adveniens miles, penitus exulare jubemur; at vero meliorato rerum temporumque statu, anno 1635 benevolentia pristina denuo a magistratu suscepti, et hospitale S. Spiritus subintrare permissi, in eo patientia multa probamur, usque ad annum 1639, quo a patribus de observantia, per evicta in Hispano magistratu decreta, iterato propulsi, primo in Agonia domini, dein in oppido vicino, cui nomen Lorichium, avulsis ovibus stationique nostrae longanimiter caepimus invigilare: Inde vero a Philippo Wilhelmo serenissimo Neo-

burgicorum duce (qui post religionis dissidia primus inter electores Palatinos profitebatur catholicam fidem) anno 1685 ad curam pristinam reauspicandam admissi, altero dein anno, non attentis dictorum patrum oppositionibus multis, ibidem possessionem prehendimus, et obtinemus spatia, nostris votis proportionata: In quibus dum anno 1688 ecclesiam aere suo facit initiari reverendissimus et perillustris dominus Henricus Casimirus de Steincallenfels Teutonici ordinis eques, ac in aula Palatina mareschallus supremus, haec, obnitentibus fatis, ultra humum tunc non egressa, circa annum 1705 (qui et conventui primarium lapidem favit) ex plurium beneficentia ad fastigium plenum assurgit: Sicque anno mox insequente, deserta electorali domo, transire licuit in conventum novum, ac in ecclesia itidem nova auspicari officia sacra.«

Cochemium iidem religiosi oppidum ad inferiorem Mosellam situm, coloniam traduxere. Et Lotharii illud quidem electoris sub extrema ipsius archiepiscopatus factum tempora, anno salutis 1623, at habitatio iisdem propria nonnisi sub Philippo Christophoro archiepiscopo anno post tertio est constituta, quando generosus dominus Joannes Jacobus ab Eltz, hereditarius Trevericae sedis mareschallus, in colle ejus oppidi ecclesiam domum capucinis idoneam munificentia non vulgari excitavit, cui, defuncto jam domino, praenobilis ejusdem conjux Maria Elisabetha a Metzenhausen, illustre donum crucis Jerosolymitanae ex Oriente quondam allatae, velut sacrum anathema templo inferendum, adjecit. Quae solemnioribus diebus venerationi proposita, late vicinum populum ad recolendam dominicae passionis memoriam trahit. Porro quo hic religionis emolumento, pietatisque fructu patres capucini versati sint, abunde et ecclesiae frequentia et sacramentorum creber usus et devotio affectusque incolarum accolarumque ejus loci testantur.

Confluentina in valle supra Ehrenbreitsteinium ad vicinum Rheno locum qui Leyanae hereditatis erat, capucini quoque ab archiepiscopo Philippo admissi sunt, qui eisdem ecclesiam conventumque suis impensis aedificavit, quam anno 1629 excitatam, haud multo post tempore Galli in arcem vicinam

accepti, cum subjectae vallis aedibus turpi incendio consumpserunt, ut praeter murorum reliquias, aversis in alia loca religiosis, nil superesset, donec anno 1657 surrogatus archiepiscopali dignitate Carolus Casparus a Petra, et conventum et ecclesiam a suo revocatam busto, novis operibus instauravit, benevoli reparatoris nomine honorandus.

Berencastellana in urbe idem elector Philippus fratribus minoribus capucinorum habitationem indulsit, quae cum ab anno 1641 unius domus angustiis circumscripta esset, tandem Caroli successoris indulgentia, liberalique stipe adjecta, ad collem civitatis promota, incohataque tam incolarum, quam vicini populi eleemosynis ad perfectionem cum ecclesia religiosis idonea sensim an. 1657 est provecta, non mediocri catholicorum affini haeresi circumfusorum qua solatio ad propagandam pietatem, qua ad tuendam religionem emolumento. — »Intra Berncastellum (est ad Mosellae ripam ob vini illic crescentis praestantiam non infimi nominis oppidum, olim Tabernae Mosellanae vocatum) domum pro capucinis acquirere, quantae molis, quantique operis fuerit, inde licet dignoscere, quod patres societatis Jesu, patres de observantia, et patres conventuales non modo ardentibus votis, crebraque solicitatione ibidem locum quaesierint, sed et eo reperto in grammatica, aliisque humanioribus studiis juventutem promiserint erudire. Verum quia ab anno circiter 1619 religiosi nostri ex conventu Trevirensi huc tendere, in majoribus festis Dei verbum ex cathedra, cum applausu et fructu annuntiare atque in sacro tribunali praesidere consueverant, hinc et civium propensionem sibi prae caeteris praeponderantem habebant; interim tamen cum non idem omnium esset affectus et sensus, oportuit hunc in finem non modica advocare subsidia, quae R. D. Jacobus Faber Berncastellanus primissarius primaria praestitit fidelitate, gentem suam nunc prece, nunc monitis, nunc modis aliis ad capucinicas partes adducens, nostrae dein gratitudinis opera ad parochiam Berncastellanam promotus. Ast quia nec hujus, nec aliorum studia, nec annosa nostra servitia omnia penitus removebant obstacula (cives enim pro liberis suis

magistros, ac in his bonum publicum meditabantur) hinc P. Sylvanus Biedburgensis, et F. Petrus Coloniensis laicus id, quod potissimum erat, in medium ferunt, insciis nempe superioribus promissionem scriptam magistratui porrigunt, posteros nostros, si civitas aliquando gymnasium erigeret, in erudienda juventute eam collocaturos operam, quam pridem obtulerant praedicti trium ordinum patres. Rebus itaque eo modo compositis, nostro civiumque petito suum denique annutum praebent eminentissimus Philippus Christophorus, ac perillustre capitulum metropolitanum, anno 1641 facultate nobis data, Berncastelli religiosam introducendi familiam: quae plusculo tempore in civica quapiam domo, dono primissarii praefati ad nos devoluta, fructus paupertatis degustans, anno tandem 1655 ingreditur regularem conventum, qui biennali circiter opera surgens, prae caeteris beneficos vidit electorem Carolum Casparum de Petra, a quo pomarium amplum, ac scaturiginem fontis habemus; excellentissimum Hispanae militiae generalem Frangipani; Hubertum Herblo in eadem militia annonae praefectum, postmodum in provincia nostra laicum professum, ac dictum Franciscus Maria: Margaritam Neeff viduam, et Joannem Faber horto nos superiori donantem.«

Residentiam anno 1659 eidem religiosi Welmichii ad Rhenum favore ejusdem principis electoris Caroli Caspari sortiti sunt, quibus domum intra muros sibi debitam possidendam hactenus propriosque in usus transferendam concessit, cujus hucusque liberalitati benevolentiaeque plurimum se debere non diffitentur. De eorum translatione ad Divae Thaumaturgae Bornhofiensis aedes, rev. episcopus Trev. Josephus p. m. sequentia habet. »Restat dicere de ecclesia in Bornhofen, quam anno 1410 modo extitisse et B. V. sacram fuisse videmus ex instrumento elocationis trium vinearum ad illam pertinentium, anno tamen 1435 noviter aedificatam esse inquit P. Hierotheus in provincia Rhenana fratrum minorum capucinorum pag. 307 sequentibus verbis: »»De Bornhovio certis monumentis narratur, quod Joannes Brömbser a Rüdesheim, nobilis eques, tempore Wenceslai ignavi florens, unam ibidem ecclesiam,

alteram in Agonia domini, tertiam erexerit in Rüdesheim; et Bornhovianam quidem anno 1435 suo sub tecto stetisse, liquet ex iis, quae moderno adhuc tempore leguntur in campanili retro indicem horologii; scilicet: anno Domini 1435 completa est haec ecclesia in vigilia Virginis Assumtae.«« Facit fidem huic aserto inscriptio majoris campanae ibidem, quae sic sonat: Campanam hanc 1444 primo fusam aetatis modernae pulsu confractam Joannes Hugo D. G. archiepiscopus Trev. princeps elector, episcopus Spirens., praepos. Weissenburg., administrator Prumiensis perp. aere novo refundi et glorioso Mariae nomine rursus vocari voluit 1702. — Claruit jam olim ecclesia tam insigni populorum confluxu, ut oblata multa ibidem essent, de quibus parochus certam portionem accipiebat 1522 — et archiepiscopus Carolus Casparus anno 1662 necesse duceret, PP. franciscanos conventus Boppardiensis coadjutores in festivis diebus constitere. Verum uti in Leudesdorf, sic etiam hanc stationem PP. capucini ambibant. Fatetur citatus Hierotheus ipse pag. 34 »»capucinis interim, qui in oppidulo Welmich hospitium satis arctum habebant, non infrequentibus votis tectisque studiis in id semper intentis, ut Bornhovii locum aliquando adipisci liceret; verum quot litigiis, quantoque id labore constiterit, ex eo colligant posteri, quod, dum elector Joannes Hugo votis nostris annutum clementissimum dabat, contradictorum mox turba prorumpens, coram apostolica sede, ejusdemque Coloniensi nuntio, nec non in curiis principum strepitum excitarit et lites.«« Has lites idem autor fusius explicat pag. 191: »»Non ecclesiastica solum dignitas, sed et minoritana fraternitas 1679 contra nos agere juncta quasi manu conjurat: vix enim ad Rheni ripam mussitaverat fama, Joanni Hugoni electori Treverico e consiliis et propositis esse, ut capucina familia sedem Bornhovii figeret, prodit mox Casparus Germans, patrum recollectorum provincialis minister, ac ut humilitatis subsidia vix profutura supponit, litem non modo nobis, sed et audentius ipsimet electori indicit, primo Coloniam ad nuntiaturae tribunal, inde pergens ad apostolicam sedem, ac utrobique querens, proposita prin-

cipis esse dissona sanctionibus juris, conventui suo Boppardiensi per novos hos vicinos evidentem accersiri ruinam, religiosos suos a multis retro temporibus ad messem Bornhovianam accitos operarios, sufficere usque modo, ac deinceps absque capucinica manu eradicare zizania, et triticum colligere posse. Huic suum quoque virus et vires sociat primissarius Campensis, ac demum ad utrosque permagnus quidem princeps accedens, contra id, quod Trevirensi constitutum erat, omnes quasi nervos intendit; nec irritus omnino fuit triadis adversariae nisus; Colonia namque archipraesuli coepta dissuadet, inhibet Roma, ne in iis ulterior attentetur progressus, adsunt denique iidem praefervidi fratres, ac coram electore jura non modo citant, sed et libros aperiunt, ac ex iis fulmina pontificia legunt; at vero dum religiosissimus aequissimusque princeps et his omnibus major, et sanctissimi propositi tenax, Romanos judices aliis narratis informat, suis tandem partibus, prout aequitas causae petebat, urbem et orbem inclinat. Rebus itaque feliciter compositis, Welmichio adesse, ac Bornhovii sumere possessionem permittimur.« .... Itaque eminentissimus Joannes Hugo (ibid. pag. 384), praesente prima nobilitate Treverica, confluente pene tota vicinia, P. Benigno Lohrano sub hoc themate: *villam emi, et necesse habeo exire et videre eam Luc. 14.* sermonem elegantem habente, conventui Bornhoviano primarium lapidem propria manu ceu illius fundator apponit, imposita ei inscriptione sequente: D. O. M. B. M. Virgini, B. Joanni Evangelistae, B. Francisco, omnibus Sanctis, sub Innocentio XI. papa, Leopoldo I. Romano imperatore, Joanne Hugone archiepiscopo et principe electore Trevirensi, ac episcopo Spirensi, P. Clemente Biedburgense PP. capucinorum provinciale, 16. aprilis anno 1680 positus est hic lapis angularis. .... et capucini (ibid. pag. 34) qui 10. febr. 1679 aediculam ecclesiae vicinam, quae aeditui alias hospitium erat, Welmichio deserto, inhabitare coeperant, pulcherrimum monasterium 1684 consumatum ingrediuntur.«

Linzii infra Andernacum eidem fratres coenobium possident illustrissimi domini Ernesti comitis ab Isenburg, cui

haereditario jure oppidum parebat, favore admissi, qui ad excitandum ibidem monasterium octo imperalium millia largitus est, probante et confirmante supremo in temporalibus domino Ferdinando archiepiscopo Coloniensium, et Trevirorum Philippo Christophoro in spiritualibus antistite; ille habitationis jus anno hujus saeculi XXVI., hic administrationis sacramentorum potestatem indulsit anno demum 1634. Primus ecclesiae lapis collocatus est, ad quod opus perficiendum D. Agatha Henrici Hemmermanni electoris Agrippinatum consiliarii relicta vidua, quinque dalerorum imperalium millia pia liberalitate impendit, ex quo deinde tempore indefessam P. capucini operam privato publicoque Dei servitio impendunt.

Alios capucinorum conventus habebant Arlon, S. Jean-le-Marville, Luxemburgum, Sarrelouis, Christiansberg, Wadern.

Ultimus provincialis provinciae Rhenanae capucinorum fuit R. P. Romanus Schue ord. S. Francisci capucinorum. Natus in Trittenheim die 22. julii 1736, ordinem capucinorum ingressus et ad sacrum presbyteratus gradum evectus, per octo annos studiis fratrum suorum qua lector sacrae theologiae praefuit. Bina vice guardianus electus, denique provincialis minister ordinis capucinorum creatus est. In hoc munere lugens et moerens suppressionem ordinis sui Treviris vidit. Cum magna scientia in scientiis theologicis instructus, pietate ac bonis exemplis in statu religioso praeluxisset, anno 1805 ad novum seminarium episcopale convocatus fuit, ut sacram theologiam doceret. Idem qua pater spiritualis in seminario Trevirensi alumnis status sacerdotalis adhibitus, indefessus in exercitiis spiritualibus nec non in excipiendis confessionibus fuit. Tandem laboribus exhaustus die 31. decembris anno 1821 pie in Domino Treviris obiit.

CAPUT XXXII.

SANCTIMONIALES D. FRANCISCI.

A viris ad foeminas ejusdem ordinis transeo, quas cum supra notaverim diverso instituti genere et trium diversarum regularum observantia separari, ad principia hujus ordinis lectorem remitto, et praecipuorum tantum locorum, quibus hae sanctimoniales receptae sunt, memoriaeque annalium non indigna suppeditant, accedo, quarum pleraeque sub patrum de observantia disciplina sancte instituuntur.

Clarissae primae regulae.

Treviris in platea Tetradiana qua parte ad Mosellam vergit, clarissarum domus ante bina facile saecula est incohata in monasterio poenitentium jam prope deserto. Hujus primo originem familiae, deinde et illius in locum surrogatae, investigabimus. Deinde illustrium personarum factorumque ex domesticis loci fastis nonnullam memoriam inferemus.

Poenitentes hinc sua duxere exordia. Antonia Spanckia vidua Georgii Walini senatoris Treverici a conjugis morte anno 1134 terrenarum rerum insigni flagrare contemptu coepit, ideoque vitam detestata priorem, in lacrymis ac poenitentia divinis sese rebus comtemplandis impendit totam. Quo vivendi exemplo tres, quas habebat filias, Ottiliam, Evam et Mariam in societatem pietatis sententiaeque Deo soli serviendi induxit, quibus cum et vicinae aliae, qua matres qua virgines egregia virtutis captae specie sese adjungerent, famaque haec et imitatio ad levicula etiam maneret foeminarum consortia, neque cujusquam poenitentis familiaritatem excluderent harum affluxus, ut plus habuit admirationis, ita huic asceterio, quod ut personis sic collatis opibus conflatum est, poenitentium (Reuerinen) appellationem reliquit.

Antonia omnium prima pro matre agnita, legibus, quas ratio pietasque suggerebat, tam aequis flexit, ut amori non minus, quam venerationi esset omnibus: ideoque et post hanc suffragiis communibus Ottiliam ei filiam surrogarent. Non levem tamen haec difficultatem apud clerum passa est, quod sine approbatione et authoritate Romanae et Trevericae sedis ejus vitae communis institutum coeptum esset, quam tanto difficilius est assecuta, quanto tardius est postulata. Habitus denique religiosus niger et idoneus poenitentibus cum cingulo coreaceo, et sacellum iisdem domesticum indultum est, in domo Magdalenae Bohr excitatum. Anno denique 1149 Eugenius tertius Rom. pontif. Treviris ipse cum 18 cardinalibus eodem in loco praesens, vitae hoc institutum, sub regula D. Augustini confirmavit.

Rebus igitur personisque a publica ecclesiae authoritate confirmatis, Anna de Wackelberg ceteris moderatrix praefecta, sacram hanc aedem, quae hodiedum superest, anno 1149 primum, ac deinde et congregationis domum (ut erat rerum oeconomicarum non minus, quam divinarum rerum sciens atque amans) moliri coepit, et illa quidem in honorem S. Mariae Magdalenae, S. Quirini et S. Barbarae est consecrata. Ordinario primum subjectae episcopo, saeculari presbytero ad sacra utebantur. At deinde sub archiepiscopo Boemundo Himmerodiani abbatis regimini et visitationi paruere, ea tamen vitae libertate, quae clausuram excluderet.

Verum haec eas libertas ad ruinam sensim inflexit. Nam et rigore poenitentium soluto, remissiore vita ad tantum neglectum raritatemque devenere, ut anno demum 1451 sola ex monasticis Hilla Matthiae de Palatiolo superesset. Haec tamen zelo Dei pietatisque inflammata, Jacobi a Sirck archiepiscopi voluntatem non admisit modo, verum et exoravit, ut ad clarissas possessio monasterii hujus transferretur, quod approbatione Nicolai V. pontif. anno 1453 ipsa Mariae Magdalenae festiva memoria, praesente tota nobilitate, perfectum est. Et clarissae octo ex Gnadenthal et Alspach introductae sunt, quibus Hilla excepto ab archiepiscopi manibus solenniter habitu,

accessit: bonis, privilegiisque pristinis deinde omnes fruiturae. Disciplina tamen moresque ex S. Francisci instituto moderari sanctius sub PP. minorum, qui nunc de observantia sunt, coepere, carnium illis usus perpetuo interdictus, reditus demum a Tridentino permissi, cum antea sub rigore 1. regulae durassent.

Clarissarum vero prima, quae abbatissae nomen tulit, nobilis virgo fuit Elisabetha de Lindenfels, hujus imprimis instituti prudens moderatrix, quae idcirco ad eundem ordinem auspicandum, Antwerpiam evocata, extremum illic diem clausit, anno 1455. Porro hoc monasterium diu praecipuae nobilitatis virginibus matronisque floruit, ex quibus Mechtildis marchionissa Badensis, quae abbatissae etiam perfuncta munere, soror credita Joannis marchionis Badensis archiepiscopi Trevirensis, quae anno 1485 die aprilis 18. obiit.

Gertrudis de Sickingen, quae Hochstratum missa an. 1490 abbatiali sede admota est. In cujus gratam memoriam Franciscus a Sickingen infestis urbem machinis expugnans, ab hoc suos parthenone omnem abstinere vim jussit. Hic accedit Catharina Bavaro-Palatina ex Francisco duce et Margarita Geldriae ducissa progenita, quae licet jam a teneris desponsata, amisso forte rosario, ut vocant precationum, cum parentum correptionem formidaret, suadente domestico sacellano, votum Deo virginitatis servandae concepit, modo rosarium in manus rediret. Nec mora repertum est, et parentes religione ducti licet annum aetatis sextum egressa non esset, parthenico coetui eam adjunxerunt, cui dum maturior avelli nollet, perpetuo adjuncta vitam sancto fine anno 1522 conclusit, abbatissae etiam perfuncta munere, quod tamen ex demissione posuit, fratre Joanne Palatino comite haud modice indignante, ut si imbecillitatem suam potius, quam virtutem hoc facto professa esset, et coacta magis quam ultro abiisset, sed abstersit hunc fratris errorem iramque soror literis, religiosa modestia dignis.

Plures in hunc religiosae vitae circum primae nobilitatis personae induci possunt, ut Catharina landgravia de Nellenburg, quae anno 1517 defuncta est, Elisabetha principissa de Frankfort (?), quae eodem anno et mense octobri defuncta est,

Anna comitissa de Westerburg, 1505, et Catharina comitissa de Weda 1555 ad immortales transmissa. Praeter quas Eva de Simmeren, Crispina de Manderscheid, Maria ab Eltz, Anna Maria ab Hack de Lissingen, singulari omnes, ut nobilitate, sic virtute conspicuae.

Sed et ignobiles hoc in loco nobili pietate claruere, quarum tamen ex proximo solum et hoc saeculo memoria superat, reliquis antiquitate et oblivione obrutis.

Catharina Honthemia abbatissa fuit ex familia Treviris nota. Haec ut erat singulari pietatis cultu, per confessarium probatissimum directa, illum ad capitularem congregationem abeuntem verita amittere, cum studiosissime D. Franciscum pro illius reditu imploraret in vigilia epiphaniae: is oranti apparuit, et *revertetur*, ait, *tuque hodie in veritatis argumentum regina eris.* Evenit illud, cum sortito deinde ex more patriae ad reginam eligendam virgines convenissent, ipsaque se auditam reverso confessario sensit. Haec sancte in Domino obiit 1560.

Lucia deinde Propst et ipsa abbatissa, vicariam suam ac 13 sorores monuit, ut una secum ad mortem paratae essent, quam stare prae januis affirmabat. Nec fefellit, omnes eodem anno 1566, et illa quidem 29. septembris peste sublatae sunt.

Sub eadem vixit et cum eodem uno anno ac die extincta est Margaretha Kinheim, simplicis promptaeque obedientiae virgo, quae dum vivos carbones repente alio transferre jussa est, destituta vase portatorio, in sinum illos collegisset, innoxie transtulit.

Catharina Simonz contemplationi singulariter dedita cum in mensa communis refectionis gratia sederent, in extasin rapta, alta voce inclamare coepit: *Vae vae! undecim fratres nostri capti sunt, et misere trucidantur.* Nec spectaculum vanum fuit, eodem enim tempore R. D. guardianus Gorcomensis Nicolaus Pieck cum decem sui conventus fratribus haereticorum manibus Brilae in Hollandia variis excarnificati tormentis, laqueo denique anno 1572, die 12. novembris suffocati sunt.

Multa ejusce sunt generis, quae de virginum diversarum sanctitate et revelationibus monasterii hujus annales continent, quae nos paucis contenti praeterimus, quae ecclesiae totius judicio probata, digniorem apud posteros scriptorem reperire poterunt. Sed et confessariorum hic quorundam insignis virtus, miraculosis etiam ornata factis, memori fastorum consignatione tenetur, quam aliis exponendam relinquimus.

CAPUT XXXIII.

TERTIAE REGULAE DIVI FRANCISCI

Monasterium Besselichium.

Locus hic antiqua martyrum religione celebris, quamvis sacello honoratus, minus tamen, ante monasticae vitae hoc in monte institutionem, frequens fuit. Antiqua vero observantia Besulano, seu ut alii Besselichiano huic monti haud procul infra Confluentiam Rheno adjacenti mansit, ex nobili Floriani et Engelindae principum Gallicorum martyrio, quod ex tabula ejus, tali historia redditur.

»Anno post Christum natum quingentesimo in septimana »sancta a Gallia venit rex Florianus cum Engelinda conjuge, »episcopo Elone, Pupillo diacono et Wenceslao subdiacono, ac »toto comitatu suo, qui secundo Rheno Coloniam navigabant, »honoraturi undecim virginum millia cum aliis ejus loci SS. »martyribus. Hi navigio infra Ehrenbreitsteinianum delati »montem, vicinum juxta Besselich collem corruscare cernunt, »ignitamque fulgurare in aëre crucem. Quo viso, instinctu »afflatuque divino, navem appellunt, collemque conscendunt, »in quo sacellum reperiunt S. Remigio (verum postea) con»secratum, quod dum intrat episcopus una cum diacono et

»subdiacono totoque reliquo comitatu, prope altare sunt ab »Hunnis omnes trucidati, passus cum illis est Florianus rex »et Engelinda regina cum omni famulitio.« Regis et reginae capita servantur integra, in regis capite plaga luculenta monstratur. Reginae vero caput hodie adhuc decore capillitio vestitur. Intra extraque ecclesiam jacent plurimi martyrum tumulati. Quam historiam, cum, *in Ursula vindicata*, recitasset P. Crumbachius, addit: fidem eidem facere constantem populi traditionem, imaginem martyrii vetustissimam, missale antiquissimum, et vetustos codices virginum eandem narrationem complexos.

Confirmant ea magis, quae Browerus ex antiquis schediasmatis de Andernacensis templi reliquiis ad Christi annum 1440 producit, ubi tamen monendus est lector, annos a Christi passione numerari, qui a nativitate ejus ducendi erant, Anibetam quoque reginam et Florianum ejus filium apud Andernacenses custoditos et Besselichii etiam passos diversos a superioribus censeri principes, qui in comitatu fuerant. Nec nisi regulos, seu ut modo loquimur viros principes fuisse, quorum gloriosior tamen celebratiorque apud posteros exitus, quam nativitas, ut in multis olim martyribus fuit.

Porro vetustus ejus loci sanctimonialium codex, qui sub papa Symmacho et imperatore Anastasio passos refert, nihil ab anno quingentesimo a nativitate Christi ducto discrepat, cumque juxta Victorini canonem illo anno septimana sancta, qua passi sunt, in martium et resurrectio Domini in secundum aprilis diem inciderit, fas est credere 30. martii occisos esse, quando episcopus ad sacellum sacrificii gratia adscenderit, ut reliquos coenae participes redderet, adeoque cum agno paschali victimas has Deo sacras occubuisse. Et credibile est, Gallos hos a Clodoveo Francorum regi terris ejectos patriis, quibus Franci jam late potiebantur. Hic in christiani nominis hostes barbaros, qui infesta Hunnorum appellatione accipiuntur, incidisse, cum ab his late aversus juxta Pyrenaeos montes Clodoveus bellaret, utut denique ceciderint martyres hoc in monte succubuisse jam olim receptum est.

Septingenti ab hoc tempore facile anni interlapsi sunt, quibus sensim loci religio desidia atque oblivione hominum obliterari coepit, ut idcirco ex vicinia illustris piusque dynasta dominus ab Helffenstein anno 1204 sacellum recens iisdem pene in vestigiis priscae aedis post recentem SS. corporum inventionem condidit, quod Joannes Trevirensis ecclesiae pontifex cum tribus in eodem altaribus titulo S. Remigii et dictorum martyrum 16. junii consecravit, primamque S. Remigio, Gallorum apostolo et Rhemensis ecclesiae archiepiscopo, sub quo passi fuere (forte et ad fidem pietatemque instructi) aram inscripsit, alteram Deiparae Virgini et tertiam S. Blasio episcopo dicavit. Hodieque talis summae arae inscriptio est: *Altaris summi patronus S. Remigius, SS. Crux, S. Archang. Michael, SS. Tres Reges et S. Florianus rex cum Engelinda regina conjuge martyres.* Quanquam anno 1639 Suecici belli tempore sacrilegis hereticorum manibus arae violatae sint, sacrarum tamen, quae Dei providentia fuit, reliquiarum arca hactenus inviolata, S. Floriani et Engelindae capitibus in eadem lipsanotheca junctis.

Praeter quae alia triginta sanctorum martyrum corpora pie asservantur, quae a se invicem separare religio est, quod infelicem ejus conatus successum fuisse memorent. Sicquidem postquam unum sanctorum corporum tertiariis virginibus olim inferiorem Insulam habitantibus, indulsissent, ter illatum navi corpus in Insulam, ter suum repetiisse in Besselichiano monte locum affirmant: tanquam recusaret jam a societate et loco triumphali post fata avelli, quem vivens moriensque occupasset.

Ut vero primum tertiarum virginum hunc in montem accessum teneamus, is potissimum illustri familiae dominorum ab Helffenstein et Jacobi Sirckii archiepiscopi Trevirensis piis voluntatibus benevolisque decretis adscribitur, nam ut loci religionem augerent, quinque hujus instituti delectas virgines, jam in Valle Ehrenbreitsteiniana morantes, eodem transtulerunt, opibusque atque autoritate ad parthenonem erigendum adfuere. Elisabetha porro Weissia his constituta mater et temporalium rerum curam, ita spiritualis vitae rationes, egregia

istic prudentiae sanctitatisque opinione sustinuit. Verum aetate denique viribusque impar oneri succumbens, alterius validioris in humeros onus reclinavit, anno salutis 1469.

Margaretha igitur a Studernem ex frequenti qui jam affluxerat, nobilium coetu delecta virgo, in locum surrogata est, quae hujus monasterii res et frequentiam virginum tanta sedulitate promovit, ut sexaginta et egregiae pleraeque nobilitatis censerentur personae, quae sancta pietatis aemulatione laudatissimum parthenonem implerent. Haec aris ecclesiae instauratis nova easdem per episcopum dedicatione consecravit, sui etiam ordinis patronis adjunctis.

Ab hoc tempore majori populi et sacrarum processionum frequentia mons celebrari adirique coeptus, martyris etiam Sergii patrocinio ornatus, qui capite martyris ad venerationem proposito, in anteriori aede honoratur multorumque afflictorum hominum, praesertim phthisicorum ope cognitus est. Nec pauci ex hereticis cum infantibus phthisi deficientibus affluere visi, et ex his post orationem ac benedictionem, reliquiis in crucem ductis formatam venerari; nonnulli suo se malo liberatos palam fatentur, cujus sancti laus eximia apud D. Gregorium Turonensem est, additque fatale esse ex donis eidem martyri oblatis quicquam aufferre, idque experientia cognitum.

Nec innoxii manent, quotquot consecutas loci hujus processiones, religionis causa ad martyrum Besulanorum venerationem institutus, negligunt, cujus experimentum alterius P. Crumbachii scriptoris, nec tempore, nec loco remoti, verbis ac fide exhibere malo. »Cultum,« inquit, »martyrum istorum »annuae sex pagorum vicinorum supplicationes tum miraculis »nostra aetate factis luculenter demonstrant, nam die veneris, »quae Ascensionem Domini excipit, sex pagi confluunt, Nieren»berg, quae matrix ecclesia est, eique subjacens Vallis infra »Ehrenbreitsteinianam munitionem, Neudorff, Urber, et Sum»meren, sextus pagus Arzem dicitur, paroecia diversa, conveniunt »pagorum inquilini ad ecclesiam Nierenbergensem, et sacro»sanctum eucharistiae ferculum ordine et eximia religione »consuetis ceremoniis comitantur. Nam ubi per Vallem ad

»Rhenum conveniunt, omnes conscensis navibus, una cum »augustissimo sacramento pie recolunt navigationem S. Floriani »et sociorum, quando ob majestatem coelestis ferculi majora »tormenta arcis exploduntur. Narrant majores, hanc navigio »peregrinorum supplicationem adornandam esse: nam si re- »verentiae causa tentarent iter terra peragare, nec gradum »posse promovere: vel eam repente coelo concitari aëris in- »temperiem, ut cogantur regredi. Jam ubi sub ipsam muni- »tionem ventum est, exscendunt pariter naves, donec prope »crucem evangelium fuerit decantatum, tunc enim repetitis »navibus descendunt, et in pago Vallender applicant, ubi »adornata rite pompa supplicationis, monte conscenso, in templo »sacris intersunt et concioni, postea votis et divinis peractis, »pedites pergunt in Nierenberg, ubi accepta benedictione »divinissimi sacramenti ad sua quisque remeat. Eodem die »tres alii pagi pedestri itinere eodem peregrinantur, Eutelborn, »Kadenbach et Arzbach nominantur, qui in paroeciali templo, »quod Bofelskirch vocant, cum curione collecti pedites pergunt »in Beslich, et quia ob loci distantiam sacrum Christi fer- »culum non deferunt, ubi peractis ad honorem martyrum votis »et divinis, redeunt Nierenbergenses, reduces comitantur ad »D. Pancratii sacellum usque, nam ibi percepta cum sacrosancto »sacramento benedictione ad suam redeunt paroeciam. Constat »experientia multo annorum usu comprobata, quod si pagorum »istorum inquilini peregrinationem vel intermittant, vel post »Ascensionis dominicae feriam sextam differant in aliud tem- »pus, fruges omnes tempestate penitus atteri, nec altius »repetere patrum memoriam opus est: cum Francis arx »Ehrenbreitsteiniana traderetur, anno 1631, sex pagi metu »licentiae militaris peregrinationem distulerunt: paucis diebus »post coelum tonare, fulgurare et grandinare coepit, ea vehe- »mentia, ut segetes omnes solo afflictae et attritae penitus »perierint, equi vero aratores arcis Ehrenbreitsteinianae quasi »furiis agitati, ruptis catenis et funibus ab aratro diffugerint, »fulminato tunc famulo proscindente terram vomere, qui semi- »animis domum relatus, paucis post diebus decessit. Docti

»tantis malis agricolae eodem anno postridie Corporis Christi »peregrinationem indixerunt, quam quia nunquam ex eo ad »hunc annum tempore omiserunt, nihil etiam agris de coelo »nocitum hactenus fuit. Horum similia detrimenta grandiores »natu memorant, semper inflicta coelitus, quoties eam religionem »omiserunt vel prorogarunt.« Haec Crumbachius, quae manifesto nobis argumento sunt, Deum S. martyrum istorum memoria atque honore delectari, contemnendosque omnes, quotquot ejusmodi processiones a majoribus nostris pie institutas contemnunt.

CAPUT XXXIV.

Monasterium Cardonense.

Cardonae in supremo oppidi per acclivium montem sese porrigentis vertice juxta ecclesiam parochialem reclusorium foeminarum Deo servientium olim extructum est, ad cujus jam interlabentis sanctitatem tuendam ex monasterio Besselichiano anno salutis 1476 tertii ordinis S. Francisci sorores traducti sunt, ac spirituali patrum de observantia directioni commissae, indulgente ac literis datis hanc possessionem confirmante Joanne de Vinstingen, S. Castoris in Cardona archidiacono. Ecclesia subinde excitari coepta, quamvis minime ampla, non tamen inelegans, quam anxie de illius structurae figura haerentibus, S. Nicolaus episcopus habitu episcopali apparens suo circumscripsisse pedo fertur, at de templi magis religione, quam domo solicitis, evenit, ut quam olim inceperunt veterem incolere, haec nunc tota in ruinam inclinata liberalem fulcientis domini manum exspectet.

Diversis hactenus bellorum tempestatibus hostiumque injuriis jactatae virgines, omnem fortunam expertae sunt, aliorum petitae vi et contumeliis, aliorum miseratione sustentatae. Hollandorum huc arma transferentium metu anno 1590 Con-

fluentiam, et rursum anno 1621 Besselichium ejectae sunt. Suecico Gallicoque superiorum temporum bello ter eliminatae, denique anno 1640 ceu desperatis rebus in diversos conventus dissipatae, stationem deseruere, quam sub moderni archiepiscopi pacifica gubernatione patrocinioque illustris D. Joannis ab Eltz haereditarii Trevirensis aulae mareschalli, spe melioris fortunae repetierunt.

Quiescit ante aram illius templi summam R. D. Joannes Marmagen loci benefactor insignis, tertiamque D. Francisci regulam professus. Ad latus vero deposita est D. Maria Mez de Coberen, quae annis 18 mensae vitaeque religiosarum socia, moriens haereditatem sororibus addixit. Haec anno salutis 1524, ille vero 1640 vita functus; memoria tamen benefactorum uterque superstes, tanti refert etiam morientes nosse, ubi suos recte thesauros defodiant, ut horum beneficio vivant.

CAPUT XXXV.

Monasterium Boppardiense.

Ante Boppardiensis urbis, qua Rheni superioris cursum spectat, moenia, monasterium sororum tertiariarum surgit, quod ecclesiam S. Martino Turonensium episcopo sacram complectitur, raris antiquorum martyrum monumentis ornatam, quae ab origine explorata habere Trevirensium historiarum cupido interest. Nec Browerus in annalibus ad annum 1200 eorum notitiam praetervectus est, ad quem remitto, moniturus tamen, aberrasse eum, quando S. Elisabetham Schonaugiensem, haec primum sanctorum martyrum corpora Boppardiensibus manifestasse refert, cum id S. Gertrudem filiam S. Elisabethae Hassiae principis, Altenburgensem abbatissam fecisse, variis scriptorum testimoniis constet. Unum nobis recens ab ipsa

corporum inventione a fide dignissimis exaratum, suffecerit, quo origo inventionis ejusque series panditur. Sic habet:

»Honorabilibus viris et in Christo dilectis dominis, abba»tibus, prioribus, praepositis, decanis &c. Hartmannus prae»positus conventus ecclesiae montis S. Mariae Boppardiae, »canonici ecclesiae B. Severi ibidem, scultetus, milites, sca»bini, et universa civitas ibidem salutem in eo, qui est omnium »salus. Cum nos jam dudum a multis et viris et mulieribus »fide dignis nobis referentibus intellexerimus, quod, cum ipsi »fuissent apud Wezlar et Marpurg pro visitandis S. reliquiis, »et venissent Altenburgum ad visitandam venerabilem et Deo »dicatam virginem filiam B. Elisabethae, audierunt ab ore »ipsius, quod juxta Boppardiam extra muros sita esset capella »in honore B. Martini dicata, ubi multae sanctorum reliquiae »requiescerent, et non esset multum necesse ad loca remota »pro visitandis sanctorum reliquiis se transferre. Et sic medio »tempore et jam ad praesens illa capella sit nimia vetustate »consumpta, et in ruinam deducta, et boni homines ipsam »ecclesiam honeste, decenter, ac opere sumptuoso ad honorem »Dei, B^mae^ suae Genetricis et S. Martini reparare inceperint, »ecce in ipsius operis initio secundum quod praedicta virgo »filia B. Elisabeth praedixerat, cum foderent in altum, in»venerunt feliciter multa corpora recondita, et in Christo »requiescentia nec non et quendam gladium in signum martyrii »corporum praedictorum in quodam sarcophago, quo videlicet »gladio, capitibus amputatis ad dominum felici martyrio in»dubitabiliter transmigrarunt ab anno dominicae Incarnationis »142, sicut ibidem inventum est in lapidum sculptura sub »terra. Datum anno 1280 Laurentii martyris.«

Non sum nescius quosdam veterum scriptorum Aristarchos quaesituros hoc in schedio, quo illius fidem integritatemque vulnerent, negentque fieri potuisse, ut lapis hic martyribus appositus annos Christi complexus sit, cum primis christianorum seculis illa signandorum temporum consuetudo non obtinuerit, sed primum temporibus Caroli Magni sit introducta, receptumque solum fuerit, per annos regum aut imperatorum

consignare literas. At ego hanc alibi valde imbecillem esse arguendi vim in meis ad hos annales notis docui, quo lectorem ablego. Deinde eum usum, ubi valuit, maxime in publicis usurpatum scriptis constat, quod multi sub gentilibus principibus fidem suam profiteri his scriptis nollent, ne ob hanc commissionem repudiarentur, at vero in privatis et sub terra recondendis nomen Christi tanto amplius fas erat profiteri, quod posteritati haec essent de se suisque sincere transmittenda. Accedit, quod credibile sit horum locorum christianis, id temporis annos Christi quam Antonii imperatoris regnantis fuisse exploratiores. Jam vero, quis leviculis illis censurantium conjecturis tot virorum procerum, integraeque urbis fidem, nisi temere, postponat? Quocirca hosce Argos, tanquam in nebulis antiquitatis caecutientes, hoc loco parum verebor, et fidem scripto annisque non derogabo.

Ceterum licet numerus Sanctorum martyrum, una cum nominibus interciderit, sedecim tamen eorum reperta sunt corpora, quae in observatione apud posteros mansere, gloriosis Sanctitatis indiciis collustrata. Manetque etiamnum sensu quorundam in parte septentrionali, sub gradibus lapideis, quibus ad odeum sanctimonialium adscenditur, suaviter fragrans odor, ut Pii Bodenheimii loci et conscientiarum praesidis, testimonio experientiaque testatum est, cui accedit Joannis Flemmingii ejusdem loci sacerdotis, gravissimis viris, explorata integritas autoritasque, qui sepulchralem terram inter divina commoveri et quatere insidentes sedilibus contuitus. His remotis aram censuit imponendam, quo facto quies restituta est.

In cujus viri memoriam dum incidimus praetereundum non videtur; quod ultimus ille hujus sacelli rector virginibus locum ultro cesserit suasque iisdem facultates addixerit, imo et servitium, quando ad mortem usque cum sacello earum moderatus conscientias, ut erat vir apprime doctus, nihil quo virginum sanctitatem pietatemque ecclesiae promoveret, otiose neglexerit. Erasmo Roterodamo ob literarum qua Latiae qua Graecae eruditionis peritiam gratus, atque etiam ex virtute commendatus, sic enim de eo in epistola ad Beatum Rhenanum

scribit: »Ubi Boppardiam appulimus, officii gratia comitatus »est nos Confluentiam D. Joannes virginibus sacris illic prae»fectus, vir angelicae puritatis, judicii sobrii sanique, doctrinae »non vulgaris.« Gesnerus, qui hunc Flammingum, ut ait, bibliothecae inserit piumque illi ad Christum epigramma attribuit. Poeseos non fuisse rudem, tabula ad laevam chori, quae hinc S. Hieronymi inde D. Catharinae praefert imagines, breve hoc illius inaratum distichon ostendit.

Χαίρε πάτερ summi regis doctissime scriba et tu praedulcis
κοσις amica simul.

Tum aliud quod sibi morituro epitaphium his versibus condidit:

Sit licet in cineres corpus mortale solutum
Et caro principio consociato suo,
Ipse tamen rursus, scio, sum victurus, et actae
Percipiam vitae praemia digna meae.
Interea placido somno, precor, ossa cubate,
Spiritus aeterna pace fruatur: Amen.

Tumulatus post 30 annorum hac in aede praefecturam prope gradus sub lapide coeruleo, cui visitur incisus calix sacerdotii argumentum, defunctus in festo S. Christinae anno salutis 1532. Porro spiritualis haec praefectura denique ad sors virginum haud multum a Cardonensium jactatione disside, ad patres de observantia translata est, quod Rheni ora militari ut plurimum insolentiae obnoxia sit, cum ad hanc tanquam sedem lautiorem plerumque se effundant horum locorum copiae, muscis similes, quae pinguiora fere obsident. Miraculi instar fuit, quod cum anno 1632 Sueci, ductore Ottone Ludovico Rheni comite, Boppardiam vi armata occuparent, humanissimum illum erga se ducem tutoremque monasticae virgines expertae sint, nullique militum fas fuerit, quicquam offensionis huic monasterio dare. Qua felicitate cum iterato inter Gallos quoque caesareanosque usae essent, hoc audaciores successu praestiterunt quoque 1635 anno, cum permisti Gallis Sueci extremam loco vastitatem intulere, Catharinam quoque Merlensem asceterii vicariam, postquam ad monasterii thesaurum, qui

nullus erat, manifestandum frustra impullissent, nudatam verberibus, flagrisque conscindunt, ac denique explosa in caput bombarda gravissime vulnerant, ut paucas intra hebdomades sublata, martyrii speciem mors ipsius prae se ferat, cum in odium fidei haec illi potissimum clades sit irrogata. Nec minor pene illarum calamitas annis subsequentibus, nempe 1639 sub Sueco-Weimariensibus, tum vero et anno 1647 fuit, quando possessionibus avitis sunt dejectae, exulibusque piorum hominum liberalitate vivendum fuit, dum anno salutis 1650 reductae, pacis communis praesidio frui potuere. Interea non raro munifica serenissimae principis landgraviae ex Rheinfels manu sustentatae, quam hospitem domi suae cum voluptate suscipiunt, humanitate non minus quam liberalitate ejusdem delectatae.

CAPUT XXXVI.

Monasterium S. Joannis Trevirense.

Hospitale olim hoc loco militum Hierosolymaeorum S. Joannis fuit, qui ad pontem Trevericum hodie juxta Mosellam versantur, sed cum bellorum temporumque injuria interversi reditus, vix ad sarta tecta conservanda sufficerent, Gutta de Badercordt domina in Berberich, vidua generosi domini Erhardi ex Gymnich, fratribus Hierosolymitanae militiae quotannis 7 florenos aureos veteris monetae obtulit, ut sibi ac virginibus Deo servituris locum indulgerent, quod anno salutis 1454 pridie B. M. Magdalenae 22. julii ab ordinis commendatore fratribusque est impetratum, Guttaeque possessio harum aedium in platea palatiana transscripta est, cum apostolica Pii II. pont. anno 1461 approbatione 29. maji data, ut in tertiariarum quoque sororum usum transiret habitatio.

Nec mora eodem anno Audomari ex Gallo-Belgica accersitae virgines, a Gutta empta in domo acceptae atque insequenti anno in plenam missae possessionem, Gutta locum, cum onere pensionis, cedente. Quae haud multo post a sua absolutae provincia, legibus hujus archidioecesis addictae sunt, et visitationi Coloniensium de observantia S. Francisci subjectae. Anno demum 1506 virgines 30 numero, laicae hactenus, solenni investitura clausuraque receptae, diurnas nocturnasque horas sub tertia loci matre Margaretha Lewenstenia auspicatae sunt.

Successit ordine mater quinta anno 1528 praenobilis virgo Agnes a Felz, quae Romano officio in ecclesiam introducto, hoc ad laudabilem domesticarum rerum moderationem singulare adjecit, quod divini cultus promovendi eximiam in vita curam gesserit, donec anno 1568 ad alterius vitae praemia est avocata.

Post hanc Maria Breidensteinia rarae modestiae domina, et anno 1588

Anna Romer a Thor, singularis defunctorum patrona, deinde vero anno 1601,

Sibilla Rosenbaum promptae exemplar obedientiae, omnisque peculii domestici, qua religiosa paupertas deteritur sedula aversatrix, magna laude clavum usque ad annum 1637 tenuit, septennio post 6. novembris defuncta est, sub qua memorabilis virgo Adelheidis Schrick Aquisgrano ex augustinianorum monasterio majoris desiderio perfectionis huc delata, receptaque in ordinem est, quae in consideratione dominicae passionis et S. eucharistiae usu lacrymis ubertim exundare consueverat, in extremo denique vitae morbo, postquam Deum de purgatoriis poenis hic infligendis potius quam in vita altera precata esset, tantis ardoribus aestuare visa est, ut miserationem spectantibus incuteret, anno 1605 die octobris 11. immortalibus asserta.

Matrem vero Annam Mariam ab Heppenheim dicta Saal exemplar absolutum religiosae virginis, quae Sibillae est surrogata, praeterire nefas sit, haec ex sterili parentum thalamo, ut divinitus tantum ad illorum preces impetrata fuit, ita Deo quoque a non ingratis oblata, 16. aetatis anno, nobilium vir-

ginum in Horreo (de quibus alibi) monasterium subiit. Verum objecto coelitus spectaculo, ad hunc ordinem ubi et cognatam Annam ex Heppenheim eximiis humilitatis, obedientiae, patientiaeque virtutibus, etiamnum superstitem habebat, vocata paruit, seque rigidiori huic disciplinae inaugurandam transscripsit. Nec multo hic versata tempore cum illa prudentia virtuteque luxit, ut in vicariae munus assumpta, 36 annis hoc in officio laudatissime consumptis, matris denique authoritate omnium suffragiis virginum praefecta fuerit. Quo in magisterio a pristina demissione et charitate erga omnes, qua actiones imperiumque omne mirifice condiebat, nunquam deflexit: ita reliquis praesidens, ut subesse omnibus videretur, et rogare cum mandaret, servire cum obsequium acciperet. Christi et Deiparae matris vita et Josephi castissimi sponsi perpetuo animi oculis objecta, ad venerationem imitationemque amantis desideria inflectebat. Hunc tanquam familiae sanctae foelicissimum rectorem implorabat saepius, et quandoque ipsius etiam praesentis monitis, in aedificii opere directa est, pluribus vero coelitus gratiis privilegiisque fruita, quae singulari demissionis studio occultabat. Vocata ad illos, quos impense honoraverat, superos, anno 1656 die septemb. 28.; ad cujus sepulchrum relictae ab illa virgines singulari in necessitate solatio, praesidioque non raro haesisse compertae sunt.

Sub hac plures virginum matris suae pietatem sanctitatemque aemulatae raris vitae religiosae exemplis, quae longum esset prosequi, eminuere, paucarum tamen operae pretium erit tetigisse, ut appareat, quanta vis insit virtutibus regentium ad par decus subditos impellendi.

Soror Maria Merel laica, singulari ardore defunctorum sese praesidio impendebat, ut praeter diurnas intercessiones, noctes pene integras in hoc obsequio consumeret, multisque ante mortem annis ter centies flexisse etiam brumali tempore nuda in humo genua memoretur, singulisque ardentem de passione Domini precatiunculam vicibus pro animabus defunctorum recitasse. Animosum praeterea hujus in prima adhuc aetate facinus laudat servati monasterii posteritas, siquidem

cum saeviente Treviris lue anno salutis 1566, exhaustum religiosis fuisset, et sex tantum cum aegrescentibus etiamnum superessent, ideoque sanis pauculis ad alios parthenones dimissis, hunc aliorum usibus destinare magistratus decrevisset: haec repente novitiis aliquot virginibus, sub habitu assumpto collectis, tanto apud magistratum Trevericum numero apparuit, ut susceptum e manibus consilium extorserit, coeptaque in statione virgines durarint. At Maria anno denique salutis 1613 vitae suae stationem 8. septembris deseruit, experta utique in morte animarum istarum auxilium, quas suis in vita suffragiis conciliaverat.

Altera, Margaretha Noviomagensis, ex religiosis, quas dicunt velatas, in caeteris pietatis officiis maximo flagrabat in Christum et sacrae eucharistiae usum amore; ut inter sacra post uberes lacrymas extaticis non raro affectibus absorptus animus corpus destitueret, unde evenit, ut nonnunquam communionis sacrae desiderio, quo tunc frui ex more non poterat, mente ac sensibus prorsus destituta pro mortua aliquamdiu relicta, elataque ex choro fuerit, donec animo sensim revocato, confessa sit, Jesum, quo frui in eucharistia non potuisset, summe a se desideratum ex ara, in parvuli specie ad se suumque cor descendisse, illudque cum sensibus in sui amorem penitus convertisse. Quae seu vera seu ficta imagine virgo perceperat, certe erepta sibi tota, et deinceps per vitam reliquam indelebili, non tamen inamoeno pallore decolor vultus testimonium extreme amantis animique subtracti fuit, et societatis Jesu patres qui tunc pro confessionibus huic virginum coetui deserviebant, virginis hunc raptum divinum fuisse testati sunt, nullo argumento illusionis comperto. Anno denique 1623 defuncta 16. octobris, illum quem amaverat, sine velamento contuita est, visura imposterum quae credidisset.

Praeter hanc a singularibus virtutibus commendata hac aetate ibidem vixere religiosae Catharina ab Alf, et Maria Madert utraque velata et patientiae imprimis pietatisque laudibus insignes, anno 1625 illa 1. februarii, haec 15. defuncta. Catharina Enschia quoque et Maria Hunthemia cultui

divino, et haec jejuniis addictae virgines, quibus idem quoque annus fatalis fuit, accessit his Anna Dasberga laica 1629 et Elisabetha Enschia 1633 mortua, quarum illa admirabilis abstinentiae, haec devotionis erga defunctorum animas peculiaris comperta est, harum etiam conspectu saepius excitata. Sed pluribus earum ex annalibus monasterii praeteritis (quarum viva etiamnum memoria superest) in duabus aliis, Barbara Eydena, quae anno 1632, et Anna Moynas, quae anno 1636 vita abiit, concludo, utraque velata ardentissimo futurae vitae despectuque praesentis efferbuere, adeo ut illa jam imminente morte inter acerbos dolores gaudio exultans affluensque lacrymis, extremum agonem 1. sept. obierit. Haec eadem laetitia gestiens jam properante fato sorores adstantes invitaverit, ut pro inenarrabili hac moriendi religioso in statu, gratia secum *Te Deum laudamus* concinnerent, quod ubi coeperunt canticum, ipsa exerta voce cum iisdem prosecuta, oculos 10. sept. in morte conclusit. Porro ut rem paucis dicam, perfectionis religiosae in parthenone studium viguisse constat, quod in pravis affectibus animi ad veram solidamque virtutem inflectendis situm est, propriamque imprimis voluntatem divino beneplacito in omni actione conformat. Huc enim praecipuam vertisse curam multarum exemplis exploratum est.

Quandoquidem tertiae hujus regulae non omnium idem est habitus, candidum hae virgines quem ex Belgio attulerant ad annum usque 1627 propagarunt, quando provinciali patrum de observantia visum est, consensuque virginum probatum, ut familiarem pluribus et patribus his usitatam grisei coloris togam sumerent. Ex quo tempore pater illarum spiritualis, qui a confessionibus iisdem constanter adesset, ex hac quoque patrum observantium disciplina assumptus est, qui hactenus laudabili vitae castigatae exemplo, ut hic et alibi praefuisse comperti sunt.

Monasterium seu clusa Limburgensis.

Clusa Limburgensis seu Betlehem dicta a Walthero Scheureno collegii S. Georgii ibidem decano, patrimonii pro-

prii impensis excitata est, qui anno 1485 vita laudatissime acta functus, in choro franciscanorum sepultus, monumentum hoc pietatis suae aeternum reliquit. —

Ortum debet asceteriis, quae ineunte saeculo XIV. regulam tertiam S. Francisci secutae, communi in domo vivebant, et tandem emissione votorum solemniorum regulam professae sunt, de quibus charta Pazae de Schupach, magistrae tertii ordinis B. Francisci in Limburg, data anno Dñi 1342, in vigilia Exaltationis Sanctae Crucis. Domus communis habitationis vocabatur Rigelhaus, id est: domus regulae. Fundationem ex sororum dote primitive enatam Walterus Scheurenpost, decanus Limburgensis expost, aõ 1484 die 22. jul. non solum adauxit, sed et domum novam cum separata capella, S. Hieronymo dicata, erigendam curavit, hac addita obligatione, ut moniales sub obedientia provincialis PP. franciscanorum persisterent.

CAPUT XXXVII.

Alia tertiariarum monasteria.

Sunt et alia quaedam monasteria tertiae regulae virginum quae a patribus minoribus conventualibus reguntur. Ex his conventus Trevericus juxta praeterfluentem in urbe rivum qui ab autore seu fundatore, ut traditione magis, quam scriptorum fide tenetur, Weiler-Bettenacum dicitur. Inter antiquiores vero hujus archidioecesis conventus habetur, cum jam anno Christi 1368 ab his sororibus habitatus deprehendatur. Visitationi directionique patrum conventualium jam ab anno Christi 1437 subjectae vivunt, nec singulare quidquam suppedit, quo Trevirensium fastorum memoriam consecrent.

Aliud ad extremam urbis septentrionalis partem monasterium grisearum sororum nuncupatum, a tertiae regulae S. Fran-

cisci professore, fratre Petro Wasserbillichiano institutum est, anno Domini 1443. Ille enim cum abbatissa conventuque ad Pontem Leonis extra urbis muros, quibus locus debebatur, egit, ut sacratis hunc Deo virginibus certa lege cederant, quo obtento immigrarunt, et hactenus religiosae vitae studio variisque textrinae laboribus, quibus insudant, eundem tuentur, patrum quoque conventualium observationi commissae. Ex hoc porro monasterio alii ejusdem instituti originem ducunt, ut est conventus Filzianus ad Mosellam juxta Dusemund, Tettringensis prope Santerfuhr et Rosdorffianus Sircio proximus. Quorum tenuitas lucem nostrorum annalium publicam non affectat.

Tertius his jungi in ipsa urbe juxta aquaticum molendinum conventus poterit laicarum sororum, beneficio metropolitanae aedis dominorum hoc in loco, jam a priscis retro temporibus, collectus, ut aegrorum praecipuae suae immunitatis hominum servitio obsequiisque sese impendant. Quod hucusque non sine diligentiae, et religiosae vitae laude, munus implere memorantur.

Monasterium clarissarum Epternacense.

Sub eorundem patrum conventualium directione Epternacense in Luzelburgica ditione monasterium est, quod olim anno 1330 ab opulento cive Trevirensi juxta Urbani pontif. indultum justis opibus fundatum, uxore tamen invita memorant. Is Petrus Zerasin, haec Juliana appellata est, quae, ut refert Bertelius, cum pium mariti propositum evertere non posset, licet filiam propriam Hildegardim jam abbatissam monasterii declaratam vidisset, improbissimo consilio sicarium in viri necem adornavit. Ipsa vero impetratis subdole fundationis literis alio se subduxit, filiamque cum sanctimonialibus reliquis destituit, et haec, de Juliana Bertelius, quam fide mea, exhibere malui, cum modernae virgines et consensum uxoris, et ejus apud se extare sepulchrum affirment, Trevirorum vero

pietatem matrisque erga liberos affectum superare hoc tantum scelus videatur.

Carolum tamen Joannis Bohemiae regis fratrem inter suos quoque fundatores, ob beneficia huic parthenoni collata numerant, cum pares civis unius opes vix esse tanto operi potuerint.

Catharina Zerasini sororem post Hildegardim anno 1350 morte sublatam, praefuisse tradunt, ac deinde ex prima nobilitate patriae successisse complures, ut Elisabetham ab Orley, Agnetem ab Eltz, anno 1495, Philippam a Brandenburg anno 1519, Franciscam a Clerf 1533, Margaretham a Nassaw 1544, Hildegardim a Mylburg 1561, Joannam a Benzerodt 1598, Margaretham a Manderscheidt 1626 laudabiliter officio vitaque pie defunctas, quibus altera Maria Elisabetha a Manderscheidt non impari existimatione successit.

Ceterum cum longum sit omnes parthenones Luxenburgensis ducatus excutere, illius historiae scriptori, quem in procinctu stare memorant, hunc campum apertum relinquo.

CAPUT XXXVIII.

EREMITAE D. AUGUSTINI.

Hi sub D. Augustini episcopi Hipponensis auspiciis et regula haud procul urbe Tagasta in Africa eremum incolere coepere, ut a rebus secularibus avulsi, totum rebus coelestibus animum impenderent. Ad 388 Christi annum referunt exordia, ab Innocentio I. pont. maximo 404 probati, inque ecclesiae catholicae communionem hac vitae disciplina recepti.

Sed ut tenuibus coeptum principiis sparsimque in solitudine habitatum, ita deinde multiplicato coetu divisi in monasteria, sub unius moderatoris obedientia vitam duxere, sed

et monasteriorum denique crescente numero, ut diversorum in quibusque asceteriis, ita et provincialium rectorum auctis capitibus, in varias congregationes divisi sunt, quae cum longum quoque diversitate a se invicem discederent, Alexandri IV. authoritate, unionem sub unius generalis magistri directione admisere, cujus ne memoriam deponerent, festum reunionis, ut vocabant, quot annis 5. junii die festivi celebritate recolebant, donec Andreas Proles, Turingorum Saxonumque ad Rhenum usque moderator, anno 1497 ab Alexandro VI. pontif. obtinuit, ut horum locorum monasteria, a generalis sui potestate exempti, pontificem tantum supremum in terris caput agnoscerent, infelici plane successu, quandoquidem Lutherus hac libertate fretus, nec pontificis denique authoritatem veritus, omnia susque deque religionis placita hisce in locis vertit.

Unde haec monasteria augustinianorum vel ab heterodoxis vel a catholicis etiam funditus subruta sunt, quod hujus factionis superesse seminarium nollent.

Et hinc etiam augustinianorum Vallis Ehrenbreitsteinianae oppositum Confluentinae urbi trans Rhenum in clivio monasterium suis etiamnum in ruderibus visitur et Lutheri quondam hospitis incolatu notatum fuit, desertum a religiosis habitatoribus, neglectum jacet.

Ceterum aliorum eremitarum veteris disciplinae monasteria, quae sub unione et ecclesiae Romanae orthodoxa fide stetere, hactenus aliquot in archidioecesi Treverica monasteria hodiedum supersunt, ex quibus illud quod Augusta Trev. in urbe excitatum est, facile inter Germaniae inferioris antiquissima censetur, licet incendio bellisque vastatum, primae suae originis et gestorum hoc loco monumenta cum rerum memoria amiserit. Neque hujus solius jacturam historiae deplorant, quando et reliquorum pene locorum origines progressusque sepulti delitescunt.

Nam uti in superiori archidioecesi Walderfinganum, et Theonisvillanum monasterium ejusdem disciplinae religiosi, ita Hildesheimense Eiffliacos inter montes, archidioecesis superioris regione possident, quod desertum hac tempestate Ignatii

Liebleri prioris diligentia instauratur. Interea qui Treverim modo incolunt, decus suum pro viribus in tenuitate sua tuentur, ubi plures ordinis sui viros gloriosos censere possent, si posteri de majorum fama solliciti illorum acta literis consignassent, certe plures doctrina et virtute excellentes monasterium hoc aluit, in quibus celebratur apud Nicolaum Crusenium de monachismo part. 3. c. 32, eximius pater et magister Joannes Pfalz, qui ob egregiam doctrinam inter universitatis membra delectus, ejus denique in rectorem electus, atque ad archiepiscopi conscientiam secretaque pietatis consilia regenda assumptus est, urbemque dissertissimis pro concione orationibus, in sanctae religionis cultu, sedulo formavit, quem alii subinde ex eadem disciplina aemulatores praeclari consecuti sunt, quorum nomina scripta sunt in libro vitae.

CAPUT XXXIX.

ORDO CARMELITARUM.

Carmelitarum religio sua, ut supra monuimus, principia ad orientalem Carmeli montem ab Elia ejusque habitatum successoribus refert, suumque hinc etiam nomen trahit, Deiparae Virgini singulariter nuncupata, quod eandem pari vitae instituto addictam fuisse sentiat. Multis haec in Oriente saeculis eremitarum cultu rituque propagata, ab Aimerico deinde, sive Gallo sive Italo, Balduini Jerosolymorum regis gratia freto, in Carmelo coenobitarum ritu in unius Bertholdi prioris viri sancti disciplinam collecti sunt, juxta institutum Basilii viventes, donec Albertus patriarcha Jerosolymitanus eosdem certae regulae adstrinxit, a variis deinde, ut supra meminimus, Romanis pontif. cum in Occidentem transiisset,

partim confirmatam, partim mitigatam, carnium esu certis diebus admisso.

In suas etiam hic ordo divisus familias, non idem ubique institutum amplectitur, alii horum discalceati dicuntur, alii mitigati, non quidem illi ab Innocentio IV. anno 1247, sed ab Eugenio IV. anno 1435 reformati, denique seculo XVI. S. Theresia, Abulae in Hispania nata, carmelitarum religioni addicta, supra muliebris naturae virtutisque provecta ingenium, pristinum hujus ordinis rigorem pontificum diversorum indulgentia mitigatum, severiore rursum instituto revocare ausa, non mulieribus solum verum et viris suffragante B. Joanne a Cruce persuasit: ut et in victu rigidiore abstinerent perpetuo carnibus et in vestitu asperiores, nudipedes incederent. Idque eo commodum tempore, quo Lutherus apostata in Germania religiosae disciplinae austeritatem nova libertate inducta pessumdabat, ut quod alibi in religione intercideret, novis alibi incrementis assurgeret. Haec igitur reformatio a Sixto V. et Clemente VIII. pontif. probata, ab hoc etiam proprium generalem per Hispaniam, in qua principio maxime invaluit, sortita est, atque inde sese in occidentalem quoque Indiam transfudit, aliae per Europam, ad orientalem Indiam usque se porrigunt horum carmelitarum discalceatorum utriusque sexus familiae, quae diversum in Italia praesidentem generalem agnoscunt, tanta brevi tempore sobole, sanctioris hujus instituti familia locupletata est.

Porro ceteri quibus Belgium, Germaniaque potissimum obtigit, qui Teresiano rigore in frigidioribus hisce locis non tenentur, tam calceorum quam carnium usu, quanquam moderato admodum, fruuntur, qui instaurata superioribus annis disciplina, obrepentem quoque locis nonnullis languorem castigarunt, nec minus proximorum sese utilitati, quam solitariae vitae studio impendunt, et horum ut mox videbimus tria in archidioecesi nostra Trevirensi monasteria possidemus, cum Teresianorum unum tantummodo, et nuper primum Confluentia admiserit. Ab illis igitur ordiemur.

Monasterium Boppardiense.

Patres carmelitae hoc sui ordinis ad Rhenum in Germania monasterium possident antiquissimum, in quo sub regula ab Alberto accepta et Honorio III. pontifice primum approbata, et a Gregorio IX. successore anno Christi 1230 confirmata, haud multo post in Europam translati coeperunt vivere, brevi tempore per varias regiones divisi, non hic solum constitere, sed ad Indos etiam propagati sunt, ut gloriosius illorum exilium, quam Carmeli sola habitatio fuerit. Quare ut Boppardiae oppido haud longe supra Confluentiam Rheno adjacenti, reciperentur, actum est, impetratumque seculo XIII. ut videtur ad finem devergente, quia bulla Innocentii IV. anno 1240 data primum illorum in cismarinas partes transitum indicat, hic verosimile est, parochiale id temporis munus ecclesiaeque parochialis administrationem suscepisse, tum quod plerorumque nobilium sepulchralia monumenta, non in ecclesia S. Severi, quae nunc parochiae nomen sustinet, sed in ecclesia carmelitarum deprehendantur: tum quod veteri consuetudine primum istic carmelitae patres locum in clero possiderent hactenus, anno tantum 1656 ultro archiepiscopo postulante cessum. Porro qua aestimatione pietatis hic olim vixerint, non obscuro argumento diversorum nobilium arma testantur gentilitia, qui ab amata in vivis religiosa domo nec mortui quidem separari cupiebant, quanquam ad eam antiquitatem, qua eos Lezana tom. 3. annalium carmelitarum evehit, cum anno Christi 1088 collocat, Boppardiae assurgere nequeant, cum eo nondum tempore Europam subierint, aut regulam nacti Albertinam a pontificibus Romanis fuerint confirmati.

Viros aliquot hujus loci coenobitae nomine ac virtute celebres efferunt. Antesignanus in his Henricus de Boppardia, sed parum certo censetur licet moderandis ceteris prioris titulo praefuisse dicatur, tamen ex PP. benedictinis aut praemonstratensibus istic sacra curantibus, quorum habitum propius

figura viri refert, fuisse est credibilius, et his convenit annus Christi 1113 ex monumenti inscriptione, quae hunc carmelitam non fuisse tradit.

Superest praeterea illustris memoria R. P. Petri Meerboyt, viri pietatis ac prudentiae laudibus celebrati, qui suo in prioratu quo geminis ab anno 1443 vicibus perfunctus est, non mediocrem, qua ab amplitudine qua ab ornamentis sacrae aedi gratiam adjecit. In quibus sub altera templi excitata versus septentrionem ala crucifixus, insigni ad movendam supplicantium pietatem artificio elaboratus, cum certa poenarum indulgentia proponitur et magna affluentis late populi devotione ac frequentia honoratur. Petro e vivis sublato, venerabilis P. Matthias Emich Ss. theologiae doctor suffectus est coenobii gubernator ac munere ab anno 1469 praeclare obito, doctrinae vitaeque religiosae praestantia in episcopum Cyrenensem et archiepiscopi Moguntinensis suffraganeum ex ordine assumptus est, cujus res gestas aliorum annalibus inserendas transimus.

CAPUT XL.

Monasterium carmelitarum Trevirense.

Alterum ab hoc Treverica in dioecesi natum carmelitarum monasterium est, quod in ipsa urbe haud procul a foro, beneficio non ignobilis matronae Margarethae Reginae, Tilmanni Regis, ita nomina civium ferebant, incolere coeperunt. Illa enim ut erat singulariter Deo Deiparaeque ejus matri devota, cum intellexisset coelorum reginae devotos clientes ex Oriente a Saracenis pulsos in hasce Occidentis regiones sese intulisse, jamque fixisse Boppardiae ad Rhenum sedem, fama honestae conversationis religiosaeque disciplinae mota, domum suam cum horto eis ad ecclesiae monasteriique sedem obtulit, anno

partae salutis 1265, nec refragante archiepiscopo Trev. Henrico Vinstingio, qui Perusio, ubi tunc inter Italos agebat, datis recens a Paschate literis ratam donationem habuit, postea a Nicolao IV. papa anno 1. pontificatus 8. julii anno salutis 1288 probatam.

Auxere sequentes Trevirorum archiepiscopi beneficium, et in absoluta jam ecclesia Boemundus, Dietherus, ac Balduinus, eadem in cathedra successores, facultatem non solum pro concione dicendi, verum et exomologesis sinaxisque administrandi, adjecto etiam singularium indulgentiarum privilegio concessere. Temeritas post haec magistri Thomae de S. Joanne clerici Trevirensis, qui carmelitas aliosque mendicantium sacerdotes paschalibus negabat festis posse confessos a sceleribus absolvere, a Cunone archiepiscopo anno 1396 justo diplomate est castigata.

Ceterum ecclesia haec ut oportuna vicinae civium frequentiae, ita pluribus lapsu temporum confraternitatibus, ut vocant, sub diverso religionis et Divorum nomine est nobilitata, quarum licet pleraeque interciderint, meminisse non abs re futurum putem.

Prima confraternitas venerabilis in eucharistico pane sacramenti fuit, quae ad senatus civiumque praecipuorum postulationem instituta, suo plerosque albo comprehendit, literis Jacobi archiepiscopi anno 1455 laudata firmataque, qui omnibus ad solenne de eodem sacramento sacrificium die jovis hebdomadatim affluentibus, etiam sodalitio non adscriptis, quadragintialem indulgentiarum remissionem obtulit. Porro ceteris illius sodalitatis fratribus suam quoque Romani pontifices statis per annum temporibus remissionis gratiam fecere, qua pietatem studioque frequentantium accederent. Verum aliis haec deinde in templis instituta, hic refrixit.

Altera confraternitas S. Annae est parentis Deiparae, quae sub ipsius patrocinio ad Deum ejusque matrem conciliandam instituta et a Joanne archiepiscopo anno salutis 1494 probata, ab Urbano vero octavo et Innocentio X. pont. con-

firmata, tam ecclesiasticos quam seculares certo devotionis ritu complexa fuit, sed et hujus magis titulus, quam usus superest.

Tertia S. Sebastiani congregatio est, cujus tutelae adversus morbos, imprimis contagiosam pestilentiae luem singulari cultu adstringitur, quae cujusque ordinis ac dignitatis viros feminasque admittit, pontificiis quoque indultis privilegiisque munita stetit; at hanc sibi vetus denique nec procul remota S. Gangulphi parochialis ecclesia vendicavit, quae solenni quotannis populi ac concionis frequentia capite D. Sebastiani ex archiepiscopi palatio basilicae illato celebratur.

Quarta S. Eligii, quod fabrile vulgus colligit sodalitium, huc olim quoque ex parochiali S. Pauli ecclesia translatum, lapsu temporum, ut fit, attenuatum evanuit.

Quinta igitur tantummodo perstat solennis ordini universo scapularis Deiparae Virgini sacra congregatio, qui majori civium observatione frequentatur.

Neque illud dissimulandum hoc loco est, patres carmelitas aliquot seculorum decursu ad nigrum deflexisse ex griseo habitum.

Sed hoc nunc aevo Treviris primum anno 1648 Turonensem reformationem admisisse, qua et regularis observantiae disciplina temporum injuria aliquantulum lapsa coepit instaurari, et pristinus grisei coloris habitus resumi, quod Philippo Christophoro archiepiscopo probante, anno 1649 ipsi Jacobi apostoli festivitate peractum est, atque hinc ad cetera utriusque Germaniae carmelitarum coenobia rigidioris disciplinae vestitusque exemplum atque imitatio, quamvis multis aegre assentientibus, traducta est, quod difficilior aliquanto a libertate ad majorem vitae rigorem quam a rigore ad majorem libertatem sit transitus.

De viris illustribus carmeli Trevirensis.

In Trevirensi hoc carmelitarum asceterio plures qua eruditione, qua virtute conspicui viri reperti sunt. Primus circa annum 1265 spectabilis eminuit Henricus de Colonia, Ss. theologiae professor, ac subinde utriusque Alemanniae prior pro-

vincialis, demum et episcopus Rhedestonensis. Cujus potissimum industria ac solicitudine prima carmeli Trevirensis fundamenta jacta sunt, seque non infelicibus principiis extulere. Vivit ejusdem viri memoria in catalogo scriptorum illustrium ordinis carmeli ab Auberto Myraeo vulgato.

Secundus est Henricus de Aquila, qui ut Bostius inquit, Allemannus natione, ac Parisiensis scholae doctor, carmelitarum institutum amplexus, illorum apud Treviros priorem egit, clarusque anno Domini 1330 scriptorum monumentis effulsit. Vulgavit adversus Petrum de Crosa librum 1. In cantica canticorum quoque librum 1. Quodlibetorum libros duos. Quaestionum ordinariarum librum unum ejus apud Sixtum, Posevinum et Gesnerum in bibliothecis nomen illustres inter scriptores proditur.

Tertius Nicolaus de Arluno, ex Trevirensis carmeli priore virtute ac doctrina, qua in theologicis eminebat, ad episcopatum Acchonensem suffraganeumque archiepiscoporum Trevirensium Cunonis et Werneri translatus, operam, ut privatim ad carmelitani monasterii instaurationem in aedificiis multa contulit, ita publice ad sacram totius archidioecesis disciplinam piae eruditionis studia egregia laude convertit, exemplar ipse vivendi ceteris atque incitamentum, prudentia in omni opere, religio in lustratis passim ecclesiis consecratisque Deo Divisque altaribus, spectata est. Monumento suo in carmelitarum apud Treviros aede etiamnum superstes, ut et suo ad annum 1392, quo vita excessit, loco annales nostri meminere.

Quartus Conradus Aldendorpius est, ex eodem ordine monasterioque pari eruditionis fama ac sapientiae laude commendatus, ut et hunc Wernerus archiepiscopus Azotensem creatum episcopum, pontificia sibi authoritate in spiritualibus surrogarit. Quem Posevinus S. Cyrili carmelitani instituti doctoris vitam scripto complexum fuisse memorat. Eundem anno salutis 1413 defunctum, suo carmelitarum Trevirensium ecclesia monumento ad dextrum summae arae latus excepit.

Quintus Joannes Sporrus sive Sporre, qui cum Parisiis egregiam in literis posuisset operam, anno 1320 carmelitanam

subinde disciplinam secutus, opus memorabile de casibus matrimonialibus scripto typoque complexus est.

Sextus Michael Herbrant, Duranus, sacrae theologiae lector, Crucinacensi primum ac deinde et Trevirensi carmelitano monasterio prioris in munere anno 1416 praepositus, tanta pro concionibus dicendi copia gratiaque in animos audientium influebat, ut cum admiratione omnes amoreque teneret, late ab ecclesiis diversis ad dicendum invitaretur. Joannem ex comitum Spanheimensium familia ultimum familiari sibi conversatione addictum, multis in se suosque beneficiis munificum expertus est, varios eruditione ac pietate refertos commentarios posteritati reliquit, ut elegantes de tempore sermones lib. 1. sermones de Sanctis libro altero, collationes item synodales capitulis diversis habitas.

Septimus Joannes Kaldenhusen, Ss. theologiae lector, qui inter ceteras elucubrationes pharmacopolium virtutum composuit, fundatum in illa Senecae philosophi sententia: *Bona mens non emitur, nec venditur, nec accomodatur, imo si venalis esset, non haberet emptorem,* quae mysteriis plena est. Claruit 1421.

Octavus Joannes de Vianden Ss. idem theologiae praefectus lector, eximiam praedicatione verbi divini laudem tulit, quam et scriptae per eum conciones de tempore et Sanctis libris 2. participant, quibus Passionem dominicam libro 1. prosecutus adjecit, anno 1480 inter vivos adhuc celebratus.

Nonus Petrus Cusanus, doctoratu theologico concionumque gratia ac denique prioratu tribus vicibus feliciter juxta pieque obito famosus, denique anno 1551 mortales Treviris deseruit. Cui Joannem Witlichium decimum eodem praedicatoris divini verbi munere prioratusque terna etiam vice, laudabiliter functum, quodque magis est, eodem quoque anno defunctum vita merito adjunxeris, eum sperandum pari in coelis gloria receptos, quos par religionis studium officiumque in terris junxerat.

Undecimus Ludovicus Plackius, grata pietatis virtutisque suae fama in memoria posterorum superest. Prioris denique

officio, postquam diu supprioris in munere versatus esset cum honore functus, quievit anno 1553.

Duodecimus, ut apostolicum numerum impleamus, Joannes Seinerus Volckmartianus est, qui theologici doctoratus pileum Coloniae sumpsit, concionum frequentia fructuque ornatus. Hic ut erat eruditione praestans, commentarios sacros Guidonis de Perpiniano episcopi, ex ordine carmelitarum, *quatuorumum* sive *concordiam quatuor evangelistarum,* item summam de haeresibus, nec non expositionem in cantica, *Magnificat, Benedictus* et *Nunc dimittis* multo labore revidit, emendavit, auxit, publicaeque donavit luci, ac tandem in suscepto prioratus onere animo quam corpore vegetior succubuit anno salutis 1536. In quo numero velut ad S. anchoram haeremus, dum posteritas, melioribus auspiciis crescente illustrium virorum censu longius provehatur.

CAPUT XLI.

Monasterium Antonianum.

Silvestris montanusque hujus monasterii locus ob similitudinem Carmeli Orientalis montis, Carmeli, post sacri ordinis admissionem nomen sortitus est, ut quod istic Saracenorum impietas destruxit, Occidentalium pietas devotioque instauraret. Originem istic religionis natae operae pretium erit scrutari, olim quis locus hic fuerit, ex specie vicina montium silvis pascuisque ad alendum pecus refertorum haud difficulter colligas. Kellenses ex propinquo huc pago armenta sua agebant pastores, quae per avia deviaque nemorum pabulatum ibant, hic quod Moysi quondam pascenti objectum oculis pastorum spectaculum est. Fax in medio flagrare dumeto, cum inter-

diu, tum imprimis noctu conspecta, saepius non solum attonitos pastores, verum et pagi incolas trahebat terrorque injectus omnibus diu accedere vetuit, dum animosior unus profligato metu, *vadam,* inquit, *et videbo,* nec mora propior factus illam, quae hodiedum in basilica carmelitarum adhuc visitur dolorosam magnae matris statuam, Christum a morte in sinum excipientem conspicit, atque ante hanc S. Antonium eremitam in genua provolutum habitu supplicantis. Viso exposito, accurrunt confertim omnes, parique spectaculo, non sine admiratione ac pietatis sensu, defixi adhaerent, consultatum subinde, quem in locum transferenda statua, placuitque universis parochialis Kellensium ecclesia S. Lubentio sacra, huc igitur illata atque ad cultum loco honorato proposita. Verum insequenti quaesita die, nullibi nisi in suo reperta dumeto, quo sine bajulo redierat, repetunt tamen incolae Kellenses tanquam sibi jam communi suffragio addictam, sed frustra, suum illa dumetum, idque saepius relata, revisit saepius, tanquam obstinata eo loci persistere.

Unde animadversum, non alio Deum loco, quam silvestri illo passionis suae dolorosaeque matris simulacrum hoc proponi velle, quare vulgata jam miraculi fama, annuente Trevirorum archiepiscopo Wernero Koenigsteinio, cujus sacra huc se porrigit jurisdictio, sacellum in monte ad memoriam dolorosae Virginis Sanctorumque Antonii et Wendelini erectum est anno salutis 1390 consecratumque a domino Huberto Werneri suffraganeo, loci vero administratio credita est D. Wigando de Modersbach, Kellensis ecclesiae parocho. Perstitit hoc in servitio annis aliquot, dum plures variis afflicti malis hinc praesentem sese reperisse opem sentirent, adeoque crescente miraculorum fama, et ut fieri amat affluentium populorum multitudine, impar adventantium curae pastor, laicum sibi carmelitani instituti fratrem posceret, qui pro aedituo sacelli curam sustineret, peregrinos exciperet, sacrisque operaturis assisteret, cui ad usum vicina etiam prata sylvaeque dominorum indulgentia concessa sunt, ut sensim habitationi plurium mons fieret opportunus.

Igitur D. Matthias de Aquis, carmelitarum provincialis, a Trevirorum juxta ac Coloniensium archiepiscopo, hoc in temporalibus, illo in spiritualibus domino, qui id temporis erat Joannes Badensis anno 1465 loci sacellique possessionem impetrat, pontificio jam ante Romae indulto privilegioque adeundi fretus. Nec multo post P. Matthias Emich, cujus supra inter Boppardienses laus est, ecclesiam cum monasterio exorsis piorum hominum liberalitate magnopere provexit, cujus tamen absolutionem P. Joanni Wenckio in prioris munere successori reliquit, quam anno salutis 1494 conspexit.

Nec praetermittendum, quod inter aedificii hujus educendi conatum sese obtulit prodigium. Quercus erat proceritate eminens atque aedibus perquam accomoda, sed quam in sylvarum confinio sitam, cum admota securi operarii secuissent, vir e nobilitate propinquus sibi vendicatam loco vetuit moveri. Inter haec cum ductam contentione diem nox absolvisset, alteraque luce reditum utrimque esset, dehiscente terra vasta quercus penitus absorpta apparuit, solis tantum ramis superioribus ad ostentationem prodigiosae voraginis in superficie montis eminentibus, quod spectaculum adeo perculit coarguitque inconsultae tenacitatis nobilem, ut non fundum modo, ubi steterat arbor, sed et sylvas agrosque confines integre ad usum monasterii Deiparaeque honorem transscripserit, exinde et loci et religiosorum addictissimus cultor, tantum lucri unius arboris jactura monasterio attulit.

Serenissimus elector Ferdinandus Bavarus Coloniensium archiepiscopus, cum acidularum, quae istic frequentantur gratia, superioribus annis accederet, religione situque loci delectatus, per dies quibus aderat, multos istic ante aram Deiparae flexis quotidie poplitibus solitus procumbere, se suamque dioecesin impense magnae matris intercessioni commendabat, argumentumque devoti animi binos ingentes cereos virginea et candicante ex cera laboratos culteque pictos, alterum Deiparae, D. Antonio alterum dicatum, statuit, cujus pietatem aemulatus modernus Trevirorum archiepiscopus Carolus Casparus, quando et se obnoxium ejusdem patronae beneficiis sensit, non modo

praesentem illic sese ac supplicem ante aras stitit, verum et summi altaris nobiliori opere cultuque erigendi curam sumpsit, impensasque suo aere praestitit, divinorum, quae istic offeruntur sacrificiorum futurus particeps.

Miraculorum Antoniacensium gloria.

Visit hunc aliquando locum, sub prima surgentis ibidem Carmeli exordia, P. Joannes Soreth, ordinis totius generalis magister, sanctitatis fama adhuc in vivos inclytus, dignumque et fontium varietate et amoenitate vallium colliumque esse censuit, quem divinioris philosophiae candidati a vulgari mortalium consortio segreges incolerent, ita ad monasticae vitae oblectamentum et coelestium rerum contemplationem a Deo conditus eidem videbatur. Attamen ubi hic a sanctitate mirandisque jam coepit eventibus locus praedicari, solitudo in hospitum versa frequentiam, salutaribus non tantum placere fontibus, sed et aris coepit; in quibus et matris dolorosae et D. Antonii praesidia explorata celebrantur. Verum pauca, quae ex monasterii vastatione supersunt, tanquam post naufragium relictae monumentorum tabulae, ex iisque, quae hujus potissimum seculi memoriaeque sunt, recolentur.

Duo memorantur in fidem istic recepta, sed quae nota temporis destituta sunt, alterum de praenobili domino de Schenck a Schmidburg, qui festuca in oculum ex arcu elisa non solum oculi lumen, verum et patientiam ex ingenti dolore caruit et lumen recepit. Alterum matris ex pago Kellensi, quae gravi infirmitate correpto infante, dum ad patrocinium virginis properat, exspirasse per viam puerum comperit, iter tamen prosecuta, cum depositum ante Deiparae pedes sibi vitaeque reddi postulat, infantem repente et spirare, et valere integre non sine ingenti gaudio deprehendit.

Anno 1611 Haimondus Schröder vivis hodiedum cognitus, octo annorum spatio utriusque oculi orbatus visu, cum nullam nisi in divina ope spem caecitatis profligandae haberet, ante

aram Deiparae frequenter supplex, ut ejus apud filium intercessione visum reciperet, postquam illa expectatione divino eucharistiae refectus cibo fuisset, rursum ante imaginem dolorosae matris supplex procumberet, sensit illius opem cum insolita luce affulgere, plenumque sibi oculorum usum restitui, ut exultans Deumque ac Deiparam intimo cordis sensu glorificans, prosiliret, quod de recepta post jacturam luce, quam de accepta olim lactior bonum hoc carendo aestimare didicisset.

Illud ob facti insolentiam praetereundum non videtur, quod anno salutis 1612 grassante ad Rhenum in comitis de Wittgenstein subjecto arcis pago acrius pestilentia, quae irrita medicorum cura passim incolas Stygi immolaret, non defuerint ex acatholicis licet, qui ad praesidium aramque Deiparae Antonacensis confugerint, idque praecipue noctu, ut qui remote non abessent, quodque interdiu se prodendos, convitiisque praedicantium proscindendos formidarent. Nec fides in parum fidelibus irrita, quotquot huc sua pro sanitate vota obtulerant, stetere incolumes, reliquis sine discrimine afflatu luis intereuntibus.

Praeerat Antoniacensi conventui P. Conradus Kirspelii post annum salutis 1603, cum ex pago Weilerio puella daemonica adducitur, ex cujus ore per exorcismos coactus, daemon fateri sedem in capillitio divinitus sibi indultam esse, quare praescisae comae impositaeque altari D. Antonii, peractoque ibidem sacrificio ac precibus, daemonis vis omnis potestasque discussa est.

Sed et sacer ignis, quem D. Antonii, quod ipsius patrocinio propulsetur, quidam nuncupant, quique correptos facile artus in putredinem post acerbissimos dolores solvit, anno 1611 Joannem Theobaldi corripuit, nec remedium nisi post supplicantis ardenter vota ante D. Antonii aram repertum fuit, ubi accepta, quae ad nominis ipsius invocationem benedicitur aqua convaluit.

Par malum et cura puellae ex Bruck desperate laborantis fuit, qua post benedictionem anno 1612 uso sanitati sese integrae restitutam sensit.

Plurium illud frequensque beneficium cùm sit uti primus admirationis sic etiam observationis, ut in annales monasterii referretur, habuit beneficiorum coelestium frui, quam recordari multo est jucundius.

Conventus Beilsteinianus.

Origo hujus conventus, ut recens est, atque ad annum 1636 primum hoc loco incohatus, ita parciorem scribendi materiam suppeditat. Auspiciis generosi domini Emmerici baronis a Metternich aedis metropolitanae apud Trevirensi praepositi, illic a patribus carmelitis habitari coeptum est, primusque hujus loci superior designatus est P. Carolus Troywilliger, quo duce magistroque sacris domi forisque ad hanc inferioris Mosellae regionem non poenitenda opera, laboratum est.

CAPUT XLII.

Carmelitarum discalceatorum conventus Confluentinus.

Anno salutis 1654 in vigilia S. Ignatii societatis Jesu fundatoris, duo patrum ex carmelitana disciplina discalceatorum Confluentiam subierunt, literis hi eminentissimi principis electoris Caroli Caspari ad habitationem capescendam freti. Cum opportunas sibi aedes principio non reperissent, hospitali tecto patrum societatis Jesu excepti, illorum tantisper domo mensaque fruiti sunt, dum aedium sese commodas ad habitandum daret. Interea monasterio temploque quaesita sedes, quae demum anno 1656 in loco moenibus Rhenanis, ad meridianum urbis angulum vicino, ex canonicorum S. Castoris, quibus haec

plaga debebatur indulto obtigit, non modo volente, sed et aurigante principe consensuque apostolico, per San Felicium Romanae sedis legatum accedente. Quorum authoritate consensuque translatus aere campus carmelitanis patribus censit, ac subinde anno 1659 primus hujus coenobii lapis ab archiepiscopo collocatus est, hanc aerea lamina inscriptionem ferens:

»Ad majorem Dei optimi maximi Sanctorumque omnium »hujus loci ac coenobii tutelarium et patronorum gloriam »sedente Alexandro VII. imperante Leopoldo I. Austriaco, pri»marium hunc lapidem posuit Em^mus^ et Rev^mus^ Carolus Caspa»rus archiepiscopus et S. R. J. princeps elector Trev. hujus »coenobii fundator ipso profesto omnium Sanctorum anno 1659.«

Promota triennio non leviter domus, cum aede sacra habitationi jam idonea videbatur, quando anno salutis 1662 in vigilia Nativitatis B. M. Virginis canonicis S. Castoris cum venerabili sacramento comitantibus e conducta domo patres carmelitae ad novi monasterii possessionem immigrarunt, quod hodiedum sua nondum structura, quae solidi elegantisque magis quam vasti est operis prorsus absolutum est. Illud credo reputantibus secum incolis sat cito, si sat bene.

LIBER VI.

DE EPISCOPATIBUS TRIBUS ECCLESIAE METROPOLITANAE ANNEXIS METENSI, VIRDUNENSI, TULLENSI ET DUCATU LUXEMBURGICO SPIRITUALI JURISDICTIONI TREVIRORUM ADDICTO.

Postquam metropolim iis potissimum, quibus temporali simul spiritualique jure regit, locis peragravimus, propinquorum quoque episcopatuum regionumque huic mitrae archiepiscopali addictorum meminisse est necesse: non quidem ea lege, singula exquisite, ut in Treverica dioecesi factum, discutiendi, verum methodo ac ratione magis generali, qua summa tantum reipub. et gestarum rerum capita, quibus nostrae sese praecipue admiscent historiae, prosequamur, ne vel antiquissima hujus sedis jura privilegiaque dissimulentur, ignoranturque a posteris; vel spartam nostram minus diligenter ornasse videamur, qui tam illustria ecclesiae hujus metropolitanae membra, consortesque religionis nostrae, desidioso calamo praetervehamur. Porro hunc eis in metropoli locum non ex dignitate, qua graviore pluribus antecellunt; sed ex ordine regionum extra temporale jus hujus archiepiscopi positarum, tribuimus, ut qui jurisdictione separati sunt, tractatione quoque rerum gestarum, sejungantur, quod aequi bonique consulent, ut quorum honori,

hac quoque in separatione cum grata majorum recordatione consultum voluimus.

Luxemburgensium porro res principesque, licet politicos a metropoli hac nostra, ipso vocis etymo hos etiam complexa subtrahere non potuimus, quod historiae rebusque gestis Trevirensium ita permisti sint, ut sine mutua expositione intelligi satis nequeant, collegiatas tamen horum ecclesias et abbatias superius in ordine reliquarum et archidiaconatuum divisione producere maluimus, quod hic eis locus deberi imprimis videretur.

Accedet denique, velut auctuarium quoddam expositio diversorum fontium aquarumque, et hanc in unum conferre locum, quam passim exponere per archidioecesin visum consultius, lectorique earum rerum avido magis ad memoriam juvandam, utilitatemque hinc capiendam, opportunum, nobis vero ex more historicorum minime haec dissimulantium necessarium hoc quoque scribendi onus imponi visum est, ne indiligenti metropolim lustrasse oculo, calamoque parum accurato adumbrasse censeamur.

CAPUT I.

De provincialium ecclesiarum episcopis atque imprimis Metensium.

Provincialium metropolitanae nostrae ecclesiae episcoporum fas non erit oblivisci, ut igitur lustrum olim Romanae censores a fausto nomine, sic provincialium ego censum a patronis ecclesiarum ordior. Praeeunt hic pietate et Galliae vincunt totius consuetudine, narrat scriptor haud vulgaris, in Franciae regno tantum amorem ac reverentiam majoribus injectam, erga Mariam Christi Domini matrem et Stephanum

Digitized by Google

protomartyrem, ut inter cathedralium sedium patronos tricies octies Mariae nomen, B. Stephani quindecies inveniatur. Illam item Virdunensis ecclesia, hunc ambae Leucorum et Mediomatricum sortitae sunt. Jam vero quibus testibus et subsidiis indices a nobis confecti non reticebo, quando istud profiteri candor ingenuus jubet, et autores argumento majorem forte fidem concilient. Quae itaque privatim leguntur, praesulum Metensium acta, manuscriptis in libris hae autoritatem obtinent praecipuam. Navasse studium in iis prodendis Paulum diaconum Cassinensem, eundem, qui Longobardicam historiam scripsit, ut aliunde non constet, ipsius quoque testimonio discimus. Adjutasse seriem et explesse, quod excurrebat, Sigbertum Gemblacensem, similiter est in aperto. Itaque horum industria, magnam partem, quod superest memoria priscorum antistitum vitam retinuit, quod autem ad ordinem et observationem temporum, eam sane excidisse perhibent, seu injuria vetustatis seu communi clade barbarorum. Additus ergo novus sive a quopiam antiquo incerti nominis, sive, quod verosimilius, a Sigeberto labor, quo tempora super imperatorum et pontificum aetatibus expensa, quae cum apud chronologos in tantam abeant varietatem, missis subtilioribus recepta jam et vulgata sequi maluimus. Extra chronologiae modum et ultimam vetustatem, caetera pleraque praebuere domestici, quorum cuique res suae ecclesiae, quam exteris notiores.

Nec diffiteor tamen, sicuti ratio aliud vel experta suasit autoritas, quin modeste interdum cum his ipsis non magnis de rebus dissentiam. Jam etiam in hujus sedis episcoporum ordine digerendo, praeter membranis inscriptas tabulas opera studiumque accessit primariorum hominum, et amicorum, qui et fide et virtutis ac doctrinae fama plurimum apud suos valerent, in quibus ante hosce annos eminebat Joannes Anethus, eximia religione doctrinaeque praestantia decanus, Hilarius Hugueninus archidiaconus, et reverendus Nicolaus Mathaei aedis istic primariae senior canonicus, qui cum haec primo colligerentur, fecerunt per sane liberaliter et benigne, ut quae pervestigata tenerent memoria aut scripta privatim asser-

Digitized by Google

varent, et coram sermone, et literis absentes communicarent. In caeteris ut posteri quoque sciant, quibus hanc debeant gratiam, eos non silebo qui de ecclesiarum suarum memoria et publica utilitate bene mereri studerunt.

CAPUT II.

Episcoporum ecclesiae Metensis aut Mediomatricum catalogus.

Mediomatricorum seu Mediomatricum urbis in Belgica prima semper nomen longe clarissimum extitit, sive frequentiam cleri, populique, sive reipublicae nobilitatem et tectorum templorumque magnificentiam inspiceres. Divodurum antiquitus appellatum Tacito et Ptolomaeo placere, nec a priscis itinerariis discrepare video, certe consensu huc recentiores eunt, paucis exceptis, qui vicinam Theodonisvillam Divoduri gloriam aspergunt. Metin seu Matricem urbem vocavere Franci, quam appellationem nimirum antiquitate commendant, qui Metium, Romani sanguinis ducem, loci conditorem celebrant, sed urbis originem situmque non accuratius hic reddidero, quam olim ad Fortunati poemata expressa est. Fluvio duplici, Salia ac Mosella pariter munitur ac ornatur: quorum alluvione atque intercursu et pontium structura amoenior varias incolis item praebet opportunitates. A flumine Mosella consurgit seipsa melior ex planitie sensim corpus attollens, ut speciem basilicae Divi Stephani longe augustissimam oculis offerat intuentium. Arcem prope oppidi forma nuper extructam habet, ab occidente, qua amnis affluit, quae magnae molis aggeribus vallisque coercetur. Certum est Metim olim magnitudine sua cum regiis regumque monumentis, basilicis et monasteriis inclyta visebatur, pluribus locis per suburbana quacunque sparsam, sed bellorum injuriis et vetustate contractior, non una

Digitized by Google

jam est, nec perinde laeta facie, etsi moenium laxitas et vastitas adest loci, quae novem millia passuum circiter ambitu colligens magnae urbis famae non sit impar. Amissa regia et Lotharingia ad imperium Germanicum adjuncta, episcopo paruit, qui latissima ditione comitis titulo jus apud eos dixit, hinc libertatis avida, et imperii, ut fit aviti intolerans, ubi demum victis et praeteritis episcopis inter imperiales urbes censeri coepit; patrum memoria Galliae regum leges et imperium accepit. Porro incomparabilem Metensis ecclesiae splendorem et munificentiam, paremque praesulum in omni virtutis genere laudem theatrum hoc dabit, in quo eorum imagines et vetustatis caligine minus illustres, serie tamen sua ad exempli et officii tacitam monitionem sunt collocatae.

1. S. Clemens, primus Mediomatricis ab apostolorum principe B. Petro missus episcopus; hunc Flavia gente clarum Romae patritium consulatum gessisse, patruumque Romani pontificis Clementis fuisse, persuasum cupiunt tabulae quaedam provinciales. Venisse autem in Belgicam anno Claudii imp. quinto, Christi nascentis circiter 47, duobus comitatum discipulis Coelesti atque Felice successoribus. Ab hospite quo receptus est, Antonini acta memorant arenarium ostensum puta locum in amphitheatri formam extructum, quem cum pestifero serpentum grege draco incoleret, hoc profligato magnam rei christianae factam accessionem, sed Paulum diaconum sub Carolo Magno de his episcopis majori fide scribentem, tutius audiemus. »Ea tempestate, inquit, cum apud Galliam »Belgicam Mediomatricum, quae etiam Metis appellatur civitas, »in ipsa Mosellae amnis ripa posita, copiosis populorum turbis »abundaret, ad eandem B. Petrus apostolus urbem, Clementem »nomine, virum egregium ac meritis probatum sublimatum »pontificali dignitate direxit; cum quo pariter (sicut antiqua »habet relatio) ad eas, quae praecipuae erant Galliarum urbes »verbo fidei obtinendas, alii quoque religiosi doctores ab eodem »apostolorum principe missi sunt. Cum ergo pervenisset B. Cle»mens Mediomatricum civitatem, in cavernis (ut ferunt) amphi»theatri, quod extra urbem situm est, hospitium habuit. In

»quo etiam loco oratorium domino construens, altare in eo »statuit, ac B. Petri apostoli, praeceptoris sui, nomine con»secravit. Is igitur venerandus sacerdos dum sedula admoni»tione ejusdem urbis populis praedicaret, cooperante sibi »divina misericordia, maximam ex eis multitudinem a sordidis »idolorum cultibus et erroris caecitate liberatam, ad verae fidei »splendorem perduxit, primusque in illis regionibus ostensor »justitiae et index veritatis enituit. Denique asseverant, qui »ejusdem loci cognitionem habent, quod in amphitheatro, ubi »primitus adveniens habitavit, usque ad praesentem diem nec »serpens consistere queat, sed et omnino noxiae pestes locum »illum refugiant, unde olim verae salutis emanarunt insignia.« Haec diaconus, qui licet draconis, ab eo divina virtute interempti non meminerit, suspicionem tamen illius prodigii haud levem ex eventu memorando ingerit. Addunt alii, jam tum primis christianae religionis auspiciis a Clemente sociisque rem adeo gestam feliciter, ut crescente magnopere fidelium numero, tres aedificari ecclesiae ab apostolico hoc viro coeperint, quarum prima Deo optimo maximo, sub D. Petri patrocinio, altera sub tutela D. Stephani erecta sit, tertia vero, postquam e monte Jovis pseudo numinis illius idolum profligatum est, constituto in locum crucis trophaeo, Christo fuerit nuncupata. Cujus tamen rei fidem suis ego autoribus relinquam, quod difficile creditu sit, ita palam repente christianae religionis vexilla explicata, tamque luculentam gentilitati plagam inflictam esse; ceterum ejusdem crescentis studium ardoremque Christum gentibus praedicandi longe lateque ad Rhenum Moguntiacosque usque in Germaniam effusum non iverim inficias, quando et hi eundem sibi apostolum vendicant, ut Eucharius, Maternusque cum Clemente ejusque sociis has Austrasiae terras tanquam partitis regionibus laborum metis inter se divisisse videantur; interim sacras morientis exuvias Mediomatrices sibi jure arrogant, in eadem, quam vivus orando triverat crypta depositas, donec in S. Felicis basilicam translatae, venerationem publicam solennemque 23. novembris die, quo et Clemens Romanus celebris est, mererentur.

Digitized by Google

2. S. Coelestis, ut in peregrinatione et labore socius, ita S. Clementis in cathedra successor, gloriosa morte vitae cum rara laude transactae argumenta reliquit, in eadem cum D. Clemente sepultus crypta, e qua demum ob rutilantia beatitudinis signa a Drogone praesule ad illustrandum D. Mauri in Alsatia monasterium translatus, justo honore memoriaque pridie idus octobris fruitur. aõ 72.

3. S. Felix, non. calend. martii inter coelites numeratus, et a Paulo diacono in vita Rufi et Adephi adscriptus martyribus, quem Henricus imp. sanctus, Babenbergensis ecclesiae conditor, in Saxoniam denique transtulit. 87.

Hos autem tres sanctos episcopos in illa crypta sepulturam accepisse memorant, quam extra civitatis moenia Clemens honori nominique principis apostolorum dicatam posuerat, quae post et S. Felicis nomen tulit.

Tredecim hinc annos nonnulli dant vacuae sedi, quibus elapsis Patiens eam implevit, sed neque tot annis praefuisse Felicem caeterosque primorum seculorum episcopos, res satis est explorata. Cum enim diaconus sua illud aetate minus ex fastis domesticis habuerit certum, scriptores posteros conjecturis saepius, quam probatis testimoniis niti existimandum est. Quare haec cum Browero sic scribo, ut contra sentientes non judicem proscribendos.

4. S. Patiens deinde, Joannis apostoli, ut volunt, discipulus et auditor, Mediomatricis est datus episcopus 6. idus januarii divorum fastis memorabilis. Basilica B. Joannis Evangelistae memoriae sacra, ad meridiem urbis stetit olim opere magnifico, et columnis fulta marmoreis, apostoli dente et aliorum duodecim ejusdem coetus claris ornata reliquiis. Hanc ab Hunnis vastatam, cum Patientem condidisse olim et ornamentis instruxisse variis percrebuisset, forte hinc ut in majus omnia attollit fama, B. Joannis discipulum et natione Graecum fuisse eadem opera creditum est. Templi hujus interim augusta species evasit, postquam S. Arnulphus, regesque et principes regum conjuges et liberi titulis ac sepulchris suis eam ornarunt; variisque loci clerum beneficiis et exceptionibus

Digitized by Google

affecerunt. Qua de re consule augustae basilicae Arnulphi Metensis monumenta, Parisiis an. 1615 Gallice edita. B. Patientis corpus argenteo inclusum loculo beneficio Conradi imp. anno 1190 a Burchardo abbate est. Anno 142.

5. Victor I., X. calend. octobris in ecclesia B. Clementis (156) sicut et

6. Victor II. (165) eodem sepultura humatus.

7. S. Simeon (168) ex gente Hebrea 16. februarii Sancti dignatione venerandus, cujus pignus deinde translatum est in monasterium Senoniense, Vogesi montis regione situm, ubi argenteo inclusum loculo cum hac inscriptione:

Pausat in hac archa Simeon noster patriarcha.
Si relegas vitam, genus hunc probat Israelitam,
Metis septenam praesul moderatus habenam.

8. Sabacius (198), cujus ut nomen ita pontificatus anni variant, cum duos illi amplius, quam hic tribuant nonnulla Ms. in quibus et Sembacius legitur et Sebacius, decessit XVIII. calend. octobris.

9. S. Rufus (214) cujus ad 7. idus novembris praeclara inter Sanctos memoria, nam Lothario imperante Drogonis episcopi voluntate in Vangionum vicum Odernheim ejus corpus traductum, illustria miraculis testimonia vitae pure ac inocenter actae edidit. Ceterum magna vectigalia, quae illic Metensis ecclesia possedit distracta, et vicus ipse a Wenceslao caesare Ruperto Palatino loco pignoris concessus. Successor

10. S. Adelphus. Colitur item Sanctus undetrigesimo augusti, quo die Landfridi corepiscopi rogatu, permissu vero Drogonis in Novum Villare monasterium, Ludovico Pio regnante, ejus illati cineres. Vitam S. Adelphi Jacobus Wimphelingius edidit ex antiquo codice anno 1506; jubente Philippo Hanovio comite et barone Lichtenbergio, qui pro observantia et religione in S. Adelphum, collegii tunc Novivillarensis patronum et dominii Lichtenbergensis Alsatiae dioecesis tutelarem, ejus acta publicari, et capitibus certis distingui voluit; caput narrationis ipsa translatio, et miracula ossium ipsam translationem comitata secutaque sane perquam illustria, et fatetur scriptor

praecipuam Sancti memoriam Hunnorum clade abolitam. Adelphum ortu Aquitanum fuisse ac Felice patre progenitum ferunt, a Rufo avunculo deinde apud Mediomatrices educatum et legationibus Romae atque in Oriente perfunctum, ecclesiam S. Stephani fundis possessionibusque ultra Ligerim locupletasse. Translatus a Drogone Neovillam in fundum D. Stephano sacrum, ubi tunc coenobium florebat D. Petro apostolorum dicatum principi, anno salutis 846 regnante Ludovico gloriosissimo imp. Haec Wimphelingius, verum ex Paulo diacono intelligimus in basilica B. Felicis SS. Ruffi et Adelphi corpora primo humata fuisse, nec sine prodigii celebrati gloria. Nam ut ait: »Vir »quidam erat religiosus ac de animae suae cura solicitus, qui »nocturno tempore, ut privatis orationibus se Domino com»mendaret, universa, quae extra muros ejusdem civitatis sita »erant, oratoria indesinenti studio circumire solebat. Hic ita»que dum ad praedictam B. Felicis martyris pervenisset »basilicam, nec tamen ingrediendi concessa esset facultas, ac»cessit juxta murum forinsecus ad eam partem, qua praedic»torum sacerdotum corpora requiescebant, atque ibi se in »orationem tota mentis intentione prostravit. Qui dum post »effusas preces ab oratione surrexisset, et psalmi versiculum: »*Exultabunt sancti in gloria,* pronunciaret, mox ab intus vo»cem subjungentis audivit, *laetabuntur in cubilibus suis.*

11. S. Firminus, Phronimus (356), juxta diaconum aliosque successor statuitur, obiit 15. septembris.

S. Leontius, vel ut alii Legontius, Firmini sedem tenuit, de quibus diaconus nihil ad se ex relatione prisca, exceptis nominibus, pervenisse fatetur; at Saussayus, ex veterum monumentis, non solum hunc Metensium ecclesiam episcopatu, verum et martyris perquam glorioso decorasse memorat. Neque intra hujus dioecesis Metas stetisse fortissimi athletae labores, sed orientis solis plagas subiisse, atque in Nicaeno adversus Arianos stetisse concilio, fonte istic baptismali lustrasse patrem S. Gregorii Nazianzeni, infracto oppugnasse animo perversos haereticorum conatus, favore ac studiis Constantii imperatoris armatos, atque imparem denique non animo ac

Digitized by Google

fide, sed arte ac viribus illorum insidiis oppressum fortiter occumbendo vicisse. Reliquias porro illius primo in Italiam, deinde sub Othonis imperio Vicentia in Gallias deportatas, Metensique conclusas basilica digna observatione custodiri, verum hae in multis fallere perspicuum est, cum in Nicaeno concilio praeter Nicasium Divionensem episcopum nemo ex Gallia episcoporum subscripserit, et Leontius inter eos quidem, sed Caesareae Cappadociae antistes censeatur, qui ut Gregorius Nazianzenus testatur, patrem salutari fonte lustrarit, sed neque Leontius Constantii defectionem vidit, jam ante fato functus. Victorem in cathedra successorem admiserit, quem cum Maximino Trevirorum archiepiscopo praesedisse accepimus.

Victor III. Mediomatricum episcopus, inter Coloniensis synodi patres adversus Euphratae Ubiorum antistitis errores pugnasse, cum Maximino Trevirorum praesule aliisque Galliarum et Germaniae episcopis, memoratur. Quae synodus cum ex calculo Baronii ad annum salutis 346, Binii vero sententia ad 350 vel 351 referenda sit, neque Tritthemio nimium exerranti stare liceat, qui Maximino jam dudum vita functo statuit habitam; patet hisce temporibus Victorem praesedisse idque jam ante 351 Christi annum, quod hic Maximino a Magnentio imp. ad Constantium legato ultimus viae vitaeque fuerit, ut nec Binius in hoc tempus opportune synodum conjiciat.

Sed verisimilius rem tempusque definiunt, qui annum salutis 349 designant, quando Sardicensi jam concilio Nicaeno canones stabiliti, Athanasiusque absolutus Euphratas legatione, patrum Sardicensium nomine apud Constantium perfunctus, non sine castitatis laurea, ad suos gloriosus redierat, cum enim Socrate ac Sozomeno testibus Sardicense concilium annum Christi nati occupet 347, sequens utique tam legationi obeundae, quam propagando errori ex Orientalium episcoporum societate hausto Euphratae indulgendus erit, priusquam in synodo posset Agrippinensi damnari, idque ab eisdem pene Galliarum episcopis, qui Sardicae Euphratae integritatem tam insigni legationis munere probaverant. Ostenditque idem Vic-

Digitized by Google

toris Metensium episcopi in synodo Coloniensi pronuntiata damnationis in Euphratam sententia. »Quoniam, inquit, palam »factum est, et probatum Euphratem immemorem sacramenti »coelestis, blasphemasse in Spiritum Sanctum negando Christum »Deum filium, et multis criminibus coarguitur, quod episcopum »ullo modo non decet, consentio illum esse depositum.« Et Maximinus Trevirorum, qui primus in hac synodo proscriptionis adversus Euphratam judicium tulit (ut Servatium Tungrensem caeterosque episcoporum taceam) »perditum, inquit, et blasphemum Euphratam, quem omnis mundus jam cognovit esse damnatum etc.«, aliquod igitur superstite adhuc Maximino post concilium Sardicense (in quo tam Victor, quam Maximinus praesens orthodoxae legationis munus eidem crediderat) fluxisse oportuit, ut de hac illius corruptione palam constaret, quod unius saltem alteriusve anni moram requirit. Quare statuendum erit anno salutis 349 aut 350 Victorem cum Maximino Coloniensi synodo praesentem superstitemque vixisse, Paulumque diaconum ac Sigebertum et post illos in historia Metensi Meurissium suo aberrasse calculo, quando pro Victore Auctorem decimum tertium censuere Metensium episcopum.

Valerianum nonnulli Victori surrogant illa Galliae tempestate, quando Herulorum ac Vandalorum incursionibus sacra profanaque excisa sunt, multique christianorum fuso religionem sanguine testati, in quibus et Valerianum cum suorum non exiguo grege numerant. Sed hae ut priscis scriptoribus ignorata, ita mox pugnare etiam cum veritate satis explorata intelligemus, quandoquidem Servatio Tungrorum episcopo hujus aetatis viro in hac Galliarum depopulatione Auctorem Metensium episcopum coaetaneum fuisse, testibus minime dubiis cognoscemus, adeoque Valerianum aut eliminandum hac serie, aut postponendum, nisi perbrevi episcopatu perfunctum malimus.

13. S. Auctor quarto post Christum seculo multis, magnisque testibus Metensibus antistes datur, quibus obniti nequaquam possumus. In his Paulus diaconus, quae pluribus disserit, compendio stringam. Memorat igitur, venerandum praesulem hunc gubernandam ea tempestate hanc suscepisse ecclesiam,

Digitized by Google

quando non solum Gallia, sed universus pene Occidens barbarorum incurrentium saevitiam perpessus est, quam licet ipse cum Gregorio vastitatem Hunnicam sub Attila illatam duce male arbitretur, D. Hieronymus tamen ejus temporis scriptor epistola ad Ageruchiam verbis his illam describit. »Innumerabiles, et ferocissimae nationes universas Gallias occuparunt. »Quidquid inter Alpes et Pyrenaeum est, quod Oceano et »Rheno includitur, Quadus, Vuandalus, Sarmata, Halani, »Gipedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemani, et, o lugenda »respublica, hostes Pannonii vastarunt. Maguntiacum, nobilis »quondam civitas, capta, atque subversa est, et in ecclesia »multa hominum millia trucidata, Vangiones longa obsidione »deleti. Remorum urbs praepotens, Ambiani, Attrebatae, ex»tremique hominum Morini, Tornacus, Nemete, Argentoratus, »translati in Germaniam. Aquitaniae, novemque populorum »Lugdunensis, et Narbonensis provinciae, praeter paucas urbes »populata sunt cuncta.« Haec Hieronymus, eo tempore quo ipse ut aparet praesens Gallicae calamitatis spectator, inquit, »non possum absque lacrymis Tolosae facere mentionem,« et his populis immixti Hunni gens ferocissima ultra Meotim. Paludem orta, cum in Oriente anno seculi quarti septuagesimo octavo Valente imp. profligato, omnia pessumdedissent in Occidentem ceteris mixti nationibus se quoque effuderunt, sub Attila vix lapso seculo feritatis suae vestigia toti Europae impressuri. Sed hujus aevi barbariem Auctor Metensium episcopus, D. Servatio Tungrorum episcopo monitore, praesens sit expertusque cum reliquis Galliarum populis fuit; constat enim ex Gregorio Turonensi, Servatium Romam ad limina apostolorum supplicantis incessisse habitu, ut praevisae calamitatis deprecator intercederet, ac per iter, ut Paulus diaconus et Arrigerus observant, Metas ad Auctorem divertisse imminentisque a Deo poenae commonuisse, cumque Auctor negotiorum mole praepeditus, comes esse non posset, Servatium impense rogasse pro sua quoque urbe apostolicam intercessionem et supplex posceret, quod cum se facturum recepisset, viam emensus lacrymis supplicationibusque cum rara abstinentia

junctis in summa D. apostolorum basilica hoc responsum a D. Petro accepit. Gallias ob scelerum gravitatem irrevocabili decreto Dei puniendas, Trajectum igitur Tungris funditus subvertendis migraret, brevi ad meliorem coelitum quietem inde vocandus, Metas pari infelicitate obruendas, salvo tamen protomartyris D. Stephani oratorio, quod ipsius haec gratia intercessioni facta esset, quae rediens barbaris jam Gallias populantibus re ipsa Servatius impleri comperit, Metis tamen etiamnum stantibus: »Festinus, inquit diaconus, in Gallias »repetavit invenitque jam Hunonum examina per universas »Gallias debachari, qui cum ad obsidionem Metensium pro »eo, quod eorum civitatem inexpugnabilem ob murorum forti»tudinem cernerent, recessissent„ contigit B. Servatium ipso »tempore, dum a Roma reverteretur, Metis devenire, qui dum »universa sicut revelatione didicerat, S. consacerdoti suo Aùc»tori retulisset, ad civitatem propriam hoc est Tungros reversus »est, nec mora post ejus egressionem murus civitatis Metensis »corruit, ingressumque hostibus superna dispositione pate»fecit. Mox vero B. Auctor traditam civitatem inimicorum »gladiis advertens, universos parvulos, qui necdum sacri fontis »ablutionem perceperant, baptizari praecepit. Igitur audientes »Hunni, qui duodecimo exinde milliario situm castrum, quod »Scarbona dicitur, obsidebant, Metensis urbis moenia corruisse, »iterato ad eam festina celeritate regressi sunt, incendiisque »ac rapinis universa vastantes, plures e civibus cum eis qui »baptizati fuerant parvulis interemèrunt, reliquos vero, qui »superesse exitio poterant, simul cum S. Auctore episcopo »captivos abducunt; impletum sane est super B. Stephani »levitae et protomartyris domicilio, quod a B. Petro apud »Romanos Christi famulo Servatio fuerat ante praedictum. »Nam cum eandem basilicam procul furentes barbari aspice»rent, ad eam cursum, quasi opima spolia captaturi propera»bant, cumque propius accederent, eorum oculis veluti ingens »saxum ac moles solida aparebat, quam cum collatis manibus »per chyrum palparent. Tandem fatigati discesserunt.« Haec diaconus, qui eadem ex Gregorio Turonensi confirmans subjicit:

barbaros triginta ab urbe milliaribus ad Decempagos novis circumfusos tenebris haesisse attonitos, cumque mali causam indagarent, fuisse ex captivis, qui diceret, innoxium Sanctumque ab illis virum male in vinculis haberi non ambigere se hinc a Deo poenam infligi; accersitum deinde e vestigio Auctorem et nunquid beneficii sibi impendi ab illis postulet, ut numen propitium conciliaret, interrogatum, respondisse non defuturum se propitiando Numini, modo civium suorum libertatem impetraret, quibus cum barbari redeundi cum suo praesule facultatem obtulissent, repente discussas e coelo tenebras serenitatem reddidisse. Addit ejusdem Auctoris manibus disruptum trabis illapsae ruinam marmor in oratorio D. Stephani ita compositum, ut etiamnum vestigia rupti marmoris oculis objicerentur, contrectatione vero non possunt deprehendi.

Tempus episcopatus Auctoris, ut et sequentium episcoporum ad Villicum usque, sub Venantio Fortunato viventem, sat ambiguis recentioribusque calculis definitur, sed pedes in quibusdam exploratae aetatis praesulibus ne integris hoc loco cum nonnullis seculis divellamur. Auctori sacrum dixere diem IV. idus augusti, reliquias venerandi corporis Drogonis episcopi munere S. Mauri monasterium obtinuit, non obscuris illic miraculis illustratas. 376.

14. Expletius, Apletius, post Auctorem episcopatum adiisse scribitur. Rebus a se gestis minus cognitus abiit vita et episcopatu VI. calendis augusti. 405.

15. S. Urbitius aut Urbicus, quem nonnulli archiepiscopali ornatum pallio memorant, sive id suarum virtutum merito a Romana delatum sede acceperit, sive ob Treviros jam excidio saepius iterato pene funditus subversos, verum quomodocunque delata haec dignitas fuerit, Treviris reviviscentibus rursum, ut infra constabit, expiravit, nedum metropolitanae ecclesiae injuria Metensis extolleretur. Denique post exactos plures in episcopatu annos meritorum plenus decessit. Corpus ejus trans Saliam fluvium die 20. martii in B. Maximini aede depositum est. 421.

16. Bonosus, qui aliis Bonolus dictus est, sed corrupte a Demochare Rynolus, decessit 8. idus octobris. Hic rursum cum sequentibus usque ad Chrodegangum episcopus tantum nuncupatur. 450.

17. S. Terentius subiit, cujus pontificatui alii 18, alii 20 annos tribuunt, nos veterum hic calculo stare malumus. Is ex inclyta Aquitanorum stirpe cum Floriano presbytero educatus, Viennae inter clericos et ab Eugenio episcopo per omnes ordinum gradus ad sacerdotium provectus, vivum fuit abstinentiae castitatisque exemplar, ac speculum devotionis, qua de causa post sui pontificis mortem a Viennensibus ad episcopalem mitram vocatus, quem ratione non poterat, fuga honorem declinavit, seque haud procul Mediomatricibus in solitudinis abdita recepit, ut plenius devotione privata, solusque Deo frueretur. Hic illa, quam a sacerdotio coeperat victus abstinentia sine arbitro atque interpellatore usus, etiam ejus rigorem auxit, feria hebdomadis secunda, quarta et sexta, panis, vini, olei et leguminum quoque fugiens, nunquam ad alimentorum condituram salem adhibuit, quod nihil sibi praeter eucharisticum epulum sapere desideraret. Unde fieri non poterat, quin ex his quoque solitudinis tenebris lumen tam illustre virtutum emicaret, sed cum in Bonoli Mediomatricum praesulis defuncti locum dignus possessor quaereretur, jussu imperatoris ad hanc cathedram Terentius, quantumvis reluctans, abstractus est; quam ille non solum virtutum splendore, verum et miraculorum gloria longe lateque illustravit. Porro ut ecclesiae suae decus extolleret, devotionis majorem in subditis ardorem inflammaret, Roma aliquot Sanctorum pignora Metas transtulit, multos a mortalium corporibus morbos profligavit, caeco lumen, surdo auditum, mortuo vitam restituisse vi divina memoratur. Illo plurium beneficio apud Sequanos innotuit, quod septennii siccitatem sua ipse oratione intercessor depulerit. Judaea christiani specie ad sacram mensam accumbente, divinum quidem porrexit cibum, sed in faucibus haerentem improbumque os velut flamma excruciante, unde reducta sacra hostia, ad saniorem fidem instructam abs se

dimisit. Ceterum, quam clarus sibi usque ad extremum vitae diem tam in alios liberalitate ac miseratione benignus fuit, ut cum illo denique parentem sese omnes amisisse communem quererentur, postquam inter illa cantici verba (quae clerus, juxta psallere jussus, decantabat) *misericordias Domini in aeternum cantabo*, spiritum exhalasset. Elatus magno cleri et ascetarum dolore est, sepultusque in basilica S. Clementis et Felicis non sine miraculorum tumulum exornantium gloria. Divi cultu ad X. calend. novemb. cohonestatur. Translatio ad novum monasterium raris miraculis celebrata ad XVII. calend. junias solenni memoria recolitur. 453.

18. Gonsolinus successor obiit XI. calend. augusti sub quo Treviri a Francis occupantur. 473.

19. Romanus in subjecto ad Paulum diaconum indice triginta sex annis tenuisse hanc sedem notatur, sed confuso et aberrante cum Frominio calculo, quod huic quam par est pauciores, illi plures anni tribuantur, ut temporum ratio in successoribus magis firmata ostendit. Excessit idibus aprilis. 491.

20. S. Fronimus vel Frominius succedit, cujus haec in martyrologiis memoria extat; *quod Metis celebretur depositio S. Frominii episcopi et confessoris VI. cal. augusti.* Firminum probabili cum scriptura, Democharis appellat, eoque nomine Agathensi concilio anno Christi 506 affuisse et subscripsisse fertur, cui et haec nostra temporum ratio suffragatur.

21. Grammatius deinde Metensibus praefectus, iis accensetur episcopis, qui anno Christi 541 concilio Avernensi subscripsere; VI. calend. maji animam Deo reddidit, sub quo Theodoricus Clodovei Franciae regis filius regnum Austrasiae Metis auspicatus est. 518.

* S. Gundolphus, praeteritus ab antiquis, quem tamen Venantio Fortunato teste locupletissimo freti, inserere haud veremur; is enim in vita Radegundis Thuringicae reginae narrat eam adiisse S. Gundulphum post factum Metis episcopum. Claruit autem Radegundes maxime sub Clotario Clodovei filio; a quo Thuringico bello puella in captivitatem primo, postea

Digitized by Google

et in thalamum traducta est, donec monasterii adeundi copiam impetraret. Porro Clotarius fratribus ac nepotibus superstes, tandem regni Mediomatricum et totius Galliae solus potitus est sub anno Christi 560. At Thuringiae clades in annum 527 incidit, medium itaque tempus aliquod B. Gundulpho tribuendum est. Reperio in martyrologio quodam apud Molanum, ad 17. junii S. Gundulphum episcopum et confessorem in pago Biturico. 543.

22. Agathimber defunctus IV. idus maji. Hic iterum uti et in sequenti episcopo annorum a recentioribus contractior numerus adhibetur, quem indiculus diaconi ne sedem vacuam relinqueret, produxisse nonnunquam videtur. 546.

23. Spaerus decessit X. calend. septembris, qui Hesperii nomine concilio Avernensi subscripsisse legitur. 550.

24. Villicus. Hunc Venantius Fortunatus episcopus Pictavorum egregie versuum suorum praeconiis extulit, studium precandi fervidum, in eo lacrymis saepe inter orandum profusis, amorem eximium juxtaque pervigilem, gregis adversus lupos tuendi curam, misericordiae ac liberalitatis in pauperes ac egenos, aliaque hospitalitatis episcoporum propria ornamenta laudans. Obiit calend. maji. 555.

25. Petrus, V. calend. octobris abiit e vita, cujus martyrologium Metense ad has cal. his verbis meminit: *Metis depositio S. Petri episcopi.* 580.

26. Aigulphus, qui Paulo diacono referente, fertur ex filia natus Clodovei Francorum regis, et possessionibus tam gentilibus quam propinquorum et affinium munificentia partis, ecclesiae Metensis fortunas egregie locupletavit, Arifridio vico a fratre suo Clothario Theodoberti regis opera quaesito. Floruisse tradunt Gregorii pontificis Magni temporibus, et hujus ad ipsum exstare epistolas, nisi Agilulphi Longobardorum regis affine nomen, quod vereor, eis imponat, ad quem publice rescripta Gregorii Magni leguntur. Migravit X. calend. octob. 590.

27. Arnoaldus, nepos et successor Aigulphi vetustis libris et a Paulo diacono proditur, unde nescio quid sibi velit hic Democharès, cum S. Arnulpho, quem Dagoberti regis prae-

Digitized by Google

ceptorem facit, eundem forte cum Arnulpho confundens, quem nonnulli male Arnoaldi episcopi filium faciunt, cum hic episcopus decesserit VII. idus octob. sepultus Sarabrigae, alter Longavillae in Glandariis monasterio S. Martini quiescat. 603.

Anno Christi 615, ex Sigeberti chronologia, B. Glodesinda seu Clodesindis, insigni morum ac pudicitiae nec non sanctitatis opinione clara virgo, Mediomatricum ecclesiam miraculis assiduis et olei ex corpore salutiferi mirifice sudantis liquore illustravit: cum thalamos et connubia vitans, casto pectore sponsum fovet aeternum, sacro per angelum misso de coelis velo, Christo facultates seque ipsam consecrat: virginibus in coetum coactis et his, ad centum, necessariis omnibus ad vitae degendae praesidiis liberaliter impertitis, mensis junii die 20. Divorum fastis ejus nomen censetur. Ejus vitae acta, et creberrima miracula nos in annalibus ex vetustis membranis eruimus. Ceterum, quod in chronologiam attinet, praesedisse adhuc Arnoaldum anno 620 diploma subscriptum testatur.

28. Papulus, hic ad australem urbis regionem S. Symphoriano ecclesiam cum monasterio posuit, in qua XI. calend. octobris post episcopatus triennium moriens sepulturam est adeptus. Ceterum is locus anno 1444 quo bellum civibus erat cum Galliarum rege, abolitus et ab incolis ipsis eversus est. 621.

S. Landricus, quem licet veteres elenchi praetereant, Hannoniae tamen annalibus Vincentii comitis sive ducis, ut Sigeberto placet, filius proditur, et biennio in pontificatu posito magistratum mutasse monasterii solitudine. Id confirmavit etiam Sanctorum Belgii indiculo Molanus, ubi post obitum patris episcopatu Metensi relicto, monasterium Sonegias, quod Vincentius exstruxerat, iniisse et erexisse memorat. Id vero monasterium in Sonegia Hannoniae oppido conversum jam olim est in canonicorum collegium, opera Brunonis archiepiscopi Coloniensis, sub annum Christi 965, ibique cum patre B. Vincentio in summo reconditum altari pro Sancto coli, memoria cum episcopi et confessoris titulo ad XV. calend. maji ei attributa. 624.

Digitized by Google

Sub id quoque tempus Eleutherii majoris regiae Mediomatricum munificentia parthenon monialium S. Petri surrexit.

29. S. Arnulphus, Caroli M. atavus, qui et ejus acta a Paulo Longobardo diacono recognosci voluit, ob virtutis et gloriae magnitudinem omnium literis ac monumentis olim celebratus, concilio Remensi anno 630 sub Sonnatio ejus loci archiepiscopo celebrato, cum plurimis Galliae episcopis interfuisse apud Flodoardum legitur. Ejus in domesticis tabulis hoc elogium extat: *Vir per omnia et lumine sanctitatis et generis splendore clarus.* Quindecim annis episcopatu gesto secessit in eremum, obiisse diem testatur Sigebertus anno Christi 640. De illo Paulus diaconus: »Fuit eo tempore major domus in »regio palatio, Arnulphus vir, ut postmodum claruit Deo ama»bilis et mirae sanctitatis. Qui post gloriam seculi, Christi »servitio se subdens, mirabilis in episcopatu extitit, ac demum »eremiticam vitam eligens, leprosis universa praebens ob»sequia, continentissime vixit.« Demum in martyrologiis XVI. calend. septembris, »apud civitatem Metensium translatio »S. Arnulphi episcopi et confessoris, qui sanctitate vitae et »miraculorum gloria illustris, eremiticam vitam diligens, beato »fine quievit.« Sepultus in basilica S. Joannis, sive apostolorum, quae cum monasterio nomen ab ipso tandem Arnulpho tulit. Plura de hoc suis annis historia Trevirensis exhibet, et diaconus in chronico, illud hic jure ex eodem adjicimus. »Venerandus ille vir, inquit, juventutis suae tempore ex legi»timi matrimonii copula duos filios procreavit, Anchisum et »Clodulphum, utrisque suadere coepit, ut sibi assensum prae»berent, quatenus omnes suas facultates ad usus pauperum »dispertiret, tunc major filius id est Clodulphus se hoc posse »facere omnimodo denegavit, at vero junior filius ad omnia, »quae pater vellet, se libenter obedire promittit. Agit vene»randus pater gratias filio, et praedicit ei, pluriora eundem, »quam reliquerat, habiturum: insuper benedixit eum, ejusque »cunctam progeniem nascituram imposterum. Factumque est; »nam et pluriores Anchiso, quam reliquerat divitiae accesse»runt, et ita in eo est paterna constabilita benedictio, ut de

Digitized by Google

»ejus progenie tam strenui fortesque viri nascerentur, ut non »immerito ad ejus prosapiam Francorum translatum sit regnum.« Haec diaconus, qui tamen et Clodulphum patris consilia ex parte secutum in episcopatu Metensi surrogat.

30. S. Goericus Abbo, qui in Divorum item albo ad undevigesimum septembris titulum gerit, ut Beda loquitur, *vitae sanctitate mirabilis et amabilis omnibus sibi commissis.* Arnulphum decessorem in S. Joannis basilicam extra muros a Patiente conditam non sine miraculorum attestatione traduxit: unde et aevo postero nomen templo a B. Arnulphi honore mansit. Regia ei prosapia fuit a patre Wauberto Aquitano, strenuo duce. Oculis captum tradunt superne datis ab angelo monitis, Metim ad S. Stephani patrocinia et opem Arnolfi propinqui confugisse, atque ibi paratam ei mox, quam ab antistite benevolentiam tam a protomartyre fuisse sanitatem, successionem ei obtigisse ab eremo S. Arnulphi exiguo post tempore. Beda vel alius quis autor testatur, S. Petro ecclesiam prope claustrum majoris aedis constituit, collegio canonicorum postea ornandam. Decessisse tradunt indices quarto decimo die septembris et conditum in ecclesia sancti Symphoriani, at inde tandem ejus ossa ad castrum Spinalum fuisse translata. 641.

Anno 651 Sigebertus Austrasiorum rex Metis in sua regia eximia vitae innocentia ac praestanti in religiosorum omne genus liberalitate florebat, viginti amplitudine non vulgari conditis exstructisque et vectigalibus perpetuis auctis passim monasteriis, in quibus Malmundarium et Stabulense in Arduennae finibus, S. Martini vero in Metensi suburbano fuere. Ejus memoriam calend. februariis ut colerent Mediomatrices, testata crebris miraculis.

31. Godo (659), qui Demochari Godeus, VIII. idus maji humana reliquit. Hic in vita S. Clodulphi successor B. Arnulphi proditur, intellige non proximus, cui et mox successerit.

32. S. Clodulphus, Arnulphi filius, qui sanctitatis et paternae virtutis heres, cujus episcopatus tempus licet amplum satis, definire tamen certo annorum numero difficile est. Hic

Digitized by Google

cum nobilibus fundis et possessionibus amplis S. Stephani patrimonium auxisset, sexto idus julii seu junii abiens e vita, apud parentem conditus est, memoriam anniversariam retinet 8. die junii, quanquam in martyrologio Metensi ad VIII. idus maji ponatur. Metis Ss. confess. pariterque pontif. Godonis atque Clodulphi.

Hoc tempore claruit apud Mediomatrices S. Trudo, Clodulphi discipulus, qui insigni natalium splendore et opulentia Metin a B. Remaclo missus, praedium Sarchinium, seu villae fundum, qui post oppido Trudonensi et abbatiae originem dedit, in Hasbaniensi pago situm, S. Stephano donans, suae erga protomartyrem observantiae, et amoris in Clodulphum ibi pignus relinquere voluit.

33. Abbo sive Albo mortuus XVII. calend. maji. 690.

34. Aptadius obiit XII. calend. februarii. 710.

35. Felix II. quem Pirminium etiam nuncupatum quibusdam placuit. At Pirminium episcopum Meldensem faciunt non pauci, eundemque Udiloni Bojariae duci authorem fuisse, et in Norico plurima monasteria diversis in locis exstrueret, ac necessariis opibus cumularet. Ceterum diversum esse a Felice, indicio sint veteres indices, qui hunc tradunt XI. calend. januarii vita abiisse, at S. Pirmini depositio celebratur III. novembris, velut alii III. nonarum ejusdem mensis. Qui res Boicas acuratius investigavit, Marcus Velserus, Pirmenum ceu tabulis ecclesiasticis nec Meldis, neque hic receptum interpretatur, alterutra urbe sive natum, sive profectum, sive utrumque nomen Meldis Metisve corruptum potius, quam extitisse hic episcopum. Observo tamen in recentissima editione Contracti Perminium appellari, et abbatem Augiensem et chorepiscopum, sane Germaniae citerioris, qua Vogesus objacet, lustratis quacunque provinciis, monasticen mirifice excoluit, et languentem instauravit, ab usque Alemannia in Treviros multis reparatis et conditis monasteriis; denique in Hundisruchi tractu, haud procul Biponto, apud Hornebachium, Metensis dioecesis monasterium, sancte mortuus, oppidum sui nominis reliquit vulgo ad S. Pirminium, quin et apud Wilziam, arcem et vicum

Digitized by Google

regione Luzelburgense celebre miraculis sacellum visitur, ubi ad Pirminii episcopi patrocinium hodieque infantes a tabifico morbo et phthisi curantur, quo proniorem in corpore annalium assensum praebemus iis, qui Metensi catalogo annumerandum putant, nam cum Gregorii II. pontificis Romani permissu episcopio posthabito, rei christianae causa provincias tam multas percurrisse tradunt, et chorepiscopum sive suffraganeum tamen fuisse fateantur, satis rationis habent, qui ejus loci dioecesin illi attribuunt, quo in loco fructus industriae potissimum explicavit, seorsim itaque suum et habeat locum. 717.

S. Pyrminius corepiscopus, sive secundo in ordine episcopus; de quo luculente Walafridus Strabus.

Rhenus ab Ausoniis, quo ducitur Alpibus, aequor
Miscet in occiduis diffusus partibus ingens,
Illius in medio suspenditur insula fluctu,
Augia nomen habens, jacet hanc Germania circa,
Haec solet egregias monachorum gignere turmas.
Primus in hac sanctus construxit moenia praesul
Pirminius, ternisque gregem protexerat annis;
Hujus quisque velit sanctam cognoscere vitam,
Ipsa sepulchra petat, satis ipse probabit in Hornbach.

Porro S. Pirminii vitae acta, ab Othlono Fuldensi monacho conscripta, nuper luce donata sunt, unde plura peti possunt. Illud huic loco de Hornbacensis monasterii initiis deberi censemus, Pirminium postquam Sinlacis viri illustris favore et opera purgatam serpentibus Augiam, religiosorum fecisset hominum seminarium, ac denique excitatis pluribus in Bavaria et Alsatia coenobiis, factione Theobaldi, Suevorum ducis, ad fines Trevirorum rejectus esset, exilium hoc vertisse in palestram novi laboris. Nam Westrichi ditionem subiens, istic ubi Bliessa et Sara irrigantibus praealta Vogesi juga complectitur, Werinheri illustrissimi viri studio opibusque fretus Hornbacense monasterium haud procul Bipontis oppido moliri coepit, sanctissimi laboris vitaeque metam fixurus, sed posteritatis degener spiritus et haereticorum vertigo hoc nostrae aetati religionis asceterium invidit. Quanquam Wernheri nepotes, atque in his Wido rara illud liberalitate exornavit, memoran-

Digitized by Google

dumque quod eidem evenit, cum velut suae immemor munificentiae, campanum aes, quod Pyrminii oratorio, forte ipsemet quondam largitus, aufferri jusserat. Repente enim alio in loco aes illud obmutescere, neque priori ullum sonum similem edere, donec suae ecclesiae redditum esset, ingenti spectantium stupore observatum est.

36. S. Sigibaldus. Hunc domesticus usus Sanctitatis titulo cohonestat, ortum claris majoribus ajunt, mirifice doctrina et exemplo vitae amplificasse religionem, neque minus patrasse miraculi, complures animas diversis vexatas vitiis consanando, quam si varios morbos de malesanorum corporibus detraxisset, duobus item constitutis et incohatis coenobiis, Hilariaco et Nova Villari anno Christi 734 res ecclesiae suae reliquit ornatiores. Porro Hillariaci primordia rectene a Bruschio tradita sint, merito nos ponimus in ambiguo. Novam Villam vulgo Neuweyler Alsatiae solo, adjutante S. Pirminio conditam liquet, legibus S. Benedicti verum anno 1497 Alexandro Romae, Alberto Argentorati episcopis abjecta regula in solutiorem clericorum vitam concessit. Sigibaldum cum podagrae morbus ad patientiam et caeteras virtutes multis annis exercuisset, tandem cum vita deseruit VII. calend. novembris. Ejus ut et successoris praeconium Paulus diaconus aetatę suppar luculente prodidit. »Sigisbaldum utilissimum ecclesiae suae, generosis »ortum natalibus, selectissimum quendam fuisse sacrorum cul»minum restitutorem. Hillariaco seu Novacella et Villari con»ditis, mente internis gaudiis defixa, dolores corporeos patien»tissime tolerasse. 718.

37. Chrodegangus qui et Ruodgangus, Pipini regis ex sorore avunculi Landrada nepos, patre Sigramo, Hasbaniensi pago apud Eburones ortus, excellenti memoria praesul, illustribus adversus ecclesiam suam promeritis et rebus in Francorum imperio, domi foresque cum egregia virtutis, fidei ac religionis testificatione gestis immortale nomen consecutus.

Non siluerunt viri pietatem Marianus et Sigebertus chronologi, imprimisque ejusdem seculi scriptor Paulus diaconus, cujus operae pretium erit verbis hoc loco uti, quod ex his de

origine ipsius diversis opinionibus disceptetur. Sic igitur de episcopis Metensibus post exposita Sigibaldi decessoris acta loquitur. »Hinc vir egregius et omnibus praeconiis offerendus »Chrodegangus antistes eligitur ex pago Hasbaniensi oriundus, »patre Sigrammo, matre Landrada, Francorum ex genere »primae nobilitatis progenitus. Hic in palatio majoris Caroli »ab ipso enutritus, ejusdemque referendarius extitit ac demum »Pipini regis temporibus pontificale decus promeruit, fuit »autem omnino clarissimus, omnique nobilitate coruscus, forma »decorus, eloquio facundissimus, tam patrio, quam etiam latino »sermone imbutus, servorum Dei nutritor, orphanorum vidua»rumque non solum actor, sed etiam clarissimus tutor, cumque »esset in omnibus locuples, a Pipino rege omnique Franco»rum coetu electus, Romam directus est, Stephanumque vene»rabilem papam, ut cunctorum vota anhelabant, ad Gallias »evocavit. Hic clerum adunavit, et ad instar coenobii intra »claustrorum septa conversari fecit, normamque eis instituit, »qualiter in ecclesia militare deberent, quibus anonas vitaeque »subsidia sufficienter largitus est.« Subjicit deinde qua cura, quibus impensis, ecclesiam cathedralem S. Stephani protomartyris exornavit, ejusdemque honori in pago Mosellensi sub parochia S. Stephani monasterium locuples aliudque in Gorzia erexerit, magnisque proventibus ditaverit, ubi insigni numero sub disciplina S. Benedicti Deo famulaturos collegit, denique concludit: »Rexit ecclesiam Metensem annis viginti tribus »mensibus quinque diebus quinque, obiit pridie nonas martias »in diebus Pipini regis. Requiescit in Gorzia monasterio, quod »ipse a fundamentis exstruxit.«

Hinc jam plurium disceptatio oritur, quaenam illa Landrada mater et an Pipini, ut dicitur, et cujus soror? sub quo Carolo majori referendarius, ad quae strictim relictis anfractibus, controvertentium respondetur cum Francisco Lanovio; fuisse sororem Pipini Herstallii et Chrodegandum filii ejus Caroli Martelli referendarium, ita enim omnia facile conciliabis et intelliges, *cur ex prima nobilitate Francorum,* quae majorum domus erat a diacono fuisse dicatur, et cur ab aliis

Digitized by Google

Pipini III. primi Francorum ex Carolingis regis nepos habitus sit, quod mater Landrada ex S. Bega, Pipini Landensis filia, et Ansigiso prognata fuerit, adeoque Chrodegangus jure inter Pipini regis nepotes census. Porro id certum vel ex eo diplomate cognoscas, quod Carolus Martellus, S. Dionysii monasterio Clipiacum donans, reliquit, ita enim Chrodegangus referendarius subscribit. »Crotgangus jussus hanc epistolam »donationis recognovi. Actum XVII. septemb. anno quinto post »defunctum Theodoricum regem.« Hoc est non multo ante Martelli obitum circa annum Christi 735, cum hic vix senis annis Theodorico superfuisse credatur, a quo Chrodegangus ad Pipini, filii Martelli et creati a Zacharia pontifice regis, translatus aulam, Metensi infula decoratus est, quam cum supra tres et viginti annos tulerit, ut refert diaconus, et anno salutis 765, qui erat regnantis Pipini decimo sexto diplomate Gorziae monasterii fundationem auxerit. Eo adhuc tempore superstes, non potuit ex alterius, quam Pipini Herstallii sorore natus esse, cum ad Landensis aetatem ejus nativitas extendi nequeat, quod ergo Pipinum regem in donatione Gorziensi avunculum dicat, id sanguinis, dignitatisque, qua praecellebat rex gratia factum est. Ceterum legationes varias in Italiam sub diversis pontificibus obiit. Nam ut Romam sub Pipino profectus, sic alia in Italiam profectione inde reliquias primae notae martyrum in Austrasiam importavit, omnibus hominum ordinibus, ubi ubi terrarum miram beneficentiam exhibuit. Porro in Laureshaimensis inclytae quondam abbatiae monumentis salutatur archiepiscopus et abbas. Nam Gilliswinda, illustris et religiosa vidua, et filius Cancor Rhenensis pagi comes, cum anno Pipini regis XII.: »Ecclesiam et monasterium in loco nuncupato »Lauresham in pago Rhenense super fluvium Wisior in insula »Altenmünster instruxisset, venerabili Ruodgango archiepiscopo »et abbati extradiderunt, ubi inibi monasticae professionis »militiam institueret.« Atque hoc illud augustum religionis domicilium est, in quod olim tot regum ac principum congesta dona, quod S. Nazarii pignoribus hospitium dedit, quod Tassilonem Boiorum ducem cum filio attonsum recepit et monachum habuit,

quod anno demum 1243 detracto principatus jure tituloque per Sigefridum Moguntinum archiepiscopum praemonstratensibus cessit, ac tandem esse desiit. Tritthemius etiam huc Chrodegangi promit dignissimum, quod hic a nobis subjiciatur elogium »Ruggandus episcopus Metensis Pipini regis ex sorore »nepos, nobilitatem generis nobilitans, sanctis moribus et studio »scripturarum deditus, corporum Sanctorum martyrum venera»tor egregius, clerum et populum sibi commissum verbo et »exemplo ad justitiam erudire cupiens, scripsit pro clericis »Metensis ecclesiae satis instructam et utilem regulam cano»nicorum, et quaedam alia. Corpora B. martyrum Gorgonii, »Naboris et Nazarii Roma in Franciam transtulit et corpus »S. Nazarii in monasterio Laurissa, tunc ordinis S. Benedicti »Wormatiensis dioecesis reconditum est. Claruit sub Pipino »patre Caroli imperatoris anno Dñi 760.« Turbari hic in chronologia et a publicis monumentis a nonnullis defecti, ne nescires admonere debui, nam Chrodegangum Sigebertus decessisse scribit anno 765, perinde ex Reginone cognosci potest, Walonem in acie a Normannis caesum anno Christi 883. At omnibus hic collectis in unum, annis tam Walonis, quam ceterorum quatuor, qui intercessere ad 84 tantum annorum summam pervenies, quibus ad extrema Chrodegangi adjectis educes annos supra nongentos, unde quinquaginta, quanquam Meuriss. observet biennio a morte Chrodegangi sedem vacasse, ed Angilramnum non solum 23 sed 50 annis praesedisse, quod postremum, cum ex diversis diplomatis constet, eidem assentimur.

38. Angilramnus, Engelramnus (innuit 768). In Caroli Magni palatio floruit, archicapellani dignitatem et apocrisarii Romanae sedis hisce regionibus honorem sortitus. Res monasterii Novaecellae seu Hilariacensis impolitas ipse perfecit, quod monasterium S. Naboris reliquiis a Chrodegango importatis, ab illo martyre nomen, cum addito vico retinuit, et ibidem ipse quoque condi sepultura, cum Sigibaldo primo loci fundatore voluit. Vitam S. Trudonis legimus, duobus libris conscriptam et a Donato exule huic Agilramno dicatam, cui et Adrianum primum addunt tradidisse capitula ex diversis synodis et canonibus collecta

Digitized by Google

quae ad dirigendas Franciae ecclesias in gratiam Caroli M. Hadrianus compendiosa narratione strinxerat, et tom. 3. concil. Binii, parte 2. sub Hadriano proponuntur, digna, quae omnium ecclesiasticorum manibus et oculis pertractentur. Porro nec Paulo diacono ignota hujus praesulis virtus extitit, illi utique familiaris, quando cum Desiderio Longobardorum rege in hisce Galliae locis, Metis, Theonisvillae et alibi ferme captivus et exul vixit, unde virum appellat: *Mitissimum et sanctitate praecipuum,* eoque flagitante se ait, librum de episcopis ejusdem civitatis conscripsisse: quod vero archiepiscopi nomine eum afficit, id argumento nobis est, in tanto nobilitatis et honoris fastigio et Chrodegangi tam rara apud Stephanum pontificem et Pipinum gratia, posteros impetrata jam pallii usu facile ad majora contendisse, et de Chrodegango in annalibus non siluimus archiepiscopi ritu ac potestate episcopos ordinasse, cujus tamen praerogativam prorsus singularem, et quam pro consuetudine majorum, ad successores non pertinuisse, documento sint ipsae tabulae, quibus episcopos consecrasse quam plurimos per diversas civitates scribitur. Diem suum obiit Agilramnus VIII. cal. novembris.

39. Gundulphus II. (819) diversus utique ab eo, qui B. Radegundi notus, hunc enim laudabili vita ac fide venerandum, sedisse veteres narrant annis sex, Caroli Magni tempore. At sub temporibus Ludovici imperatoris praesedisse, Theonisvillana synodus ab hoc celebrata testis est, ad quam invitatus Gundulphus cum Hetti Trevirorum archiepiscopo anno circiter 821 venisse memoratur. Cujus gloriosae mortis recordationem Metensis ecclesia VII. idus septembris recolere consuevit. *Vide alibi nostra de Hetti additamenta.*

40. Drogo (825) Caroli M. filius ex Luxoviensi disciplina ad Mediomatricum sedem evocatus, vir regno Franciae toto spectatissimus et monumentis hujus aevi literarum omnibus fere celebratus. Excellentia honoris apocrisarii apostolici munere, usuque pallii tantum non metropolitani culmen aequavit. Sub illo anno 835 concilium Theonisvillanum institutum, quo Ludovicus imperator contra filios in regno stabilitus est.

Digitized by Google

S. Clodesindem virginem humo levatam in B. matris honori recens exstructam aedem importavit, quae lapso post tempore S. Theobaldi canonicorum collegio donata. Maurimonasterium Alsatici tractus, cum primum moderari coepit, novis ornamentis exornare studuit, S. Coelestis et Auctoris exuviis adparatu insigni istuc traductis. In Burgundia morte defunctus VI. idus novembris, denique in basilicam Arnulphianam S. Joannis Evangelistae infertur; humaturque eodem loco, quo et Ludovicus Pius, frater, et Hilegarda mater, regiaeque stirpis complures alii conditi fuerant. Quorum epitaphia nonnulla ex ruinis monasterii S. Arnulphi reliqua magnus annalium scriptor appendicibus tom. X. adtexit: sed antea pridem superstite dum extra moenia templo, monasteriorum Germanicorum chronographus, eadem in literas miserat. Hoc de illo in versibus ejus saeculi elogium quod Strabo recitat, producendum videtur:

Haec sunt praecipue, quibus insignita refulget
Virtutis persona tuae, sapientia radix,
Ordo, affabilitas, bonitas, patientia, virtus
Vita, gradus, doctrina, locus moderatio victus,
Zelus, amorque Dei, fidei insuperabile robur
Religio, officium, censura, modestia, gestus etc.

41. Adventius (iniit 858) a Drogone educatus, ad eum honorem pervenit. Divortii Lotharii tragoedia mire jactatus, quando concilii Metensis pars ipse cum reliquis episcoporum Lotharii regis illegitimos thalamos probavit, brevi cum caeteris Romana synodo anathematis sententia damnandus, quanquam tempestatem ejus ultimam rebus suis salvis effugit. Nam egregiam apud Nicolaum pontificem animi submissionem ac poenitentiam professus, erroris Caroli Calvi deprecatione erectus, pacem veniamque meruit, et sedis honorem, qui in discrimen venerat, retinuit. Invenimus hujusce praeclarum rei Trevirensis ecclesiae primariae bibliotheca documentum, quod non exiguam in hac historia nobis lucem attulit, literas, puta Caroli Calvi deprecatorias ad Nicolaum pontificem per Betonem monachum, Adventii oratorem, Romam missas, in quibus cum Carolus illa

Digitized by Google

honorum et privilegiorum insignia, quae in Angelrammo et Drogone posuimus, ad avi et parentis gratia revocat, tum pro Adventio supplex ita Nicolaum affatur. »Quoniam venerandus »et amantissimus patruus noster Drogo nobis unice dulcissima »dilectione et obnoxia fidelitate conjunctissimus fuit, eundem »venerabilem Adventium nutrivit, et domestica familiaritate »habuit, et ipse Adventius nobis fidelis et amicus extitit, »vestigia sanctissimae paternitatis vestrae deosculantes, cum »omni devotione poscimus, ut nostra petitione, sicut credit, »apud authoritatem vestram se sentiat juvari, ne ipse et sedes »ejus modo quolibet, quod absit dehonoretur, quae postula»tione avi nostri divae memoriae Caroli imp. honorari ab »apostolica sede meruit.«

Post haec eam Leonis sententiam subjiciens »sedis, inquit, »apostolicae moderatio hanc temperantiam servat, ut et se»verius agat cum obduratis, et veniam cupiat praestare cor»rectis, quatenus venia concedatur, si error aboletur.« Ceterum Adventius de Clotarii conciliatione non parum solicitus, has jam ante Hattoni Virdunensium episcopo literas dederat, ex quibus ejus cura non vulgaris emineret; nonnulla ex eis recito: Divus »Nicolaus apostolicus, áit, praefixam atque im»mutabilem sententiam in suis scriptis directam habet in istis »partibus super causam domini ac senioris nostri Lotharii regis, »ita videlicet, ut si in vigilia purificationis S. Mariae Waldra»dam non dimiserit, a liminaribus ecclesiae debeat esse ex»clusus. Unde nos quasi mortali angustia vallati et nimio »taedio affecti, vestrae charae paternitati hos lacrymosos direxi»mus apices propter Deum precando et propter illam fidem, »quam isti debetis, ut nullo modo omittatis nisi statim et »absque ulla mora in suam praesentiam venire statuatis, eique »imminens periculum quasi verus speculator per omnia ex»ponatis, dicendo, quomodo nullas illi moras praetendit, aut »aut salvationis, aut forte quod absit damnationis sententia, »nos vero saluberrimum putamus esse consilium, et ex divino »in adjutorio modis omnibus accelerandum, ut noster senior »festinato itinere duos dies ante festivitatem S. Mariae in

Digitized by Google

»Florinkin aut in alio loco ubicunque voluerit, si amplius non »potest, saltem tres episcopos habeat, quos sua dominatio »elegerit, et in illorum praesentia secrete de retro actis cul»pis, et in conspectu episcoporum humiliter veniam petat, et »inter lacrymosa suspiria emendationem promittat imposterum, »alioquin se ipsum et nos omnes, qui illi secundum Deum et »secundum seculum fideles sumus, ad irrecuperabilem per»ditionem ut verisimile cernitur perducet, de publico enim »adulterio nullatenus erit formidandum, cum Dominus per »prophetam clamet: cum ingemuerit peccator salvus erit, non »reiterans vias suas... Hi ergo apices sub sigillo confessionis »mittuntur, ita videlicet, ut propter Deum vobis sit, ne ullus »mortalium praeter vos et nostrum seniorem (regem Hlo»tharium) si voluerit ullatenus videat, ergo agat vestra fra»ternitas, ne dilectissimus et amantissimus dominus noster, et »nos cum illo infeliciter pereamus. Oramus dilectam fraterni»tatem vestram valere feliciter.« Ex quibus literis manifestum est, parum Lotharii causam ab Adventio probatam, quem poenitentiae adeo serio admonitum voluit, dignumque fuisse, cui Carolus patrocinaretur, quanquam et hanc Carolo denique gratiam rependit, quod eum ad Lothariense regnum autoritate sua provexit, nec sine causa Regino in chronicis hanc illi notam adspersit, ceu assentando Caroli fortunam ambitiosius fovisset. Ajunt magnis ornamentis et thesauris eum Metensem ecclesiam locupletasse. Extat in eodem manuscripto Trevirensi, quem antea laudavi, Notitia facta ab episcopo sanctae Metensis ecclesiae Adventio anno ab incarnatione Domini 866 indictione XV. qua Gerberto illustri viro Aquitanio, Frotbaldi quondam filio, res quasdam Sancti Stephani protomartyris Metensis ecclesiae in pago Scildunensi jure beneficiario ac tributario possidendas attribuit. Adventii nepos sive propinquus fuit Bertulphus Trevirorum archiepiscopus. Excessit in praedio, cui Satto nomen, XI. calend. octobris, Metis in sacello B. Galli sepultus, cum annis aliquot diris podagrae doloribus excoctus ad patientiae virtutem sese roborasset. Plura de eodem apud Meuriss. lib. 3. hist. Metensis reperies.

Digitized by Google

42. Walo (876) caesus a Nortmannis in acie III. non. aprilis anno Christi 883. Scripsit ad eum literas Hincmarus Remensis antistes, quarum nonnullas Flodoardus recenset; ut illam, qua documenta perscripsit vitae pastoralis et confederationem petiit, atque de subita illius egit ad episcopatus culmen avectione. Pallii ornamentum a Joanne VIII., ut et successor, impetrasse dicitur, unde et Hincmarus archiepiscopum Trevericum literas papae scripsit noluisse recipere. Magno civium suorum moerore occubuit, pro quorum salute se Deo victimam consecraret. In urbem reportatus, sepulturam accepit in ecclesia Salvatoris, quam vivus ipse construxerat, dies quindecim, quos episcopatus annis vetus scriptor superaddit, errore non tacendo Democharis in annos vertit.

B. Glodesindae corpus oleo stillans coelesti, cujus unctione morbi pellebantur, vulgo ob imminentem urbi Metensi a paganis cladem lacrymas fundere credita, et multis superne denunciatum S. Glodesindae meritis Metim a Nortmannis irruptione conservatam.

43. Roudbertus (884) stirpe nobili gentis Allemannorum, quem Radbodus Trevirensis episcopum consecravit, pontifex pallio donavit, Mediomatricum urbis moenia temporum injuria et clade decessoris admonitus resarciit, labentem monasticen haud segniori cura passim cum liberalitatis auctario restituit. Non ignotus Luidprando Ticinensi et Stephano papae fuit, qui et rescripto decretali eum dignatus Triburiensi, et ipse concilio et synodo episcoporum, quae ipso sedente Metis coacta interfuit, ubi praesedisse Radbodum Trevirensem archiepiscopum, licet Roudbertus pallio donatus archiepiscopi honore coleretur, ex praefatione ad hoc concilium liquet, sic enim habet. »Anno ab incarnatione Domini Jesu Christi 888 regni »domini augusti gloriosissimi regis primo die cal. majarum »acta est synodus in suburbio Metensis civitatis, in ecclesia »S. Arnulphi ab archiepiscopo venerabili Radbodo Trevirensi »et Rodberto praedictae civitatis praesule, Dado quoque Viri»dunensis ecclesiae reverendissimus episcopus, et Arnoaldus »Tullensium episcopus, Stephanus venerabilis abbas et multi

»sacerdotes cum comitibus et pluribus nobilibus et Deum »timentibus viris adfuerunt, ubi pari voto, parique consensu »pro vera charitate et tranquilitate S. Dei ecclesiae, quam »redemit Christus sanguine suo, sibi invicem occurrentes in »commune praesules locuti sunt.«

Porro saluberrimi in hac synodo decreti sunt canones, quorum aliquos juverit recolere.

1. Quod pax a paganis et contumacibus christianis per emendationem morum a Deo impetranda sit;

2. ut decimas ecclesiae solus sacerdos accipiat, et nullam illarum partem laici et seniores usurpent;

3. ut unus presbyter unam solummodo ecclesiam habeat, intellige pastoralem;

4. ut de manso ecclesiae nullus census exigatur et ne pro sepultura pretium detur;

5. ut nullam in domo sua foeminam habeant sacerdotes, nec matrem quidem aut uxorem;

6. ut presbyteri libros et vestimenta ostendant episcopis, nec laicorum indumentis utantur;

7. ut nemo cum judaeis edat aut bibat;

8. ut missae nonnisi in locis consecratis fiant, et basilicae a chorepiscopis consecratae ab episcopis consecrentur.

Praeter has aliaeque nonnullae leges de excommunicatis latae; nobis hae suffecerint.

Reperitur etiam Robertus episcopus subscripsisse Triburtino concilio anno salut. 895 celebrato, eundem vero superstitem anno 906 praefuisse Mediomatricibus episcopum testantur Radbodi archiepiscopi Trevirensis literae, quibus Gislemaro cuipiam licentiam impertitur parochiale munus in Metensi dioecesi obeundi, quas in annalibus suo loco non sine mysterio scriptionis priscae expositas reperies.

Postquam vero Robertus sedit annis XXXIII. mensibus VII. et diebus XII. obiit IV. nonis januarii, sepultus in ecclesia S. Galli.

Floruit eo tempore Stephanus Leodiensis episcopus, Caroli Simplicis consanguineus, ex clerico Metensi virtute doctrinaeque

Digitized by Google

merito Franconis successor, cujus inter alia monumenta extat vita S. Lamberti huic Ruperto inscripta.

Sed longe clarior Ruodberti memoria perennat apud Notgerum Balbulum, qui hujus aetatis sanctimoniae et doctrinae praestantia locum tenuit in monasterio S. Galli facile principem, unde et Ruodberto pro usu et consuetudine, quam cum illius loci monachis habuit, hymnos ipse quatuor de S. Stephani martyrio, inventione, miraculis, Africanis et cismarinis, inscripsit et dedicavit, quorum in postremo sic huic praesuli accinit.

Aeger et balbus vitiisque plenus
Oro polluto Stephani triumphos
Nother indignus cecini volente
Praesule sancto.

Flore Roudbertus juvenale qui nunc
Cor senum gestans, senium beatus
Ac piis plenus meritis videre
Promereatur.

Pacis optata potiens quiete,
Hostis et diros superans mucrones
Quem furens misit Boreas fugandum
Vel perimendum.

De Nortmannis metrum ultimum accipio, cladis a Wallone nuper acceptae necdum obducta cicatrice. S. Galli quoque alumnos ab Helvetiis Metim usque artis et ingenii admiratione accersitos testis B. Tutilo, tum liberalibus disciplinis omnibus, tum musicae, tum pictoriae ad miraculum excultus, qui Metis artificia magna caelando auroque ducendo, angelis etiam adjutantibus absolvisse dicitur, cumque Deiparae matris effigie venuste picta circulum in throno reliquisset inanem, ajunt operi occulto hunc coelitus immissum versiculum:

Hoc panthema pia caelaverat ipsa Maria.

Quam imaginem habitu situque mire vivacem ad posteros etiam venerabilem transmisisse scribunt.

44. Wigerius (917), qui in supplementis Reginonis appellatur Witgerus ab Henrico rege divisis procerum studiis

obsidione pressus, urbem acriter aliquando propugnavit. Ipsis calend. martii vita defungitur anno qui apud Reginonem exprimitur 925; virtutis et integritatis laude conspicuus.

* Benedictus, qui Reginoni Benno dicitur, veteribus episcoporum tabulis praeteritus, an quia ut hujus ferre imperium majores noluerunt, ita nec ejus extare nomen placuit, an forte quia viri probitate malis invisa metus erat, ne cum ipsius simul gloria manaret ad posteros supplicii illati infamia. Excoecatus, certe quidem a Metensibus ille proditur. Quare et synodo Duisburgensi facinoris rei communione interdicti sunt. Justis enim Benno suffragiis eum in locum cooptatus erat ex ordinariis Strasburgensibus, cum in Alpibus quondam Turgouviae solo eremittam egessit, ut Regino loquitur. Ceterum Bennonis acta majorem in modum illustravit Franciscus Guillimannus in Argentinensium episcoporum commentario, et Christophorus Hartmannus in annalibus eremi Deiparae matris, qui regio Burgundionum sanguine procreatum Rudolphum regem stirpis gradu contigisse, et ex canonico Argentinensi religionis et solitudinis amore in montem Euesium secessisse tradit, ubi sancti Megenradi cellam, qui celeberrimo B. Dei Genetricis monasterio ad eremitas vulgo Einſiedelen originem dedit, unde viginti prope annorum assiduo cultu possessionum auctu, in justi coenobii speciem redegerit, atque adeo incrementis mox secuturis idoneam et amplitudinis, quam inde adepta est, redderit capacem. Mons quem in vicinia caesis virgultis ad culturam repurgavit, ab eo nomen Bennarium retinuit. Ceterum eremi expedito desiderio haud facile concessisse ferunt, legatis, qui ad sedem jucundam accersitum venerant, secutum tamen vel invitum et obluctantem, relictis qui incohata opera susciperent, quaeque victui et cultui essent, Ufnaugia, Tigurini lacus insula, et sui initio praedio superioris Alsatiae, quin et primigenia sedes oculis orbatum nec sustinentem scelus ingratarum ovium benigne recepit, quippe in monasterio, quod excoluerat, diem suum pie functum anno 943 non. augusti, sepultum tradunt prope sacellum Deiparae a S. Meginrado constructum, a socio et contubernali tertio eremita S. Eber-

Digitized by Google

hardo, qui ex praeposito Argentinensi, genere et opulentia clarus, solitariam istic vitam amplexus abbatum eremi primus evasit.

45. Adelbero (929). Cui Regino Prumiensis abbas annales suos dedicavit, qui virum item fuisse excellentissimo ingenio et studii deditum philosophiae, non reticuit. Gorziensis monasterii labentes mores et facultates sumptibus extenuatus restituit, simulque S. Arnulphi ecclesia correcta canonicis disciplina subterfugientibus benedictinos Ariberto designato abbate suffecit. Extat hac de re Adelberonis illud decretum in Gallicanis conciliis quod ad exemplum posteritatis juvat hoc loco promere.

»Totus, inquit Adelbero, ordo ex aequitatis studio expedit, »quo in omni statu et habitu si qua manent justo correcta »moderamine instantius in augmento promoveantur summo, nec »minus justo, quae videntur pessundari, aequae reformari »mensura liberationis. Id idcirco ego indignus Adelbero S. sedis »Metensium episcopus, opere pretium duxi, ut qui diu mihi »commissa in corporis negligentia cuncta duxeram, saltem »aliqua, quae corrigere valerem, congruebat sagaci profiterem »industria, itaque cultis notum, scilicet B. Arnulphi quo vide»batur coadunatio clericorum, utque veridice dicam, et sub »testimonio totius ecclesiae alepalarum sub specie canonicorum »regulae existere, sucrevit ardor summi desiderii, ut qui illo»rum mores, et vitam incorrigibilem noveram (namque et hoc »experientia diversarum admonitionum antea cum nostris ex»pertus eram suffraganeis) quo potioribus et vitae praestan»tissimis ipsius loci praebendam converterem disciplinis, hujus »sicquidem deliberationis summa fuit, ut eos expellerem, et »Deo authore vitam instituerem monasticam, nisi se ipsos »sanctae illius subderent vitae. Sed hoc quasi despectui ha»bentes ut erant jurati coetu, maluerunt esse pares in im»perfectionum consensu, denique consultu clericorum nostrorum, »scilicet abbatum utriusque ordinis atque fidelium laicorum, »perfecimus ibidem abbatem Arbertum nomine, cujus institu»tionis in reliquum adventantes inibi eodem quo definivimus

»ordine erudirentur, quapropter furoris stimulo veluti de pa-
»ternis redditibus accensi, quidam eorum adigerunt regem
»seniorem nostrum videlicet Ottonem, vanam super hac re
»garrientes declamationem; quod injuste proprium abstulissem,
»et veluti haereditarium locum; cumque ut egeram, praefato
»seniori totum indicassem, illorum flocci pendens rationem et
»sapiens et justus rex ne in reliquis quaeremoniis inibi Deo
»famulantes molestarentur invitorum, tunc et ipse, quod fece-
»ram, confirmavit, testamento regio authoritatis praecipiens,
»ut pari consensu ad corroborationis authoritatem identidem
»nostra sanciret ecclesia, quod juxta desiderii ardorem exe-
»quens, uti hinc sicut statuimus, maneat, cum consensu ducis
»nostri, Ottonis videlicet, totius ecclesiae nostrae hoc praecepto
»confirmationis scriptum manibus propriis roboravimus, et
»roborandum tam praedicto duci, quam coepiscopis nostris
»fidelibusque dedimus in Domino et propter Dominum, omnes
»successores nostros similiter postulans, ut sicut definivimus,
»ut volunt sua quae diffinierint rata habere, consentiant nostra.
»Actum Metis publice sub die idus martii indictione XVI.
»concurrente V. anno XIII. adeptionis episcopatus domini et
»episcopi Adelberonis hoc testamentum fuit coram cunctis in
»palatio recitatum, et ab omnibus voluntarie corroboratum.«

Porro Sigebertus Gemblacensis praeclarum hoc de Adel-
berone judicium in commentario vitae S. Guiberti fecit. »Adel-
»bero primus, inquit, hujus nominis Metensis episcopus, nobi-
»lium christianissimus et christianorum nobilissimus, erat
»quippe frater Friderici ducis, in hoc primum regiminis sui
»dedit exercitium, ut et saeculari potentia et episcopali cen-
»sura exturbaret a sua dioecesi irreligiositatis vitium. Porro
»is vitae perfectioris ardor, cum aliis in locis, tum praesertim
»Gorziae mox enituit, unde B. Guibertus, qui nuper claritu-
»dine generis et magnarum opum fama inclitiae non ignobilis
»cingulo posito, se seculo abdicarat et Gemblacum castrum
»suum in monasterium converterat, religionis amore isthuc
»commigravit, annisque aliquot in virtutum studio consumptis
»cum magna sanctitatis opinione diem suum clausit X. calend.

Digitized by Google

junii 962.* Ejusdem reverentia loci tactus Adelbero D. memoriae (ut loquitur vetus scriptor) Gorzia, quam muris quoque cinxerat, sepeliri voluit, porro Adelberonem XI. calend. maji 962 vita functum notant suplementa Reginonis, verum ex epithaphio Gorziensis monasterii quo corpus translatum est, constat anno 964 defunctus esse.

Surrexit tunc temporis monasterium S. Clementis in urbis conspectu, disciplina D. Benedicti, cujus ut item B. Arnulphi hodie ad occasum et meridiem urbis vix inter vineta existentia rudera monstrantur.

S. Arnulphi clerus, cum licentiae perfugium apud Ottonem caesarem frustra quaesiisset, familiae tandem S. Benedicti cedere coactus est, qua de re Ottonis extat diploma Francofurti datum IV. idus januarii 941, indict. XIV. regni Ottonis VI.

46. Theodoricus I. (964). Is Ottonis Magni consobrinus Adelberoni circa Christi annum 964 surrogatus, teste Sigeberto, qui et Theodorici vitae acta proprio libello complexus, tum alias ejus virtutes, tum mirificum reliquiis Sanctorum undique conquirendis ab eo studium impertitum collaudat. Agnovit et Theodoricum Alberonis successorem, etsi anno serius, Reginonis chronicon, ex quo tamen in hac tam parum expedita temporum ratione ne minus diligenter inquisitum putes, observo tertium inter Adelberonem et Theodoricum interponi. Fuit is

* Guido qui Ottone in Italia rem gerente, sine ipsius pace ac gratia sedem iniisse videtur, simulasse tamen ajunt astu vulpino adversus imperatorem obsequium, sed nimis quam arduum et inconsultum esse militiae et seculi negotia cum episcopatu jungere, docuit exemplo suo, cum Ottonis insidias calliditate quadam superare non potuit, nam per Alpes iter faciens, Curiam urbem praetergressus exceptus est, et captivus in Saxoniam perductus, Schlavorum custodiae perpetuae damnatus, idque ita gestum anno 965 narratur apud Reginonem, quem etiam in annum Theodorici primordia conferuntur. Porro Theodoricus, ubi temporale non minus quam spirituale occupasset urbis regimen, favore Ottonis, ac B. Vincentio prae-

Digitized by Google

clarum in urbe coenobium condidisset anno 984, VII. calend. augusti moriens in aede B. Symphoriani tumulum accepit, licet illi Sigebertus ad quadriennium vitam prorogat.

47. Adelbero II. (985), Sigeberto, Friderici puta Mosellanorum ducis filius, Virdunensem hic ecclesiam ante rexerat aeque virtutis ac nobilitatis laude clarus. Plurima incohata a majoribus opera absolvit, monasteria auxit, et benigne fovit. S. Symphoriani coenobium cum restaurasset, in ejusdem martyris ecclesia sepeliri jungique Aptatio, Papulo et aliis suis majoribus voluit XVIII. calend. januarii. Hinc

* N. Theodorici Mosellanorum ducis filius, oppido puer patris ambitione irrepsit ad id fastigii, sed, qui tutor ei datus erat

48. Theodoricus II. Luzelburgius (1003), S. Cunegundis imperatricis frater, episcopatum ipsemet arripuit, immaturum tanto fastigio pupillum urbe simul ac cathedra submovens, aedem B. Stephani primariam seu potius ut vetus scriptor ait, monasterium urbis principale construxit, et praeclaris operibus ornavit. Brachio protomartyris importato ab usque Bizantio. Henricum imperatorem affinem studio rerum novarum irritavit, et magnis in obsidione urbis suae acceptis incommodis, hostem sensit, multis etiam praediis, ad extrahendum bellum ecclesiae detractis. Porro clavi Dominici miraculo, cujus ubertim sanguine respersus est, futurus in omnem posteritatem memoriam celebris, diem suum obiit XI. calend. maji.

49. Adelbero III. (1046) Theodorici ex fratre nepos, vir prudentiae ac integritatis laude praeclarus. Contractus ait ab Henrico imper. ad annum Christi 1047 impositum sedi, dicitur que in Msp. sanctitate ac religione venerabilis. Collegium S. Salvatoris fundis praediisque suis in medium collatis amplificavit, fundavitque. Eo sedente Gauricus abbas basilicam S. Arnulphi reparavit, quam Leo IX. pontifex in celeberrimo procerum conventu, tribus metropolitanis, et sex episcopis operam navantibus, XI. octob. consecravit anno Domini 1049. Ceterum Adelbero idibus novemb. vita decedens, in Salvatoris aede tumulatus est.

Digitized by Google

50. Hermannus (1073), acerrimus apostolicae sedis contra schismaticorum furorem et impetum vindex, ex Leodiensi clero ad Metensis ecclesiae gubernacula accersitus, Gregorio VII. sane quam devotus, cujus in Hermannum amoris pignore literae non paucae leguntur, quibus et privatim suam salutem pontifex Hermanno et ecclesiae quoque causam publice ejus sapientiae commendavit. Quippe apostolicae sedis legatum extitisse in vita Gregorii VII. non siluit antiquus scriptor Paulus Benridensis, quare et ab Henrico imperatore tandem pulsus, solum vertere coactus est et successorem sustinere Brunonem schismaticum, quem populus tamen Germani pastoris desiderio exegit. Ejus episcopatus levatis sepulchro S. Clementis ossibus valde clarus. Nam coelesti visu monitum Hermannum ferunt, in primariam aedem transtulisse primum hunc ecclesiae suae doctorem, triduo ante quam vita migraret, atque tantis etiam effulsisse ibi tum illo dierum triduo sanctum eum miraculis, ut et episcopi studium Deus et effusa populus laetitia rarissimum in sanctum Clementem amorem suum palam testaretur. At subinde IV. nonas maji anno 1090 Hermanno animam efflante, non sine magna civitatis admiratione biduo toto nihil opis coelestis, aut solidae virtutis a B. Clemente praebitum vel ostensum. Cujus rei ignorata causa, cum̃ multis solitudinem et curas afferret, acceptum denique responsum a pio viro Lumbrico, fundatore templi S. Petri de monte Briancio, eo tempore medio, quo signa delata B. Clementi certamen fuisse cum generis humani inimico ante Christi tribunal pro praesulis defuncti anima, quem diabolus fratrum accusator ceu parum constantem in regni et sacerdotii dissidio redarguisset, addita calumnia, quod ineunda sede neque sacramentum imperatoris caute suscepisset, atque inde mortis metu in persecutionis procella animo vacillasset, at per infimas obtestationes, sedulo patrocinante Clemente silentium imperatum accusatori et flexam ad miserandum divinam censuram. Quae ita, ut retuli a vetere quopiam scriptore literis prodita sunt, cum alioquī mirificae constantiae specimen in omni vita nemine ferme uno in gradu persistente, Hermannus edidit.

Vacavit sedes annis fere quatuor, cum enim domestici forsan hic sponte caecutiant, Bertholdum Constantiensem, fidissimum hujus aetatis scriptorem libenter certe sequimur.

51. Poppo (1103), ex primariae nobilitatis canonico Trevirensi summa cleri catholici voluntate magistratum coepit, postquam Metensium insigni constantia atque immobili in sedem Romanam studio Adelbero (quem submisserat Henricus imperator) a clero post aliquot annorum regimen fuisset repudiatus; adnitente primo Adelberone primicerio, qui postea Trevirensis ecclesiae cathedram archiepiscopus obtinuit et signifer fuisse traditur certaminum adversus schismaticos imperterritus. Ceterum Poppo Clarimontano in Avernio concilio anno 1095 sub Urbano pontifice interfuisse legitur.

B. Theogerus, Diegerus, Theocarus (1118), sufficitur hic a probatis authoribus, quem veteres tabulae nesciunt, suspicari pronum est, immissum a sede apostolica, neque probatum ab Henricianis, quorum frater Sigebertus collector. Prodiisse ex Hirsaugiensi monasterio celebri in confinibus Suevorum et Spirensis dioecesis affirmant. Docet Tritthemius cum Urspergensi, virum fuisse doctrina et moribus spectatum, scriptisque clarum, ex monacho factum primo abbatem S. Georgii in Nigra sylva, deinde episcopum, sed Urspergensem audire pretium operae: »ad annum Christi 1120 bonae memoriae Dieggerus, primum abbas coenobii S. Georgii, indeque per legatum apostolicum Metensi ecclesiae ordinatus, post multas a regis fidelibus illatas injurias, requievit in Domino, in ecclesia Cluniacensium sepultus, vir apprime literatus, et in sancta conversatione usque ad ultimam aetatem constantissimus.« De illo meminit quoque in S. Herlucae vita nuper edita Paulus Bernriedensis coaetaneus, qui Theocarium, ut ipse loquitur, ait Wilhelmi Hirsaugiensis abbatis fuisse discipulum, et post abbatiam S. Georgii administratam, Metensem episcopatum sanctitate et doctrina illustrasse, ipsumque post obitum Cluniaci sepultum miraculis claruisse. Consentiunt Metenses abdicato honore petiisse Cluniacense monasterium, ut quod religionis et virtutis causa ab eo factum, vel hinc interpretor, quod Calistus pontifex nuper

Digitized by Google

Cluniaci Gelasio surrogatus, illinc nepotem suum Metensibus antistitem pro Theogero misit. De hoc aliquanto disertius Bucellinus ad XXIII. diem decembris in menologio benedictinorum, aitque, fuisse natione Bavarum, sacrisque initiatum, tanta ad divina mysteria peragenda accessisse trepidatione ac demissionis affectu, ut pene sensibus destitueretur; paterna in subditos pietate atque affectione ad miraculum excellisse, et si quibus poena ex statutis infligenda legibus esset, solutum in lacrymas amoris indices, plus caeteris indoluisse, ut accipere, non infligere poenam videretur, voluntatemque ac lacrymas etiam subditorum facile traheret. Vultu in publico constanter hilari, privatim lacrymis devotionis perfuso, et jejuniis vigiliisque exsangui, orationibus immersus adeoque a sensibus abductus, ut aliquando in patenti loco humi stratus, densisque perfusus nivibus, praetereuntium pedibus calcatus sit, priusquam sibi redderetur. Ad fugandos daemones malitiososque homines inflectendos, magna viri vis. Agrestium complures, ob laesa monasterii S. Georgii jura graviter a Bertholdo duce castigati, cum, ulturi poenam, in S. Theogerum irruerent, solo viri Dei contuitu adeo mutati sunt, ut ex minacibus repente supplices, non tantum nihil damnorum refuderint, sed liberali quisque manu plura obtulerit: nonnulli etiam se suaque omnia ejus potestati transscripserint. Diversis Germaniae principibus perquam gratus, eorum favore ad plura monasteria, tum formanda primum tum reformanda, usus est. Multis supra naturam effectis admirandus. Magna aquarum vi jamjam erupturam nubem suspendere imbrem jussit, dum absoluto labore fratres domum se recepissent. Fluvium multis exundantem aquis, has remittere signo crucis fecit, dum ipse cum sociis transisset; in pauperes effundere magis sua, quam partiri solitus panes aliquando prodigiose in penuria auxit, et quinque solidis in 350 pauperes divisis, aliquot adhuc denarios superesse comperit. Metensium pontifex sub anathematis fulmine reluctanti intentato esse jussus, a schismaticis iniquissime vexatus, admirandae omnibus patientiae specimen fuit, equo rebusque suis per viam spoliatus tanquam aliena sustulissent, nihil tur-

batus, in officio, quod ceperat canonico absolvendo progressus est. His aliisque clarus virtutum exemplis Metensem ecclesiam ac diversorum monasteriorum infulas illustravit.

Deinceps in domestico episcoporum indice accuratior inita temporum ratio, adscriptis cuique et expressis Dominicae Incarnationis annis, quod neglectum hucusque fuerat, et scriptor sane medius, qui ex Paulo diacono alia contexuit, alia sibi propinquiora aliunde collegit. Hic subduxit manum, quem fuisse Sigebertum Gemblacensem cum aliis ex rebus tum hinc quoque conjecturam facio, quod is veteris historiae et chronologiae noscendae percupidus, magna doctrinae fama Meti cum vitam ageret et juventutem in S. Vincentii monasterio artibus liberalibus erudiret, a quo constat item ex Tritthemio non pauca, quae ad Metensis urbis laudem facerent, elaborata, sed schismatis prurigine et veneno afflatum in actis eorum antistitum, qui pro unione catholica steterunt, fide parum bona versatum esse indicia undique suppetunt haud levia.

52. Stephanus cardinalis a Barro (1120), excellenti ut loquitur vetus scriptor Burgundionum et Lotharingorum genere, Calisti pontificis ex sorore nepos, hinc episcopatum adiit. Calistus vero II. Guilielmo Burgundiae comite prognatus erat. Stephanus N* comite Barri cujus opibus ut et fratris Reginaldi heredis et propinquorum armis res magnas gessit; oppressamque per schismatis occasionem, castris ereptis, et munitionibus occupatis, dioecesim ex animi sententia vindicavit ac restituit. Cum regalia ab Henrico V. accepisset, schismate adhuc fluctuantibus regni ac sacerdotii controversiis, avunculum Romam usque prosecutus, ab eodem ibi consecratus et cum pallii dignitate in cardinalium ordinem allectus ad Metensem ecclesiam venit. Extat apud Onufrium Panuinum inter Calisti cardinales Stephani nomen F. T. S. Mariae in Cosmedin, sed ejus longe praeclarior memoria in epistolis B. Bernardi, cujus si precibus uti et Claraevallensium caeterorum cum impense commendasset, gratulatus est ei S. Bernardus pacem et concordiam, ipsius opera in ecclesiam reductam, quae ut foret diuturna magis in Dei munera, quam in diligentiae fructu,

Digitized by Google

pacem illam optat a Stephano numerari. Porro biennio et amplius caruit urbis ingressu, eo quod minus illi cum imperatore parum quiete conveniret. Quo tempore et nobilitatis insolentiam, et tyrannidem praedonum fraternis armis compescuit, et complures episcopatui arces et cohortes mira celeritate recuperavit, in Monte S. Quintini, id loco nomen, plerumque domicilium fixit, ubi et rei divinae operam ipse dabat, et munia pontificia gnaviter obibat. Magna illi postero tempore cum Hugone Humburgi comite et ejus haeredibus ob caducum feudum certaminum seges oblata, neque illi otium ab armis a Mattheo, cujus infestam belli vim expertus est, Lotharingiae duce extitit, multa probe munita loca solo aequavit, multa ecclesiae adjecit, Rambertivillare castrum communiit, Luzeburgium B. Stephano donavit, Spinalium cum Matthaeo duci jam reconciliatus, inimicis extorsisset, ob fideliter navatam operam ejus loci advocationem duci attribuit, aliasque vicissim mancipi possessiones allodii titulo pro sua ecclesia perpetuas inde retulit. Longaevus denique ac fortunatus cum quadraginta tribus annis (verba sunt antiqui scriptoris) sedisset, annis et meritis plenus, et in schismate jam tum rursus incohato catholicus, migravit ad Dominum III. calend. januarii, sepultus in aede B. Stephani, dextra qua patet in odeum aditus.

Anno 1123 ex Metensi clero Adelbero primicerius et Godefridi ducis germanus, ad Leodiensem episcopatum merito virtutis accersitus est, qui civibus Leodiensibus jus manus mortuae, quo praecipua defunctorum suppellex cedebat episcopo, liberali donatione remisit, patriam expurgavit latrociniis, et munere praeclare administrato anno 1128 diem suum functus scribitur.

Item Stephano sedente, cistercienses D. Bernardi ductu tum mira sanctitate florenti Morimundo egressi, nobilis quondam abbatiae Villerii in Bethnacho fundamenta jacere, novem circiter passuum millibus ab urbe Mediomatricum, regione loci nemorosa et religioni opportuna. Anno itaque 1134 ei congregationi abbatem primum consecravit Terruvius S. R. E. cardinalis, Henricum praenobili genere Carinthiorum comitum, qui 12 post annis Trecensium factus episcopus, idem e Villerio

Digitized by Google

inde coloniam monachorum propagavit, Bernardi comitis propinqui et Cunegundis ejus uxoris invitatu. Jam monasterium S. Victoris, Viktring, in Carinthia exorsus est, anno 1142 indictione V. feria II. paschalis, quae quidem tam accurate annotata a majoribus in egregio manuscripto ibi quondam excerpsi, cum post varias bellorum injurias vix quidquam ex veteri bibliotheca et celeberrimi loci monumentis superesset. Ibidem et Uteris Vallis in Spirensi ditione et Wernesvillerii in Bipontina ad Blesam amnem proditae origines. Illa congregatio Gunthero Spirae sedente anno 1148 auspiciis Sigeboldi abbatis, Stephani Merlenhemii et Gepae conjugis munificentia praesertim hinc deducta; haec vero primo ex Hornebachensi benedictino coetu, cujus author S. Pirminius enascens Werneri Saraewerdae comitis instituto, ubi fluere disciplinae rigor coepit, cisterciensibus cessit, quos anno 1170 Ludovicus Werneri comitis haeres isthuc adduxit, atque a conditore et loco, unde monachi venerant, Wernesvillerium appellari placuit. In eundem ordinem Stephanus episcopus propensa quoque voluntate fuit, cum et in Trevirorum confinibus Freisdorffianae abbatiae apud Metas sitae, et a Walacurtia gente fundatae, primordiis anno Domini 1130 favit, et in urbe parthenona dominarum, quas vocant de Claravalle rarae documentum pietatis post se reliquit. Eodem etiam tempore Stephani nutu et auspiciis ecclesia, quae olim Deiparae matris, nunc S. Theobaldi dicitur, canonicos accepit. Neque oblivionem meretur Adelbero, ejus nominis secundus, qui Namurcensium comitum prosapia et avunculus Godefridi ducis Lovaniensis, anno 1136 ex primicerio Metensi factus Leodiensium episcopus, et usum gestandi rationalis ab Innocentio pontifice obtinuit, et mirifico obsidionis genere S. Lamberti opibus in castra exportatis, Reginaldo Barrensi comiti castrum Bullonium, veterem ecclesiae suae possessionem et aere Otberti episcopi olim partam, eripuit et de hoste cum S. Lamberto XI. calend. octob. anno 1141 gloriose triumphavit.

53. Theodoricus III. (1164), Reginaldi Barri comitis filius, Stephani nepos, facultatibus ecclesiae suae patrui exemplo cumulatis, haud mediocrem laudem meritus, populationum in-

Digitized by Google

juriae ditionem objectam, amotis praedonibus et coercitis, tranquillavit. Octaviani partibus in schismate contra Alexandrum III. etiam in urbe Metensi per nuncium et cardinales ad iniqua sacramenta et obsequia clerum compellentibus, fortiter restitit. Decessit III. idus augusti diaconus, ob schismatis tumultum sacerdotii honore dilato, tumulum adeptus haud procul a Stephano patruo. Sequitur inde

54. Fridericus de Plujiosa (1172), vir nobilis et gravi senectu, aegroque corpore, cujus tamen neque senectus mores mutavit, neque aegritudo autoritatem afflixit, quare biennio, quo sacerdotio praefuit, non vires in eo, non industriam, non munificentiam, non in rebus gerendis, augendisque prudentiam ac maturitatem ecclesia desideravit, electus tantum et levita migrasse dicitur ob schisma tum incumbens, sepultusque in oratorio S. Galli, ut prius expetierat. Successit ei

55. Theodoricus IV. (1174), Matthaei Lotharingiae ducis filius, quo ineunte mox pater advocationem Spinalensem B. Stephano detulit et castrum Sirckium, quod allodii jure obtinuerat, publica et solenni donatione apud altare S. Stephani tradidit. Ipse vero Theodoricus cum Salmensem comitem captivum fecisset, pacatiorem quidem ecclesiam habuit, at minus interim felix, ob Alexandri pontificis iras, quem vitio in comitiis haerente offenderat, ejus, ut scriptor ait domesticus, *validam, electione quassata, manum expertus.* Theodorici successor

56. Bertramus sive Bertoldus (1181), nobili genere Saxo, divini humanique juris egregie callens, parum, ut videtur, secundo Alexandri favore ab Henrico imp. Metensem ecclesiam consecutus, jam antea Bremensem episcopatum inire vetitus, quia ordine graduque legitimo in clero careret, nocuisse illi perhibent nimiam Friderici caesaris gratiam. In amicitiam tamen et pacem redactus cum apostolica sede, Metensi ecclesiae multis amissis olim recuperandis possessionibus consuluit. Ceterum rebus domi quidem ad optimum statum revocatis cum pacis et religionis artibus inseruit, gravis eum tempestas arripit, quod Folmarum Trevirensem in magno comitiorum dissidio ab Urbano III. probatum contra Friderici imp. volun-

tatem hortante pontifice admisit coluitque. Quare et bonis ecclesiae in publicum addictis, ad Coloniensium fidem et Philippi praesertim archiepiscopi gratiam confugere necesse habuit. Nam collegii B. Gereonis quondam canonicus extiterat. Biennio quo abfuit ab archiepiscopo et clero Agrippinensi universo, tam prolixe omni istic liberalitatis, beneficentiae, amoris, et officii genere acceptum cultumque memorant, ut humanitatis et solatii magnitudo pristinae molestiae memoriam, adeoque Metensis ecclesiae ferme desiderium obrueret, cum pro exilio patriam ibi invenisset. Quae ita scriptor coaevus de Bertramno literis mandavit, optavitque non deesse, qui caetera ejus acta pertexerent, quod ejus votum irritum fuisse videtur. Clausula enim vitae praeterita, mox ad successorem transitur. Sed opportune tamen Bertrami memoriam literae Arnoldi Lubecensis abbatis illustrant, qui in suo chronico tragediam hanc, qua bonus praesul jactatus, aperto ac simplici narrationis genere fideliter exponit: »Nam ubi Bertoldum, sic enim appellat, »amissa caesaris gratia cum Urbano pontifice et aliis episcopis »Friderici partes oppugnantem inducit, cum, ait, majorem in »modum offendisse caesaris animum, quod recordatus non »fuisset, quae sibi fecisset bona, quippe dum idem Bertholdus »ad sedem Bremensem electus, ab Alexandro papa fuisset »depositus, venit ad dominum imperatorem pauper et exul. »Quem imperator miseratus, benigne suscepit, ita ut venienti »de sede sua occursans, per manum deduceret, et in latere »suo collocaret, sicque honeste largeque habitum a conspectu »fecit nunquam discedere, donec opportuno tempore, certa et »honesta eum sede locaret. Quod et factum est, nam dum »postea vacaret sedes Metensis, cum summo honore ipsum in »ea sublimavit. Cum igitur videret eum imperator tantorum »beneficiorum ingratum, et subito in adversam partem muta»tum, per suos eum de sede sua disturbat, qui fugiens ad »Philippum Coloniensem se contulit, qui ei praebendam Colo»niae ad Ss. Apostolos deputavit. Sicque sedes illa, nec ipso »nec alio praesidente diebus, multis vacavit.« Ita Arnoldus, sed submissus tandem Bertramo

Digitized by Google

57. Conradus (1212), clara ducum ortus prosapia Teutonici generis, inter imperii proceres corporis elegantia ac venustate non magis quam morum praestantia, ac virtutis laude spectatus. Is tum Spirensis ecclesiae episcopus, cancellarii munere imperii negotia insigni cum authoritate et fama sapientiae moderabatur, scribitur in Nemetum episcoporum catalogo genus traxisse ex comitibus a Scharffeneck. Sane magistratum utrobique crebro licet absens reipublicae causa authoritatis et gratiae praesidiis satis communitum habuit; dilexitque decorem domus Domini, et locum habitationis ejus (libenter hic sequor antiqui scriptoris vestigia) et Metensem ecclesiam exquisitis ornamentis affecit, sed potentium hominum impetus et arma quoque huic sedi infesta, tum maturitate consilii, tum ubi aliter non licuit, etiam opposita vi discussit, denique oppidulum, cui a Vico nomen, crebris superiorum praesulum et fundis et domiciliis excultum, cum parum probe munitum pateret injuriis, nobili castro firmavit, spectabili murorum et turrium altitudine. Aetate post haec et annis ingravescens, cum Spirae sibi Beringerum adjutorem sumpsisset, pridie idus decembris vita eum liquit, summa aede Nemetum in regali choro sub marmore albo conditus. Inde

58. Joannes I. (1224) ab Asperomonte magna cleri voluntate Virduno evocatur ad Metense sacerdotium capessendum. Is illustri genere et comitum origine vitaque laudabiliter traducta clarior, admirabiles sui amores ab usque teneris excitarat. Unde quae prima aetas gerendo magistratui visa opportuna, summis cleri Virdunensis populique votis episcopus ibi creatus est. Inde longius se diffundente virtutis odore, Metenses pari studio votorum absentem prosecuti, in ecclesiae suae fastigio collocarunt. Hic vero magna eum mox curarum et certaminum moles excepit, clientelam haeredibus licet extinctis, varie distrahentibus, hinc vicino Luzelburgensi comite, inde ex interiori Germania Limburgio duce; sed pervicit tandem cum bellica virtute, dum animi constantia non solum ut arces Sareburgiam, Albam et Drawsteinianam Heresteiniam, caduca feuda ecclesiae suae adjiceret, sed et comitatum

Digitized by Google

Metensem, cujus huic Joanni merito titulum primum tribuas, avito jure vindicaret. Lis etiam illi cum civitate fuit pro cleri immunitate, quam censuris et belli metu, restitutis exulibus tandem sedavit. Praedicant eum antiquae literae virum ineffabilem, qui lorica justitiae indutus, clypeo continentiae munitus, galea patientiae protectus, et panoplia quadam virtutum circumdatus, oris venustate oblectaret intuentes, et orationis comptae mellita facundia audientes etiam retineret, et inerat ei insignis cum patientiae temperantiaeque laude conjuncta modestia:

Hujus enim fuerat, quod habent haec tempora raro,
Mitis vita, manus munda, pudica caro.

Qui versiculi veteris scriptoris sunt. Joanne sedente oppidum S. Trudonis, quod Metensi ecclesiae S. Trudo olim donarat in Leodiensi dioecesi, permutatione in jus ecclesiae Leodiensis translatum est una cum Walciodorensi, Hasteiniana et Trudinensi abbatiis, traditaeque vicissim Mediomatricum ecclesiae in Metensi fundo Berthonica, et Maidieria curtes cum auctuario bis mille librarum. Extant hac de re Jacobi primicerii et capituli, tum Joannis episcopi literae assensus, anno 1227 Meti datae. Sepulchrum mortuus accepit in choro majoris ecclesiae Metensis. Lectus hinc antistes

59. Jacobus a Lotharingia (1239), Friderici ducis filius, Matthaei frater. Ex primicerio Metensi et Trevirensi archidiacono, prudentiae, sedulitatis, pacis, et concordiae, omniumque laude virtutum memorabilis.

Jacobo sedente anno 1239 in basilica S. Arnulphi chorum instaurante Theobaldo abbate, multorum heroum tumuli, quorum favillae regifico contectae ornatu, apertique erutique, cumque confusis vetustate literis tituli non legerentur, uno communi conditorio omnium ossa tegi placuit. *Fidite nunc regnis tot reges ac reginae, cespite suo pulsae, propriis caruere sepulchris.*

Item anno 1258 calend. junii canonici majoris ecclesiae Metensis, ut observavit Tritthemius, omnia bona sua quae

habuerant in Odernheim, ubi S. Rufus Metensis episcopus quiescit, canonicis majoris ecclesiae Moguntinae vendiderunt, mille quadraginta libris Metensis monetae.

60. Philippus de Floringes (1262), clarus quidem majoribus ex Luzelburgiorum provincia, morum comitate et animi mansuetudine, sed valde illiteratus, atque ob id a Clemente IV. qui eveheretur, indignus habitus, profuit ei Henrici metropolitani gratia, et quia hic sterilescunt veterum monumenta, nec longius equidem facere possum, ad ejus itaque transeo successorem, qui

61. Guilhelmus Troignelles (1265), generis Italici ex pontificia curia ad cathedram hanc eventus, quem excepit

62. Laurentius (1271) protonotarius apostolicus et Trevericae quondam sedis in dissidio administrator, qui doctrina praestanti plurimum in concionibus eloquentia sua potuit, et Roma diem suum supremum obiit. Ipsius literas legimus, quibus anno 1277 parochiam Beringae Wadgassensi monasterio concessit, cui jus patronatus illius ecclesiae Joannes Novi-Castri dominus liberaliter donarat. Pro eo assumptus

63. Joannes II. (1281) Dampieri Flandriae comitis foecunditate sobolis nobilissimi filius. Is Parisiis nuper juri canonico dans operam, licentiati, quae vocant, insignia retulerat, formaque corporis et morum suavitate multis se probaverat. Sed biennium vix Meti exigens, ad Leodiensem inde sedem transiit. Narrat in tabulis Leodiensium episcoporum Placentius, Joanni cum Burchardo Leodii jamtum episcopo designato certamen honoris fuisse et Mediomatricum episcopatu in Martini pontificis potestatem permisso, superasse gratia Burchardum, felicem tamen vel ea forte fuisse, quod

64. Burchardus (1283) pro eo Metis deinceps sedere coepit. Erat is comitis Hanoniae frater, doctrinae et prudentiae non mediocri fama, pontificis jussu et authoritate ad hanc ecclesiam missus; injurias ipse bellorum non sine suo suorumque detrimento varias quidem pertulit, at laeto plerumque rerum suarum exitu; memorabilem ejus publicae literae celebrant expeditionem, qua Rheni plerisque omnibus principibus

Digitized by Google

ad bellum conductis, indies septingentas libras Metensis monetae stipendii loco numeravit; plaustra vini praebuit in commeatum quinquagena: denique comitem Barrensem victum et supplicare misericordiam abs se implorare coegit. Obiit, si publicis sua monumentis fides, pridie calend. decembris anno 1292, sepultus in aede primaria ad vestibulum chori. Post eum excusso dissidio, redditis clero suffragiis,

65. Gerardus de Relanges (1297) electus, qui salinis Mereatensibus et Rambertivillanis ad jus ecclesiae suae revocatis, haud ei mediocre vectigal peperisse dicitur. Quinquennii gesto sacerdotio defunctus, in aedis summae oratorio S. Nicolai sepelitur juxta Philippus de Floringes. Inde

66. Reginaldus a Barro (1302) ex primicerio creatur episcopus magno omnium consensu. Fertur is non absque potentiae et authoritatis opinione summaque cum dignitate rexisse ecclesiam, nam ob clerici divitis ruptum a civitate testamentum, controversia exorta, cum excedens urbe jurasset eam non repetiturum, nisi copiis quam maximis introductis. Pace licet interea loci composita, quo religione animum exsolveret, die Palmarum, qua ex cathedrali ad S. Arnulphi templum cum palmis procedi solet, dicitur Reginaldus in urbem ingressus, sexaginta millium agmine stipatus. Ferunt administrasse quoque Barri ducatum, sed in B. Vincentii monasterio tandem periisse veneno, et sepulturam accepisse in S. Stephani basilica leva adeuntibus odeum.

Reginaldi comperta morte, dum eunt in suffragia canonici, schismate inter eos oborto, duo archidiaconi pariter electi sunt, Petrus de Marsallo, et Philippus de Saraburgo: superabat votis majorem partem Petrus et Philippus, nec certamen perniciosius extraheret, prior quoque volens abdicavit. Faciebat tamen pro Philippo dux Barri, pro Petro dux Lotharingiae, valida utrimque patrocinia, cumque Petrus causa sua et pontificis gratia fretus ad abdicandum denique animum inducit, pontifex utroque destituto, orbam pastore ecclesiam suscepit, quare post triennii vacationem

Digitized by Google

67. Henricus Delphinus (1319) a Joanne XXII. submissus est, qui sine exemplo exceptionem habuisse dicitur ut ordinum sacrorum immunis, dignitatem eam capesceret. Sub eo clerus a populo divexatus ob jus suum imminutum nec pauci clerici juris sui tenaces, civitate pulsi, ceterum Delphinus brevi reversus ad suos bello gravi cum Sabaudiae comitibus suscepto, militis, quam episcopi personam ambiisse visus: unde et eodem prolato jam in longius bello, accepta ingenti clade, tandem interiit. Suffectus ei

68. Ludovicus a Pictavia, Poitiers, (1325) huc ex Lingonum ecclesia, quam regebat translatus, non poenitenda mutatione, sicquidem paucis quibus praefuit annis, tria oppidula, Homburgum, Vicum, Rambertivillam a Reginaldo pignoris vice alienata, redemit, majora praestiturus, si vita longior contigisset. Successit

69. Ademarius (1328) Montilius, nepos ex sorore, praestanti nobilitate, et Remis archidiaconus, ingenio ad res gerendas promptissimo, ut in amicos comis et civilis, sic in hostes trux et formidabilis. Diem clausisse scribunt anno VIII. Innocentii VI. XVIII. die maji.

Adstitit inter imperii proceres Carolo IV. imperatori, quando is Metis anno 1356 celeberrimum principum conventum egit. Inde

70. Joannes III. (1361) sedere coepit, qui antea Bizontinus archiepiscopus, a Vienna cognomen tulit: magna sapientiae fama praesul, et abstinentissimus. Cumque antea res familiaris illi non modica superesset, episcopatum nulla re oneravit, sed et incertum, quibus de causis hinc ad Basileensem transiens, in ea vitam finiit. Constat in difficilia tempora incidisse, et magna tum grassatorum licentia dioecesin, civitatem casiliis et libertatis amissione multato clero, infensam habuisse nec inexpedito jurisdictionem fuisse, unde cum otio dignitatem, qua apud Burgundiae ducem praestiterat, quam honorem hic cum onere retinere maluit. Post eum

71. Theodoricus Bayer a Boppardia (1365), praenobili genere in Treviris, Caroli IV. precibus ex Wormatiensi epis-

Digitized by Google

copo fit Metensis, de quo narrant annales, cum insigni decreta supplicatione ex B. Arnulphi basilica in aedem maximam B. Stephani pompa traduxisse protomartyris venerandum caput, quod ipse a Carolo imperatore, Carolus porro ab Urbano V. donum acceperat, suisque manibus positum in ara, multo auro argentoque et pretiosis gemmis insigne, publico decore atque templi ornamento consecrasse, ipsa Palmarum dominicae anno Christi 1376. Grave illi cum civitate dissidium, violata cleri libertate, fuit, feruntque trimestre et biennium interdictum tenuisse, quo populum illigarat, quod tandem restitutis clericis exulibus, et centum francorum millibus annumeratis, laxasse scribitur.

72. B. Petrus cardinalis (1384), Luzelburgiorum comitum stirpis S. Pauli prosapia, a partibus Clementis, quem Gallia colebat, surrogatus est, adolescens mira vitae morumque innocentia et sanctitate toto regno Galliae conspicuus. Decessit Avenione secunda die julii apud coelestinos, sacello proprio tumulatus juxta pontem S. Joannis, quem magnam partem ipse construxerat, et quia sepulturae dies quintus erat julii, hunc populus Avenionensis anniversarium, et festum ob ipsius memoriam celebrare consuevit. Fratris sui opera et armis jus ecclesiasticum asserere conatus est adversum magistratus eos, qui nomine caesaris et civitatis cleri libertatem oppugnabant, sed absentia vitaeque brevitas, et validae civitatis opes abrupere coepta. Hinc

73. Radulphus de Coussiaco, Coucy, (1387) nobili genere ex Picardia, collegii summi votis ac suffragiis cooptatur, quo defuncto

74. Conradus Bayer a Boppardia (1416) episcopatum iniit, gessitque summa cum laude annis prope quadraginta tribus, sed praelio Bullenevillano infelix, quo pro Renato Lotharingiae et Barri duce contra Antonium Vademontium dimicans, occisis et ferro deletis quam plurimis, ipse Theodoricus frater et dux Renatus cum multis aliis in hostis potestatem venere. Eo sedente Guilhelmus Hugonis de Stagno, vir humani divinique juris peritissimus, patria Virdunensis, ex archidiacono Metensi a Felice pontifice creatus est primum

Digitized by Google

cardinalis, inde a Nicolao V. rursum assumptus, reddita ecclesiae pace, quam schisma turbaverat, et titulo S. Sabinae donatus anno 1449. Mortuus idem est Romae 1455 pontificatus Calisti III. anno I. die V. calend. novemb., et in ecclesia tituli sui sepultus. Porro Conradus cum honore, quamvis diuturno tandem perfunctus, morte finem invenisset, ejus seculi anno LIX. mensis aprilis die XXI. singulari funeris pompa in aede primaria sepulchro illatus est. Hinc canonici comitiis novo surrogando praesuli indictis elegere e suo corpore Ulricum de Albomonte, Blamont, comitem, et juris canonici doctorem XXIII. maji. Verum Pio II. pontifice comitia illa non probante,

75. Georgius a Baden (1461), illustri Badensium marchionum familia, et Joannis Trevirensis archiepiscopi frater, nixus pontificia praerogativa, supervenit anno sequenti XXVII. die julii. Ejus adventus clero non exiguas turbas dedit. Nam spretis summi pontificis ininis, ordo ecclesiasticus urbem, atque omnia sacra destituere maluit, quam voluntate in Georgio probando conspirare. Quare et anno seculi ejus LXII. decanus et major pars collegii excessit urbe, variisque gliscentibus, ob illorum absentiam in populo dissidiis, anno denique 1466 absoluti poenis et censuris, pars eorum, qui secesserant, cum episcopo redierunt in gratiam. Ceterum Georgio defuncto, et ante aram B. Virginis in aede summa tumulato, successit

76. Henricus a Lotharingia (1484), Henrico Vaudimontano prognatus, qui idem et Morinorum episcopus et Januillae, Joinville, dominus, ubi ferme vitam egisse, omissa dioecesi, perhibent, eo tamen abdicante nihilo meliore successu offertur anno Christi 1502, quadrimulus aetate,

77. Joannes a Lotharingia (1505 alii 1502), quem Leo X. ob familiae splendorem et authoritatem sedi conciliandam, anno 1518 cardinalium collegio adscripsit titulo S. Onuphrii. Inde vero Morinorum, Virdunensium, Remorum, Narbonae et Albiae sedium archiepiscopus, Cluniacensis et Gorziensis abbas, affuit inter electores Hadriani VI., Clementis VII., Pauli III., et Julii III. Hic demum abdicavit. De illo Onuphrius Panvinus, anno dominicae Incarnationis 1550, Julii papae anno I. VI. idus

Digitized by Google

maji, obiit Joannes Lotharingus Gallus, electus Metensis, diaconus cardinalis tit. S. Onuphrii, commendis ditissimus, decessit Noviani ad Ligerim apoplexia, Francisco regi carus, an voluptatum ministerio, et stolida liberalitate, quod in summi nominis sacerdotem scribitur, dispiciet, qui mortui causam acturus est. Sane Metensium tabulis septem proditur habuisse episcopatus, annui ex sacerdotiis proventus, quod non tanti, centum millia aureorum. Pro illo summi pontificis permissu

78. Nicolaus a Lotharingia (1530), Antonii filius, quinque circiter natus annos, episcopi titulum ferre coepit, qui et a primario clero X. calend. maji probatus, possessionem pro eo capescente Hectore de Ayllio Tulensi episcopo. At Nicolao quoque ob Caroli ducis tutelam impuberis abdicante, successit

79. Carolus cardinalis a Lotharingia (1548), Claudii ducis Guisae filius, Francisci invicti frater, qui praeter heroicas virtutes et eximias animi corporisque dotes, quas ad afflictae Galliae publicam salutem et tranquillitatem contulit, erga homines eruditos munificam planeque regiam voluntatem declaravit. Unde ad caeteras laudes et hanc adeptus est, ut multorum ingenio, doctrinaeque praestantium literis ac monumentis evaserit celeberrimus, sed quia solidae veraeque gloriae fundamenta non hominum sermonibus modo nituntur, sed virtutibus et factis ipsis hominum laudatorum; dedit profecto operam Carolus, ne laudaretur immerito. Galliam immani calviniani furoris, et dynastarum rebellium factione, ac tumultu perculsam, gravissimo reipub. christianae tempore et regum aetate vix sceptris matura, saepe prudentia, consilio et autoritate sua sustentavit et labentem erexit, legationes ad reges regumque imperatorem iciendis inter ipsos foederibus suscepit; ad ordinandam ecclesiam lumine ingenii synodos in Gallia privatim, Tridentini quoque generalem frequentavit, nefarios haereticorum impetus non semel repressit, insidias et vim ab aliis multoties expertus, victor hostium suorum, eorum consilia regno perniciosa discussit: conventu Possiaci in magno regis reginae ac procerum consessu os Theodori Bezae cohibuit, Petri martyris, et ceterorum ejusdem sectae symmistarum

Digitized by Google

arrogantiam fregit, Remis gymnasium artium literarumque permisso regio pontificioque anno 1549 constituit, Franciscum Galliarum, ut Remorum archiepiscopus, regem inunxit; collegium societatis Jesu, publico juventutis Lotharingicae et gentis suae bono, Mussiponti constituit, justitiam coluit, pietatem et doctrinam amavit, egit denique vitam, qua viam sibi in coelum fecit. Avenione moriens anno Christi 1574, die 26. decembris, Remis honorifico funere elatus. Elogium vox illi publica tribuit, cui incassum doleas jam tandem obtrectari: eloquentiae fulgur, prudentiae Gallicanae decus, ecclesiae columen, pietatis orthodoxae specimen, pro simbolo hederam sibi legerat, alta pyramidi haerentem cum emblematis argumento TE STANTE VIREBO. Hujus symboli ad S. Nicolai religione celeberrima in Lotharingia templum vestigia cernuntur, fronte turrium alterutrius, quibus ornatur, sic quidem haec etiam ecclesia Carolo, prioratus, ut ajunt, titulo subjacebat. Metensem ecclesiam annum vix amplius tenuerat, cum ejus loco subiit ex Catalaunensi factus Metensis episcopus aõ 1551

80. Robertus Lenoncurtius de Chalons (episcopus), nobilis homo Campanus, quem ob ingenii et morum praestantiam Paulus III. anno Christi 1539 inter presbyteros cardinales allegarat, titulo dato S. Apollinaris. Hic Henrici regis Galliarum gratia, amicitiaque florens, imprimis orbem Metensis reipub. notabili vicissitudine convertit, regi Galliarum eam in urbem permisso, sibi frustra expetito imperio, quae sub episcopis Germanici juris, imperiique Romani titulo, tot annis floruerat. Interea, cum anno secundo Roberti bellum exitiale Carolum caesarem inter et Henricum regem jam recruduisset, urbs Metensis fine anni, gravi sed infelici a Carolo obsidione pressa, non pauca detrimenta sustinuit, religione inter haec etiam imminuta et afflicta, pristini decoris et avitae pietatis monumenta tunc complura abolita. S. Arnulphi, Clementis, Martini templa cum monasteriis funditus eversa, ecclesiae quadraginta et amplius vastatae, dominicani ante obsidionem exclusi, domicilium cessere B. Arnulphi coenobitis. S. Martini ultra Mosellam res cum familia Nancium translatae, reliqui

in urbe quaesivere sedes. Robertus denique anno 1553 Metim ingressus, ex Galliarum consuetudine novum in urbe senatum creavit, aliam reip. formam regis authoritate instituit. Accessit his demum arcis et urbis praesidium, ut in confini regione ferme perpetuum, et quod haec omnia longe superat, pullulare tum jam hic coepere Lutheri et Calvini zizania, quae posteris his annis haud sterili proventu, etsi succisa saepius, erupere. Pro Roberto, qui Remensem item ecclesiam adeptus, iniit tandem

81. Franciscus Belcarius (1556), Peguillo illustri familia et excellenti vir ingenio, cui Carolus Lotharingiae cardinalis Remorum archiepiscopus, ad quem episcopatus redierat, cessit quidem hac sede, at excipiens ut vocant, regressus titulo, sic ut duodecim millia librarum Turonici valoris ad Peguillionem modo redirent. Francisci, qua erat virtutis, eloquentiae, doctrinarum copia, prima et antiquissima cura fuit, ut avitae pietatis et religionis catholicae jam multorum in animis haud parum vacillantis, impigre causam susciperet, concionibus suis ad populum nefarias et pestilentes opiniones ex hominum animis eriperet, lupis denique jam aperta vi in gregem invadentibus, fidelis pastor fortiter resisteret. Quibus in studiis dum pervigil, constantem et egregiam ecclesiae suae navat operam, animadvertit denique ex quo tempore calviniani in hanc civitatem intromissi fuerant, magnam de infantium uteris sanctificatione controversiam excitatam, crebrisque calvinianorum concionibus, ac libris etiam editis dioecesin suam infectam, eoque rem deductam, ut baptismus haereditariae nescio cujus sanctificationis praetextu, aut negligeretur, aut dubio admodum eventu differretur, atque interim ita liberi baptismo nondum initiati, plerumque decederent. Quod cum pro eo, ac debuit, graviter molesteque ferret, IV. non. febr. anno 1565 in concionem ascendens, luculento ac diserto sermone errorem eum tam pestilentem revellit et exposuit; ac quo insideret altius admonitio, doctissimam ejus concionis paraphrasin subtilo argumento, ac oratione plane diserta rogatus ab amicis, lucis jurisque publici fecit, et Carolo cardinali, anno sequenti

Digitized by Google

dedicavit. Mirum quam ea res Metenses ministros pupugit, qui tam brevi tam valido scripto, non unum de baptismo, sed eadem opera Calvini magistri sui multiplices errores cernerent, non minus acute, quam fortiter prosterni. Quare cum domi non tantum ingenii doctrinaeque suppeteret, frivolam ac dilutam Geneva apologiam a Beza rogant, cui eodem anno a viro quopiam erudito antapologia plane Peguillione digna opposita est. Interfuit ipse Tridentino concilio, et in eo pie graviter ac docte, non sine multorum approbatione sententiam dixit. Vitae ejus tanta integritas fuit, ut inimici solum illi facundiam, et fructuum annuorum portionem objicerent, quam ille tamen licet exiguam recepto et diu in ecclesia tolerato more acceperat. Invalescebant post haec res calvinianae, et altera jamtum emergente anno 1567 civilis belli tempestate. Ausancio Condaeo Metis a fidei priscae rebellibus obsessa, captaque non sine clade, una tamen defensa feliciter et conservata arce. Quam ob rem Peguilio cum tuto apud Metenses consistere non posset, multaque intervenirent, quae ejus alacritatem et animi magnitudinem retardarent, tandem se abdicavit, eique successit

82. Ludovicus cardinalis a Lotharingia (1568), Caroli frater, quo sedente anno 1569 cum Carolus Galliarum rex, et mater regina proceresque quam plurimi Metis degentes, nuncium accepissent laetissimum, quo Ludovicum Condaeum, atque plures dynastas praelio Jarnacensi cecidisse narrabant, Carolus rex ad ceteram pietatem, palam illic gratias immortali Deo pro tanta victoria solvit, et calvinianorum conventus in urbe dissipavit, edictoque publico quidquam ab iis geri fierique pro consuetudine sectae vetuit. Ludovico posthaec Parisiis obeunte diem suum, ei successit

83. Carolus a Lotharingia (1578), Caroli ducis optimi et Claudiae Valesiae regis Henrici filiae soboles: qui princeps laeto atque ecclesiae catholicae salutari conjugio ad Lotharingicae gentis splendorem et vicinae Alsatiae seu Argentoratensis ecclesiae salutem natus. Hic adolescens omnibus rerum maximarum et principi ad bene beateque vivendum necessariis

artibus egregie excultus, postquam ex gymnasii umbraculis egressus, Treviris et Moguntiae nobilium canonicorum collegiis nomen dedit, lumen ostendit animi et frugem eximiam cum aliunde, tum ex disciplina virtutis ac pietatis maxime collectam. Hinc dum altius eum sua quotidie provehit virtus, anno 1589 in purpuratorum coetum aggregatus, legati apostolici et S. Agathae titulum ferre coepit. Inde cum anno 1592 Joannes Manderscheidtii praecellentis antistitis morte repenta, extremum Argentinensis ecclesiae religionis et fortunarum periculum adiit, ipse justioribus suffragiis episcopus pariterque assertor bonae causae lectus est. Quippe cum pars altera Joannem Georgium, Joachimi marchionis Brandenburgici filium, tutorem accersisset, pars integrior et catholici nominis, duce et moderatore Francisco decano barone a Krichingen, immortali laude viro, comitiis in diem V. iduum junii indictis Tabernis Alsatiae bono laudatoque parentum more Carolum cardinalem huic opposuit. Quae sapientia judicii et suffragandi maturitas, a coelesti utique numine administrata, quam isti dioecesi fuerit opportuna, rei exitus edocuit. Nam postquam factio militari furore inflammata, in circumjacentem se populum infudit, quis non actum de avita majorum hereditate, de vinea Domini Dei Sabaoth putasset, tot feris incursantibus, ni delectus hic fortissimus, et sapientissimus princeps, qui sepem interponeret, et staret oppositus pro terra, ne ferus aper eam tremefaceret, ac dissiparet? Illa igitur praecipua laus hic enituit, quod ubi nullus jam supererat consilio et authoritati locus, Carolus hic felicibus armis nec frustra lacessitis, hostem ferocem fregerit, Argentoratensem urbem humiliorem redegerit, ecclesiam defenderit, pacem reduxerit, religionem, quoad licuit, conservarit. Obiit ingenti moerore ac omnium desiderio, quibus virtus ejus, pietas et animi fortitudo vel praesens inspecta vel absens fundo audita. Morbi immissi vi diuturna, qui maleficus juxta et tabificus habebatur, ad patientiam eruditus, 24. novemb. pridie S. Catharinae anno 1607 Nancei, omnibus divinis praesidiis ac sacramentis rite praemunitus, abiit ad meliora.

Digitized by Google

84. Annas d'Escars, tit. S. Susannae cardinalis, de Giury nuncupatus, jam anno 1596 in purpuratorum a Clemente VIII. ordinem adscitus, in locum Caroli defuncti subiit, cum Henricus Borbonius, quem communi suffragiorum jure consensuque DD. capitulares delegerant, ut potenti niterentur inter hostes amicosque principe, justam nondum ad hoc officium aetatem adferret. Annam igitur lubentes admisere, virum ex comitibus d'Escars nobilitate generis praestantem, autoritate in Gallica Romanaque aula inter primos conspicuum, religione ac virtutibus praecipuis id aetatis proceribus annumerandum. Qui in ordinem divi Benedicti adlectus abbatialique honore insignitus, probatissimis Romae moribus purpuram meritus est, aliisque illustribus illic officiis ornatus, donec anno 1608 pontificatu etiam Metensi cumulatus, ad hujus possessionem in Galliam Metasque transiit, ubi postquam oculis animoque complexus esset dioecesis suae rationes, labentem hinc inde ecclesiasticam disciplinam, instituta ad hoc synodo, anno 1610 fulcire aggressus est, nec solis tantum clericis ac religiosis, sed et suas Judaeis et haereticis leges fixit. Romani porro etiam breviarii usum in Metensem ecclesiam introduxit. Verum brevi annorum curriculo haec optimi praesulis diligentia circumscripta est, bellorum periculis, et mox etiam, post diuturnas morbi calamitates morte coeptum laborem intercipiente. Cujus breve elogium in cathedrali ecclesia monumento inscriptum marmoreo, non gravabo hoc loco apponere.

Piis manibus aeternae memoriae plorabili busto antistitis desideratissimi omni omni aevo retro dolenti.

Annae d'Escars tit. S. Susannae S. R. E. presbyteri cardinalis de Giury nuncupati, qui paterna indole clara familia d'Escars, materna prosapia prima Longoviorum nobilitatis, egregia principum Aurelianensium consanguinitate infelicissimo saeculo feliciter ecclesiae datus, Parisiis editus, Divione in antiquissimo D. Benigni coenobio, S. Benedicti disciplina institutus, professusque, indidem abbas, dum Lexoviorum antistes electus, tota Gallia praeclarus, Romae perquam illustris,

Digitized by Google

Metis amabilis, ubique stupenda lenitate, spectabili senio, rara pietate, innata gravitate, mirabilis ac venerandus, regi percarus, pontifici max. jucundissimus, omnibus aeternum lamentabilis, ecclesiae Metensis pontificatu simul et castissima vita perfunctus, vitam immortali gloria deproperatam oppetiit XIII. cal. majas anno aetatis LXVIII., saeculi vero christiani supra millenum sexcentesimum duodecimo.

85. Henricus Borbonius subinde locum jam ante quadriennium sibi destinatum, tenuit. Erat is Henrici IV. Galliarum regis ex Henrietta de Balsac domina de Verneuil filius naturalis, qui egregie per liberalium artium studia excultus, philosophicarum juxta ac theologicarum subtilitate defensor publicus, in societatis Jesu disciplina, experimentum eruditionis rarae dedit in principe. His auspiciis ecclesiasticae praelusit gubernationi, quam variis subinde locis capessivit, abbas Bomportus, Vallis Sarnensis, Tyronii et S. Germani Parisiensis, ac demum etiam Metensium episcopus. Sub hoc diversa benedictinorum monasteria, quae magno hic quondam numero floruerant, ad pristinae disciplinae vigorem instaurata sunt, diversis etiam locis nova religiosorum hominum asceteria vel restituta, vel etiam instituta, quamvis absens rem potissimum administraret, ac difficultas maxima, quae in patribus societatis Metas recipiendis, hactenus per heterodoxos objecta fuerat, denique per Henricum disjectis obicibus, spretisque adversantium muneribus, evicta est. Quos demum anno 1622 suis evocatos literis, sedem istic figere scholasque ad erudiendam juventutem jussit auspicari, quae latius in Meurissio historiam episcoporum Metensium prosecuto, reperies.

Sub hoc principe diversi, atque in his Furstenbergii etiam comites Germani episcopatus hujus beneficio fruiti sunt, donec Borbonius demum anno 1669 cum ducissa de Sully matrimonio junctus, locum sacerdoti et episcopo sacerdoti fecit, qui beneficio officium adjungeret, ovesque non tueretur solum, sed etiam sibi pasceret commissas, pedo magis quam gladio metuendus.

86. Georgius d'Aubusson de la Feuillade is est archiepiscopus quondam Ebrodunensis, nunc Corinthiorum, vir doctrina

Digitized by Google

ac religionis zelo late celebratus, variisque a Galliarum rege legationibus adhibitus, qui hoc eodem salutis anno 1669 magno honore Metis exceptus, veri pastoris munus illustri hactenus pietatis exemplo, qua visitando, qua praedicando instruendoque ad omnem religionem vulgo exercet, ut prodesse non minus, quam praeesse videatur et probasse hanc superi eventu rarissimo sunt visi, dum enim Saraponti, quod temporali jurisdictione comitibus acatholicis paret, spirituali Metensibus Georgium dioecesin suam visitatione obeuntem, detrectat hoc nomine excipere, ipsum aes campanum aedis parochialis nemine praesente aut admoto, sponte sua moveri compulsarique coepit, accurrentibus stupentibusque incolis qua catholicis qua acatholicis, fuitque haec res non solo ore hominum inde per Galliam Germaniamque celebrata, verum et ipsius antistitis Georgii literis, ad archiepiscopum electorem nostrum, Metensis ecclesiae metropolitanum, datis confirmata, quas manu ipsiusmet subscriptas, signatasque ex manibus eminentissimi principis excepi, evolvique. Georgius episcopus obiit Metis 12. maji 1697.

87. Henri Charles de Cambout-Coislin, nommé par le roi le 25. mai 1697, consacré le 21. décembre de la même année, mis en possession le 19. février 1698, décédé le 28. novembre 1732. Prélat du plus haut mérite, de précieuse et sainte mémoire.

88. Claude de Rouvroy-Saint-Simon, évêque de Noyon 1731, puis le 30. août 1733, de Metz. Il mourut en 1761.

89. Louis-Joseph de Montmorency-Laval, fut évêque d'Orléans, puis de Condom, et enfin de Metz. Il reçut le chapeau de cardinal en 1789, et mourut à Altona en 1808, ayant été force par les révolutionaires de quitter son siége.

Après la révolution le 1er évêque fut Pierre-François Bienaymé, nommé en 1802 et mort le 9. février 1806.

Le 2e fut Gaspard-Jean-André Jauffret, nommé en 1806, sacré le 8. décembre 1806, installé le 29. janvier 1807 et décédé, à Paris, le 13. mai 1823.

Le 3e fut Jacques-François Besson, nommé en 1823, sacré à Lyon le 23. février 1824, et décédé le 23. juillet 1842.

Digitized by Google

Le 4e est Paul-Georges-Marie Du-Pont-Des-Loges, nommé en 1842, sacré le 5. mars 1843 et installé le 17. du même mois.

CAPUT III.

Episcoporum ecclesiae Virdunensis index.

In Virdunensium antistitum gestis rebus explicandis, etsi scriptorum aliorum opera quondam enituit, tamen sive ex antiquis, sive recentioribus diligentia ac fide Richardum Wasseburgium ecclesiae Virdunensis archidiaconum superavit nemo. Posteris tamen locum fecit, ut scriptis adderent, quod rara hac aetate industria praestitisse fertur Matthaeus Husson l'Escossois, regi Galliarum a consiliis et egregia eruditione celebratus, cujus labore utinam in luce publica frui licuisset, ut quaedam non gravate literis exhibuit caeterum P. Browero hac in palestra desudati adminiculo fuit. Carolus Gobinus societ. Jesu sacerdos, rei christianae causa deinde Constantinopolim missus, ubi et anno 1611 mense junio praeclare vitam posuit, qui S. Vitoni, Pauli et Agerici bibliothecae tabellis inspectis, Bertharii quoque opusculum et ceterorum de episcopis ejus loci commentarios excussit, gratoque ac imprimis honesto Virdunensium Sanctorum illustrandae memoriae functus est officio.

Virodunum urbs inter Belgicae primae provinciales locum illustrem sortita, a colle, cui insidet, credo, nomen invenit, ceu clivium hospitalem veteri Gallorum lingua diceres, ex amplitudine sua oppidum post barbaricas clades et temporum injurias tantum amisit, ut ante mille annos orbe modico cecinerit Fortunatus Pictavorum episcopus, sed prolatis inde spatiis, rursum per colles ripasque Mosae fluminis sic accrescere

Digitized by Google

coepit, ut amne interfluente divisa civitas, junctaque ponte geminae velut urbis ornatu sese attollat: ampliore tamen illa, quae mox a crepidine forum, atque inde in collis eminentiore parte praenobilem Deiparae matris cathedralem ecclesiam aperit. Prorsus est ipsa collegio S. Magdalenae canonicorum et monasteriis variis, iisque ditibus, S. Pauli, Venni, Agerici, Vitoni, et Mauri visenda. Episcopus priusquam regia ibi potestas obtineret, fuit rerum dominus, comesque Virodunensis et imperii princeps salutatus, deinceps, qui pontifices, quibus dotibus animi et nobilium factorum exemplis ecclesiam hanc rexerint, insequens pandet synopsis.

1. B. Sanctinus (119) Dionysii Areopagitae Athenarum quondam episcopi discipulus, postquam Carnutes et Meldenses evangelii luce illustrasset, Dionysio jamtum Lutetiae Parisiorum a Fescennino praefecto martyrii gloria affecto, ab Anacleto pontifice Virodunum missus fidei propagandae, traditur, ejusque sedis primus institutus episcopus, temporis, quo primum accessit, haec forte aut similis iniri ratio potest. B. Dionysius Trajani imperatoris extremam aetatem, proditur, assecutus, Ignatio superstes, quod ex ipsius monumentis colligunt, et a B. Clemente missus in Gallias, confirmant etiam Beda ac Adone testibus, sub Adriano tolerasse pro Christo martyrium, quod Hilduinus ac Hincmarus cum Graecis sub Domitiano factum malint. Quamobrem si a Dionysii morte Sanctini hic exordia capienda sunt, recte, quantum ego quidem complector animo, Christi annus 119 ejus magistratui dabit initium aut paulo secus, cum id a veteribus non ita praecise definitum habeamus. Aetatem vero ad annum Christi centesimum vigesimum septimum extendisse, placet Virdunensium recentioribus; sed trahuntur haec divinando varie. Hincmarus, apud Surium, exactis Meldensium perantiquis, B. Sanctinum a superstite Dionysio ordinatum episcopum, narrat primum in Carnutes, hinc in Meldensium urbem evangelicae lucis importandae gratia missum, collega ei adjuncto Antonino juniore. Post haec persecutionis impendente discrimine Dionysii jussu abiisse Romam. Quare et B. Sanctini Romam versus iter fuse pro-

Digitized by Google

sequitur, et Antonini socii ex mortuis a Sanctino revocati celebre memorat facinus, addens ab Anacleto post Dionysii certamen Romae exceptum, atque ex Italiâ cum redivivo collega rediisse ad civitatem Meldensium, ubi sanctae praedicationi ac piis operibus insistentes, Sanctinus plenus fide, virtutibus ac bonis operibus ad coelestia regna transivit, Antoninus autem ei in episcopatu successit. Porro Antonini in vitam suscitati famam posteritas tam accurate conservavit, ut hodieque in agro Bononiensi aram superesse credant cum Antonini patrocinio haud procul Mutina pago, cui pontis Sanctini nomen in hujus facti fidem manserit. B. Sanctinum autem Virodunensibus quoque primum datum apostolum, et Usuardi in martyrologio, et Bertharii ante 700 annos in suo commentario, et omnium denique veterum ejus ecclesiae tabularum tam consentiens vox est, ut diei lucem adimat, qui huic traditioni fidem. Meldis etiam traditur honorem martyrii, carceris squallore pro Christi fide, atque aliis aerumnis fracto corpusculo, consecutus. At inde ad Virdunensem ecclesiam aliquot saeculorum intervallo, translatus. Adscriptus interim Meldensium catalogo, et martyrologiis legitur titulo confessoris, qui certamina non excludit, ad V. idus octobris, qui dies translationis est, cum aliqui ad XXII. septembris Meldenses ejus celebrent natalem. Cubant illius sacra ossa in S. Vidoni coenobio, quo loco Ss. Petri et Pauli apostolorum honori primam erexisse fertur aram; opem ejus praesentem multi in variis morborum aerumnis experti sunt, alii veneratione Sancti attactuque sacri loculi e vestigio sensere spiritus abcedere immundos, et morborum tenaces profligari dolores. B. Sanctino nominatus successor fuit

2. S. Maurus (150). Quem metu persecutionum eremi labores et solitudines secutum, nullo tamen officii vel gregis dispendio, aiunt oratorium B. Joanni Baptistae dicatum excoluisse. Octavo die novembris fastorum praescripto publicam adeptus venerationem, ab ejus nomine S. Mauri virginum abbatia manet, Hyamonis episcopi opus, quod is Henrici II. Germanici imperatoris munificentia absolvit, et S. Benedicti

Digitized by Google

disciplina adstrinxit. Porro Virdunenses decimum novembris D. Mauro consecratum habent, quoniam eo die S. Agerico corporis B. defossi patefacta penetralia. Humatus autem primo fuit in oratorio S. Joannis ab se constructo, quod cum Nortmannorum barbaries posteris saeculis abolesset, Hatto pontifex restaurandi loci cura perfunctus, titulum priscum, novo S. Mauri honore mutavit. Hinc

3. S. Salvinus (157) Mauro datur successor, sex aut quatuor annis medii temporis pro vacua sede numeratis. Ipse annis triginta et uno positis in episcopatu, abiisse fertur e vita, sed saepe vereor in tam vetusta memoria, ne subtilitas haec temporum, et vacationis anni nimis diligenter a posteris observata sint. Tumulum Salvinus cum B. Mauro communem accepit, ea laude gloriaque Sanctitatis, ut parum secundi partus ipsius ope praegnantibus felices evadant, multisque miraculo ejus extitere cineres, quando cum B. Agerico mirabiliter inventi, et sub omnium oculis levati sunt.

4. S. Arator (189) inde subit, quem eloquentiae studiis et utriusque sermonis Graeci juxta atque Latini imbutum elegantia, magnam praedicant ad christianae pietatis laudem junxisse eruditionem. Quin et Apollonio nobili Romano senatori, qui sub Aurelio Commodo praeclaram abs se Christi confessionem editam, capite defecto luit, aiunt in disciplinis dedisse operam, et ab hujus martyrio petiisse Galliam. Cum vero ex Eusebii chronico passum Apollonium colligant anno imperii Commodi octavo, non male Virodunensis archidiaconus Aratoris exordia in centesimum octogesimum nonum Christi contulit, secundum eos, qui Commodo dant ingressum anno centesimo octogesimo primo. Porro clarus miraculis Arator orbam in multos post annos sedem reliquit. Ipsius et Mauri atque Salvini illustris sane translatio, in Lotharii, Ludovici Pii filii, regnum incurrit. Ejus pars magna Hatto Virdunensis episcopus, et memoria quoque translationis pridie nonarum septembris in hac ecclesia conservatur.

Ducenti hinc et amplius succedunt anni episcoporum nulla prorsus memoria insigniti, quos in florenti provincia et magna

Digitized by Google

metropolis religione, prorsus hic defuisse nemo prudens sibi persuaserit, sed potius ut ubivis gentium, et hic intervenisse usitata temporis damna, quae non monumentis duntaxat literarum, sed vastis etiam urbium molibus exitialia fuere.

* Santinus forte II. numeratur inter episcopos, qui in Agrippinensi synodo damnationi Euphratis subscripsere circa annum Domini 318: *Santinus Articlavorum* (forte Augusticlavirorum) *vel Virdunensium.*

5. S. Polychronius (450), Leucorum urbe a Lupi Trecassini florentissimi virtute atque doctrina praesulis schola, qui magnis innocentiae atque Sanctitatis excultus ornamentis, sedem Virodunensem egregie illustravit. Ejus in B. Lupi actis hoc extat elogium: »multos habuit vir beatissimus (Lupus) prae»clara virtute discipulos, insigni miraculorum gloria illustres. »In Polychronio Virdunensis ecclesiae episcopo gratia cura»tionum praefulsit, ita ut religatis post tergum manibus dae»monibus imperaret, priusquam sensum perciperent obsessi, »quam corporum suorum collisionem.« Addunt alii Chalcedonensi frequentissimae ac celeberrimae interfuisse synodo, qua Leone primo sedente ac moderante, Martiano ac Pulcheria augustis faventibus, accuratiore chronologia biennio citius quam vulgo traditur, Polychronius iniisse, anno videlicet Christi 451 coacta, sed temporum hoc leve discrimen est. Hujus actione quinta, cum Ephesini concilii decreta adversus Nestorium pugnarent, qui Jesum purum hominem fuisse, ac Mariam Virginem non Dei, sed **Χριστότοκον,** contendebat; exinde ferunt Polychronium Divae Genetricis imaginem ecclesiae suae cum **Θεοτόκῳ** inscriptione reliquisse. Quo magis admirari soleo Virdunensium posteros in ecclesiae suae ritualibus aliisque publicis picturis, illud retinuisse **Χριστότοκον** Nestorii, quod utriusque licet et hominis et Dei parentis notionem afferat, aliorsum tamen rapuit Nestorius. Ceterum Polychronius multis clarus miraculis, ad XIII. calend. martii solemni afficitur divorum cultu. Sepultus in aede BB. Petri et Pauli.

Surrexisse sub eo volunt Deiparae matris basilicam quae canonicorum aucta et exculta collegio, cathedralis ecclesiae

Digitized by Google

inde dignitatem obtinuit, in qua antiqui operis tabella Θεοτόκυ Virginis sculptura ex spurio alabastrite summa apud incolas in veneratione est. Polychronium secutus

6. S. Possessor (470), laudata in egenos beneficentia; ejus atque successoris pignora sub Hattone item in lucem extracta, temploque Divorum Petri et Pauli apostolorum argenteo loculo recondita. Matrimonii olim legibus adstrictus Possessor, a Polychronio allectus in clerum, hinc virtutis ac doctrinae merito obtinuit cathedram, auctis ecclesiae rebus, et munere praeclare gesto, cum diem obitus monitu coelestium praescivisset, in media concione, quam ex clero convocarat, reddidit spiritum III. non. decemb. Post eum sedit

7. S. Firminus (486), Tullo ex S. Polychronii stirpe nobili oriundus, quem laude vaticinii, aliarumque virtutum splendore clarum et Cyrilli metropolitani suasu ad hanc sedem evectum praedicant, sedisse vero quo tempore Syagrius Romanorum dux a Clodoveo rege victus, ipseque Clodoveus ab Allemannica victoria Belgis insultans Virodunum populationis et armorum terrore quatiebat. Obitus item et memoriae diem illi tribuunt III. nonarum decemb. Translationem ejus miraculorum gloria longe celeberrimam in corpore annalium delibavimus.

8. S. Vitonius (502) praeclaris et in vita Sanctitatis omnigenae floruit exemplis, nec obscuriora post mortem, corpore ab Hattone reperto, caecis lumine, et claudis pedum officio donatis, argumenta virtutis prae se tulit. Eum ajunt a Clodoveo huic ecclesiae commendatum. Religio S. praesulis hodieque vivit incolarum animis, votis, suppliciis. Canonicorum in ecclesia S. Petri et Pauli coetum adunavit, quae nomine ipsius retento, demum Berengario praesule in leges S. Benedicti migravit. Vitonum porro Aurelianensi primae interfuisse synodo, in Galliis tum regnante Clodoveo, quod traditum est a Demochare, nos in medio relinquimus, et vero cum triginta quatuor non amplius episcopi in eo concilio sederint, ejus inter alios non apparet in subscribendo nota, an quia tunc recens inierat? at illa synodus celebrata sacerdotii ipsius anno, sic-

quidem chronologia sibi constat, undecimo. Sancti venerationem ei clerus populusque Virdunensis impertit V. idus novemb.

9. Desideratus (530), praecellenti genere natus in Turingia. Is Theodorici regis Francorum injuriis infracto animo toleratis, post exilia, aerumnas variaque fugis exhausta mala, Virdunensis reipubl. res haud parum tunc etiam afflictas praedicabili benignitate clementiaque suscepit. Quemadmodum enim mersos aere cives numaria re et industria fenebri levarit, atque a Theodoberto Austrasiae rege ad civium usus argenti subsidia confecerit, prolixe narrat Gregorius Turonum episcopus, qui suo etiam tempore ejus industriae incrementa mansisse, et divites ea ex re, magnosque evasisse Virdunenses memorat. Ajunt vero exilii tempore in B. Nicetii Trevirorum episcopi fide ac liberalitate positum habuisse perfugium, at ipsum quoque una cum Nicetio et Grammatio Metensi anno Christi 535 Arvernensem frequentasse synodum, ipsius concilii monumentis liquet. Ejus successor

10. B. Agericus (554) virtutis laude eximia claruit et Sanctitatis, ex Virdunensi cive, Gregorio teste suffectus in locum Desiderati. Childebertum post Austrasiae regem Sigiberti filium, de sacro fonte suscepit; apud quem etiam gratia et authoritate claruit inter primos. Ecclesiam S. Medardo posuit, quae Haimone sedente mutato nomine S. Mauri audiebat. Hic beatorum coelitum et angelorum indicio, multa in luce cantuque coelesti IV. idus novembris trium praesulum sanctorum Mauri, Salvini et Aratoris corpora invenit, quam religionem ingens miraculorum vis, ilicet consecuta. Praecones vitae morumque accepit Gregorium Turonensem, locis aliquam multis, et Venantium Fortunatum Pictavorum episcopos: Venantius duplici poemate ejus doctrinam, juxta morumque integritatem et munificentiam in pauperes, et publica opera templorum egregie collaudat:

Dogmatis arcani reseras penetralia pastor
Nec solum dapibus pascis et ore greges
Templa vetusta nova pretiosius et nova condis,
Cultior est Domini te famulante domus.

Digitized by Google

Inde nec ejus vitae sanctimoniam altero poemate tacuit:

Terrenis sterilis rebus foecunde supernis
Humana spernens dives iture polis.
Illecebris mundi mundus lasciva repellens
Nil cui surripuit carnis amarus amor
Lubrica culpa perit neque mors de crimine gaudet
Cum tua delictis libera membra vides.
In templis habitando piis, sic purus haberis
Ut tua corda pater sint pia templa Dei.

Denique omnibus iis illum dotibus animi virtutumque canit enituisse, quibus episcopalis in ecclesia functio commendari solet. Porro sedit a Sigeberti regno in XIV. regni Childeberti, inedia et moerore ob necem Bosoni clienti illatam, quem vindicare non poterat, exitu maturato, ut Gregorius narrat. Attamen ejus roborata miraculorum editione Sanctitas in honore est calend. decembris: quo attentiore animo Gregorii de ejus morte verba expendenda sunt, quam ei Bertharii aliorumque literae contigisse narrant sanctissimam, dominica quippe die cum inter divina adstante clero praesentes ad pietatem inflammaret, praedixisse in sabbathum proximum tabernaculi sui depositionem, itaque simul ille dies affuit beati viri animam niveae instar columbae evolare visam, auditosque coelestium concentus prosequentium ad superos euntem.

11. Charimeres (595) hinc Agerico, ut idem testatur Gregorius, regis Childeberti laudatione sufficitur, qui referendarii munus ante in aula gesserat, ejus vero pontificatus exordium tardius cur hic assignetur, quam olim proditus a nobis ea nimirum causa est, quod publica monumenta in temporum ratione secuti, B. Agericum inveniebamus apud Sigebertum anno quadragesimo nono supra quingentesimum florere jamtum coepisse. Proditur ejus successor

12. Herminefredus (609), qui cum aliquamdiu sub Theodoberto Austrasiae stipendia honoratae militiae fecisset, novum inde militiae genus in Luxoviense monasterio S. Benedicti authoramento meditatus, hinc virtutum sapientiaeque imprimis opinione celebris ad Virdunensis ecclesiae gubernacula accersitus est, cujus gloriosa memoria in commentariolo celebratur

Digitized by Google

actorum S. Pauli eremitae Treverici, successoris ut ferunt Herminefredi, post quem licet Godonem cum Modoaldo et Arnulpho, synodo Remensi a Sonatio archiepiscopo institutae, Flodoardo subscripsisse memoret, Paulum tamen jam anno 620 donationem Romarici Avendi comitis sub titulo episcopi Virdunensis, una cum Arnoaldo Metensi et Dodone Tullensi, manu sua consignasse deprehendimus.

13. S. Paulus (620) postquam vitae solitariae rudimentis imbutus Theologiense monasterium incoluit, ex coenobita vel invitus episcopus ad id fastigium honoris ascendit, conditus ipse praeclare munere gesto in aede, quam B. Saturnino vivus exstruxerat, cumque manante ex sepulchro ejus oleo salutifero effulgere memoria hominis sancti et crebris probari miraculis defuncti virtus coepisset, demum Wilfrido praesule, placuit, ab ipso B. Paulo nomen accipere ecclesiam et sacra a benedictinis ibidem procurari, donec hi denique contracto veterno locum fecere praemonstratensibus Alberone III. pontificatum tenente. Porro S. Pauli longe fama in posteros manavit ob praesentem daemoniacis adhibitam opem apud ejus reliquias, cujus in nova tum illuc introducta S. Norberti disciplina in segni novitio non tacendum exemplum literis mandatum est. Enim vero juvenis hic parum tenax propositi, cum saepe monitus a magistro correctusque iterat errata, ac denique insolentia praeceps, se ipso fit deterior, audet palam denique vovere, et juratus asseverare, se monasterium ilico relicturum, nec unquam nisi locis astrictum funibusque tractum, redituruum, unde abiisset. Et meruerat, ut abiret. Domi parentum, dum genio cupiditatibusque largius indulget, a daemone invaditur. Quid facerent parentes? vinctum ad S. Pauli limina pertrahunt; et quem religiosum illic sistere non poterant, divo Deoque servulum offerunt et spondent. Ergo cacodaemone actu tum exploso, qui coenobita esse noluerat, voti sui ac jurisjurandi damnatus volens lubens, diu servitutem hanc serviit inter coenobitas, S. Pauli meritis et auxilio a saeveriore tyranno liberali causa vindicatus. B. Paulus vero fastos occupat, Sancti cultu venerandus VI. idus februarii.

Digitized by Google

De hinc non raro abbates ex Theologiensi monasterio sive Doleiae Cella, ut appellabant, assumpti ad ecclesiae Virdunensis regimen, quia per id tempus is locus esset in potestate Virdunensium praesulum. Inde igitur prodiit

14. Gisloaldus (649), qui Saturnini templum canonicorum collegio cohonestavit, qui diplomati, quo Childericus rex Austrasiae anno regni sui VII. Stabulensis et Malmudariensis monasterii fundationi a S. Sigeberto factae suffragatur, testis subscripsit, una cum Numeriano Trevirensium et Cuniberto Coloniensium archiepiscopis.

15. Gerebertus (665), sub quo exordia coepit B. Michaelis coenobium, religione inter caetera et antiquitate primum, Wuolfrado majore domus Childerici regis opes et impensas erogante, ut Sigebertus memoriae prodiit ad annum 667. Eo sedente, cum B. Audoenus Rhotomagiensis excellenti sanctitate praesul, restituta inter Francos et Austrasios pace, Virdunum venisset, ecclesiam ingressus, daemoniacam valde sibi infestam obviam habuit, cujus ille caput manu demulcens, ilico placidam effecit, et ejecto obsessore sanam parentibus reddidit.

16. Armonius (689) post hunc sedisse memoratur. Hoc inter Virdunenses florente, claruisse B. Wandregisilum perhibent cognomento Wandonem, ortum illustri genere Pipini, cujus Walachisus parens erat consobrinus. Sunt, qui B. Arnulphum Metensem avum ei fuisse tradunt, natum Virdunensi solo consentiunt veteres, et ex palatii comite mundi honorumque contemptorem, primum eremum, inde varia incoluisse monasteria, et post illustria pietatis ac virtutis experimenta autorem extitisse Helisaugii, Fiscamni et Fontanellae coenobiorum. Ejus reliquiae et natalis Gandavi in Flandria praecipuo in honore sunt XI. calend. augusti.

17. Agrebertus (701) ex archidiacono creatus episcopus, laudatus a Pipino.

18. Berthalamius (708), deinde rursum ex Theologiensi monasterio ad sedem Virdunensem accersitus, eam praediis, vectigalibus, fundisque plurimum auxit. Accessisse tunc ad hanc

Digitized by Google

ecclesiam volunt Stanneum, Cassanpetram, Tyllium et Formesium oppidum. Hinc Berthalamii magister, grandis natu vir,

19. Abbo (715) ex ejusdem coenobii recessu in lucem hujus ecclesiae protractus, tanta hoc tempore religio, et virtutum laus eo fastigio dignissimarum, sub humilibus ejus monasterii tectis delitescabat. Abbonem

20. Pepo (716) excepit, quem ferunt Caroli Martelli fuisse moderatorem, successit ei

21. Volchisus (722), ejusdem Caroli gratia amicitiaque notus, additus hic Pipino comes itineris, quo tempore is a Luitprando in Italiam revocatus ad adoptionis jura capessenda. Nam Pipinus ritu Longobardico, incisa caesarie Luitprandum adeptus patrem, ingentia ac plane regia ab eo munera tulerat, Reginone teste, qui id Leone Iconomacho Constantinopoli saeviente gestum meminit. Surrogatus Volchiso

22. Agronius (729) ex S. Vitoni canonico, cui cum Anselmo aemulo haud leve certamen fuit sedem hanc etiam ambiente: quae cum Agronio mortuo triennio vacasset

23. S. Magdalveus (735) episcopus eligitur, natalibus ortus Caroli Martelli in Virdunensi solo. Sub eo cum aedes Virduni primaria incendio deflagrasset, ipse tum provincialium collegarum, tum metropolitani Hildulphi ope ac munificentia adjutus, nitori eam restituit pristino, inde monasteria perampla, quae abbatum regimine Galliarum diversis in locis Virdunensis ecclesia olim possederat, asseruit, et obsequio pristino devinxit, S. Amantii in Rhodania, Moderniacum et Puliniacum in Aquitania. Peregrinatione in sacra Palestinae loca suscepta, Basilii patriarchae et gratiam et amicitiam obtinuit, multisque Divorum reliquiis exportatis ecclesiam suam redux multifariam ornavit, B. Mariae Magdalenae quoque templum in ortu suo non magnum consecravit, idque sacris virginibus attribuit. Ejus egregia morum sanctitas devolante coelo pari columbarum cum mortuo justa fierent divinitus comprobata. Relatus in coelestium coetum, episcopi et confessoris eximii titulo colitur IV. non. octobris. Tribuuntur inde XII. anni vacuae sedi. Quo tempore medio

Digitized by Google

24. Amelbertus, fluctuante magistratu, chorepiscopi nomen gessit, vir spectatis moribus consilioque, cum rerum summa tamen esset penes Bertharium; donec Carolus Magnus ab Longobardica expeditione, capto Desiderio, reversus, Virdunensibus praesulem dedit, qui antea Longobardorum regi consilio ac multiplicis usu prudentiae carus extiterat. Is

25. Petrus (774) Italicus fuit varia inde sorte in pontificio munere jactatus primum, namque cum gravem subiisset hominum sermonem, ceu Caroli rebus parum deditus, ejus quoque minuisset dignitatem, loco pulsus est, inde reconciliata gratia restitutus, disjectas conturbatasque ecclesiae suae fortunas gnaviter asseruit. Reliquit Virduni anniversariam memoriam imaginis Crucifixi a Judaeis Berithensibus flagris concisae.

26. Austramnus (799) hinc Caroli M. rursum laudatione honorem sacerdotii adeptus, missus is ab Adriano pontifice fuerat in Gallias, ut tanquam musicae et rei ecclesiasticae peritissimus ecclesiae Romanae cantum et modulos passim in ecclesias Galliarum introduceret. Ejus opera S. Magdalveus in Divos receptus, cum ipse Carolum Romam usque comitatus, id a Leone beneficium impetravit.

27. Herilandus (805), Zachariae illius viri eruditi frater, quem Carolus legatum ad patriarcham Hierosolymitanum in Orientem miserat, et is a Carolo laudatus, sacerdotium hic iniit: conciliis aliquot sub Carolo celebratis interfuit, et demortui caesaris funus duxit. Sub eo S. Magdalvei corpus post quadraginta annos prorsus tabis omnis expers et incorruptum inventum est.

28. Hilduinus (829) inde, origine Germanica, Ludovico Pio probante, cleri suffragiis cooptatur; concilio is interfuit Aquensi, quod anno octingentesimo tricesimo ibi celebratum. Volunt eo tempore Lotharium ab Virdunensi ecclesia sejunxisse Theologiense monasterium, quod Hilduinum Ludovico impensius studuisse adversum se compererat. Sed

29. Hatto (850) vir praestanti nobilitate, cum Lotharii animum officiis ac benevolentia occupat, decessoris offensiones

cavit, multaque dioecesis suae vectigalia et emolumenta in antiquum pristinumque statum revocavit. Lotharii quoque Junioris meliora deinceps meditantis praeclara in ecclesiam hanc extitere merita. Hattonis vero monumentum apud posteros manet, castellum ab ipso vocabulum ferens. Inspeximus olim pervetus rescriptum Nicolai pontificis, cujus et exordium antea prodidimus, quo deserte testatur extremo tempore pontificatus sui Theologium adhuc in potestate fuisse Hattonis, ibi et denuntiatione anathematis, possessionum venditionem Adelhelmo factam pontifex rescindit, quod illa non esset e re monasterii, quin et potentibus nonnullis eandem poenam comminatur, qui contra jus ecclesiae Virdunensis ausi, mancipia servosque praesulis liberare et manumittere. Atque haec se beneficia ac privilegia Nicolaus impertiri hactenus profitetur, ut quemadmodum Hatto sibi pareri ab aliis velit, ita sanctae Romanae ecclesiae imposterum et ipse morem gerat. Unde et Hatto admoneri potuit, quo in causa divortii Lotharii, qua non minus quam caeteri collegae Thiedgaudus, et Adventius ac Arnulphus certe conflictatus est, ad Nicolai pontificis obsequium citius rediret. Clara majorum literis translatio sub Hattone celebratur reliquiarum S. Mauri, Salvini et Aratoris, quorum pignora loculis affabre factis sanctiore cultu condidit. D. Vitoni quoque basilicam Nortmannica clade afflictam, reparare ingressus, monumenta sanctorum Polychronii et Possessoris retexit, et augustiore sede eorum corpora reposuit. Et huic praesulis magnificentiae comitata coelestium virtutum et miraculorum benigna copia. Hattonem demigrasse volunt ipsis calend. anno 870.

30. Berhardus (870) ex clero S. Vitoni ob divinarum rerum scientiam, quam docendo professus erat, episcopatum meritus. Recenset inter Hincmari epistolas Flodoardus, quas Adventio Metensi praesuli misit, eam, qua Berardi Virdunensis ecclesiae electi et vocati episcopi ordinationem accelerandam esse monuit. Aedem B. Vitoni abs se consumatam cum aliis ornamentis illustravit, tum multiplicato cleri coetu splendidiorem reddit. Diem clausit in Theologiensi coenobio, quod

simul cum episcopatu abbatis munere praesules hujus aevi curabant.

31. Dado (880) inde pro Berardo, Ludovici Germaniae regis commendatione an praerogativa, sedem Virdunensis ecclesiae capessit. In ipsius electione vel ingressu aliquid haesisse vitii, non siluit Hincmarus in epistola, quam ad Metensem episcopum Walam dedit, de ordinatione Virdunensis episcopi, quem post obitum Berardi contra regulas provehi compererat. Hinc Caroli Calvi morte, rebus in Francia parum pacatis, dum Ludovici gratiam authoritatemque sequitur, simplicis Caroli benevolentiam retinere non potuit. Ergo Bosonem comitem factione praevalidum hominem adversarium nactus acerrimum, grave ac perpetuum cum hoc certamen aluit. Cujus tandem is eventus, ut Bosonis injuria ecclesia Virdunensis ipsiusque pars urbis maxima cum omni antiquitatis instrumento, irreparabili damno incendiis flammisque consumpta, et hausta sit, id vero literis dignum in Dadone, quod ecclesiae suae animadversa clade, quo ne animis hominum pariter exciderent, quos flamma feralis oculis eripuerat, Berthario sacerdoti negotium dedit, ut acta omnia memoriae mandaret, quae quidem de Virdunensibus rebus adhuc superessent, itaque Berthario deberi existimandum, quidquid in his literis genuinum de veterum episcoporum serie legitur. Extat in gestis Leodiensium episcoporum ab anno Domini 919 Caroli Simplicis diploma Metis datum in monasterio S. Arnulphi, quo Stephano venerabili Tungrorum episcopo ampli nemoris tractus donatur: quo in munere conciliando, Dadonem praecipuas constat egisse partes. Magna quoque Dadone sedente ex S. Balderici Remensis olim ecclesiae presbyteri et abbatis veneratione in animis hominum excitata religio. Nam Dado regis liberalitate S. Balderici abbatiam adeptus, ubi crebris ipsius beatas exuvias illustrari miraculis cognovit, autor est factus celebris cujusdam panegyris, qua tribus ex monasteriis unum in locum quotannis sanctos ter beatos exportari Gaudiacum jussit, Vitonum et Agericum Virduno, de sui nominis monasterio Baldericum, at S. Ruduicum Vasloyo. In

Digitized by Google

qua hominum coitione, memorat Flodoardus, innumera inde patrata miracula. In S. Balderici possessionibus Waslicia fuit, villa ad Rheni flumen sita, regionis Ubiorum, Weslich vulgo dicta; quam cum contra fas Godefridus comes Palatii Henrici Aucupis invasisset, diro morbi genere prostratus, non ante sanari potuit, quam Wicfridi Coloniensis archiepiscopi consilio, qui res repetitum venerant, iis supplex abjectusque praedium ablatum restituisset. Exemplar formatae quod Ivo Carnutensis episcopus sexta parte decreti sui inseruit pro absolutissimo suis numeris usurpatum a Dadone, anno dominicae Incarnationis 905, indict. IX., et datum pro Adruino presbytero ad sanctissimum Radbodonem S. Trev. eccles. archiepiscopum V. idus maji.

32. Barnoinus (920), Dadonis nepos, Caroli Simplicis favore subnixus, pro Dadone sedere coepit, cui deformata incendiis tecta, quod Dado incohaverat resarcire et opem prostratis afferre rebus curae fuit. Hunc excepit

33. Berengarius (939, 940), genere Saxo, magnum Ottonem sanguine contingens, cujus votorum summa, collapsam in clero disciplinam excitare, et Barnoini in urbe templisque restituendis imitari studium. Flodoardus hujus aevi Francicus scriptor ab Artaldo Remorum antistite consecratum templum meminit in chronico suo ad annum salutis 940. De eo narrant libri provinciales, ecclesiam ingresso cum importunius assectantem pede clericum submovisset, Deipara matre et Tecla virgine noctu per quietem apparentibus exaruisse pedem, quare et voto nuncupato, coenobium iniisse S. Vitoni, cujus patrimonium ferunt Berengarii praesulis et Ottonis imperatoris munificentia mirabiliter auctum, quo tempore canonicis etiam ibi submotis benedictini suffecti sunt, quibus Humbertus excellenti vir religione, Tullo ob virtutis famam ex S. Apri tum disciplinae florentis abbatia, accersitus, primus abbas praefuit, cujus ductu consilioque prodigiis et miraculis corruscantia S. Firmini ossa, in Flaviniacense coenobium, Berengario favente, illata sunt. Berengarii successor

Digitized by Google

34. Wilgefridus (961) proditur veteri et laudata prosapia, ortus in Bojoaria, duci Bertholdo junctus sanguine; is Brunoni Coloniensi archiepiscopo rempub. Lothariensem gerenti cancellarius extiterat. S. Vitoni res Gilecuriae, Rorecuriae et Heirae possessionibus addictis, locupletavit. S. Pauli quoque corpus in aede D. Saturnini ad V. calend. septemb. conditorio argenteo inclusit. Raptus in custodiam et adductus a Sigeberto comite, Egberti Trevirorum archiepiscopi fidissimam opem auxiliumque sensit. Post eum

35. Hugo (984) ex Ottonis palatio ad episcopatum progressus, ubi dioecesis res turbatiores invenit, trimestri magistratu abdicavit, atque ita vacua relicta sedes. Neque domesticus index hic per omnia sibi constare videtur, et a publicis quoque literarum monumentis exorbitat. Hugonem namque anno Christi circiter 984 cessisse Sigeberti rationibus magis consentaneum est, et ob insignem sub id tempus huic ecclesiae illatam cladem, haud parum quoque in sacerdotio turbatum, aeque fit probabile, Lotharius quippe rex Galliarum, degente in Italia Ottone, licet omne Lotharingiae jus ante imperio condonasset, novam tamen ex absentia Ottonis telam exorsus, in agrum Lothariensem armatus irrupit, et urbem Virdunum, ipsumque comitem urbis Godefridum in potestatem redegit, cumque eodem anno Theodoricus Metensium praesul vitam reliquisset.

36. Adelbero I. (984), Friderici Mosellanorum ducis et Beatricis, filia (?) Hugonis Capeti filius, cleri populique comitiis Virduni, ut quidam opinantur, creatus episcopus, Ottonis III. imperio ad Metensem ecclesiam transiit, anno ut Sigebertus notat 984. Verum tamen eundem hunc esse, cui uterque hic episcopatus delatus sit, nisi forte rebellium tunc imperio popularium votis expetitus, obscuro historicorum sensu definitur, illud quod de ejusdem nominis episcopo subjicimus ex Gerberti oratione in Virdunensium urbem scripta exploratius est.

37. Adelbero II. (988) Godefridi Arduennae comitis filius in hac sede suffectus est. Cujus ordinationem cum Egbertus Trevirorum archiepiscopus tanquam supremus loci metropoli-

Digitized by Google

tanus antistes, ob gravissima tunc fluctuantis regni tempora differret, Adelbero Remorum ejus promovendi partes suscepit, ut ex Gerberti epistolis, in hujus praesulis laudes facundis, colligere promptum est. Sed Virdunensium antistes cum afflicta valetudine in Italiam profectus recuperandae sanitatis Salernum petiisset, anno ut ferunt salutis 990 ad XIV. calend. majas extremum istic diem clausit, habiturus in morte morbi jactationisque remedium, qua a factione Lotharii ab Ottonis III. invidiam non leviter impulsus fuerat.

38. Haimo (990) genere Bojus, ex disciplina Notgeri, Leodiensis episcopi, spectata vir probitate et prudentia, qui Henrico Bojoariae duci et natalium splendore et praestantis ingenii ornamentis vehementer probatus, ejus favore atque intercessione cathedram, clero volente meruit. Haimonis munificentia aedes S. Mauri incohata, ab Ottone illustriore parthenone circumdata et salutifera cruci cum templo dedicatum collegium, a Dudone Virdunensi canonico et praeposito Montis Falconis. Quin et circa annum Domini 1023 virgines cum S. Magdalvei basilicam destituissent, ea canonicis Hermenefredi liberalitate cessit. Sub Haimone item comitatus Virdunensis a Friderico comite traditus ecclesiae Virdunensi, perpetuo jure ab episcopis possidendus, Ottone jubente, comprobante. Anno Christi 997 obiit Haimo pridie calend. maji anno XXXVI. sui episcopatus. Floruit hoc etiam tempore virtutum opinione et morum egregia Sanctitate Richardus abbas S. Vitoni, cujus in monastica tuenda ac propaganda studium enituit excellens. Popponem Stabulensem postea abbatem, virum olim in saeculo splendidum, ubi disciplina ascetica praeclare excultum didicit, sibi adjunxit, eique S. Vedasti monastica gubernacula tradidit. Popponis matrem insigni pudicitia et religione matronam, cum Virdunum, mundo valedictura concessisset, velavit, ac tandem apud S. Vitoni solitariam, probata morum integritate, virtutis iter decurrere voluit, ex ejusdem Richardi schola.

39. Raimbertus (1026) ad episcopatum pervenit, magistro id onus saepius licet oblatum excutiente. Porro usu nondum stabilita tum comitatus Virdunensis possessione, magnae ab

Digitized by Google

Gozelone Lotharingiae duce huic ecclesiae clades illatae, postquam ducis fratres, Hermannus quidem morte sublatus, Fridericus vero in S. Vitoni monachum induisset, comitisque vicarium munus Ludovico Chinensi reliquissent.

Anno 1030 S. Agerici prioratum benedictinis eum in locum adductis, abbatiae ornamentis illustrat, et primum ei antistitem Baldericum nominat, denique Raimbertus pietatis religionisque studio Hierosolymitanam profectionem suscepit, majori ad superandum animo, quam robore. Sicquidem Belgradi in Hungaria succumbens, in morte peregrinationem absolvit.

40. Richardus I. (1041), comitis Hildradi filius, ei successit, cujus pontificatus probe liberaliter gesti memoria apud posteros jucunda vivit. Comitatus ab eo stabilitus et ditionis fines feliciter propagati. Hoc quoque notior apud suos, quod celebrem eam B. Sanctini Virdunensium apostoli ex Meldis translationem sub eo factam statuant, sicquidem ex veterum librorum consensu haec in illos annos incidit, quibus dira fames Galliam universam vicinasque regiones oppressit. Quare cum Meldensis clerus numero et re deterior, ut hoc a se malum depelleret, sacra etiam haberet venalia, dites ajunt Virduni negotiatores repertos, qui pignus id sacrum auro quoque redimerent et laeti in sua thesaurum exportarent. Translatum vero Meldis Virdunum ex B. Stephani aede, in S. Vitoni sacrarium sub annum Christi 1046 valde probabiliter comparatis inter se majorum literis, Carolus Gobinus S. J. sacerdos deprehendit. Porro facundiae Richardi dant, quod caesareo diplomate comitiva dignitas ipsi successoribusque certo tum jure concessa. B. Richardum abbatem Vitoninum praeceptorem habuerat, cujus disciplina et institutione virtutum spatia feliciter decurrit, metam consecutus VII. idus novembris 1047.

Virdunum eo anno a Godefrido Lothariensium duce captum et lacrymabili incendio, spoliata et subversa principe S. Dei Genitricis basilica, vastatum.

41. Theodoricus (1047) artium aulae regnandique, siquis alius in imperio Germanico, haud rudis, ac in schismate vehementer adulandi malo regibus opportunus, idque ipsum privatis

Digitized by Google

in suis scriptis haud obscure prae se tulit, disserte quoque Hermannus Contractus in anno 1047 narrat, basilicae praepositum, et capellanum olim extitisse Henrici regis: ab ipso vero Henrico jam tum imperatore Virdunensi ecclesia donatum. Addunt domestici Guozolone comite natum, qui Henrico militiae fidem suam varie probaverat. Igitur episcopatum animi quidem celsus summaque cum dignitate gessit, attamen ejus gloriam pertinacia schismatis vehementer detrivit atque obscuravit; etsi domestici velint resipiscentem ante mortem restitutum ecclesiae, ejusque in gratiam poenitentia ad haerentium subsecuta repositum. Magna ei certamina, ob S. Michaelis abbatiae jus, cujus accolae in Bibonis Tullensis episcopi fidem confugerant, extitere. Traxit ea res in bellis difficilis casum Godefridum Bullionium et Theodoricum Barri comitem, qui cum superiores esse viderentur, episcopus cum Bullionio pactus comitivam illi tradidit, quam is ad sacrae militiae tempus usque retinuit. Legimus in praenobilis Hersfeldensis ad Fuldam amnem abbatiae semirutis exedris praefixam oratorii vestibulo hanc epigraphen:

Anno Dominicae Incarnationis 1080 ind. III. VII. idus octobris dedicatum est hoc oratorium a Theodorico P. M. Virdunensi episcopo in honorem SS. martyrum Fabiani et Sebastiani.

Anno 1049 direptae eversaeque Virdunensis ecclesiae noxam Godefridus Lotharingiae dux memorabili poenitentiae exemplo palam expiavit. Sicquidem reus sordidatusque, publica in se diverberatione animadvertit, atque ad instaurationem collapsorum non modus sumptus, sed et suas ipse manus servili opere adhibuit. Sunt qui hanc diverberationem imperatam aere largo redimisse existiment. Anno 1075 Henricus archidiaconus Virdunensis vir genere et vita nobilissimus, filius Friderici comitis Tullensis, commendatione Godefridi ducis, ad Leodiensis cathedrae fastigium evehitur, quam duo decennio vitae reliquo administravit.

Theodoricus porro noster suo etiam expleto regiminis satis ambigui cursu fatis cessit, locumque successori fecit.

Digitized by Google

42. Richerus (1090) is fuit, ecclesiae Metensis decanus, qui tres fratres Albertum, Bezelinum, et Joannem schismatis tuendi propagandique gratia in aula Henrici IV. imp. obsides reliquit, et stetisse Richerum pro imperatore contra pontificem in schismate, una cum clero atque urbe Virdunensi, memoratur: unumque Rudolphum S. Vitoni abbatem cum pontificiis sentientem apud Divionem exulasse, denique tamen post septennium per Urbani legatos Lugduni Richerum absolutum et ordinatum episcopum. Godefridus illi Bullionius terrae sanctae regiones debellaturus, velut jam de transferenda possessione rerum suarum certus, Astenaeum cum arce et Mosacum oppida vendidit, fraterque ejus Balduinus Virduni comitatum restituit, Deo meliora largituro confidens. Ferunt Richerum denique iterato a Romana ecclesia divulsum schismate, sed et rursum poenitentem, Paschalis authoritate ab Hugone Lugdunensi hoc vinculo enodatum. In Germaniam subinde profectus, Treviris substitit, ubi incumbente morbo ac morte a Brunone metropolita omnibus benevolentiae et charitatis officiis cultus est, defunctique corpus Viridunum ad episcopalem sedem translatum.

43. Richardus II. (1107), filius comitis Grandipratensis, ex archidiacono Virdunensi successor, schismatis labe similiter infectus, ecclesiae suae perniciosus admodum extitit. Eum Paschalis palam execratus, ut invasorem coenobitarum S. Vitoni eo tempore in catholica retinenda communione Laurentio abbate strenue constanterque propugnante, memoranda pietas, et inter varias injuriarum tempestates, singularis animorum fortitudo enituit. Demum Richardus episcopus se quoque respiciens conflata pignoribus Astenaei et Mosaci oppidorum, ingenti pecunia, Hyerosolimam meditans, Romam ante profectus est. Hic solvi noxa restituique in praesentia cum nequiisset, animi aegritudine tabescens, ad Montem Cassinum deportatur: atque ibi moriens, ceu dolore suscepto schisma jam eluisset, ab Albaniae episcopo ritu catholico sepultus est. Interea Bruno Trevirensis afflictas provincialis ecclesiae res sublevans, pontificis autoritate Virdunensem clerum populum-

Digitized by Google

que ad unionem et pacem catholicam traduxit, abeunte igitur triennio et semestri.

44. Henricus I. Stephano Blesensi comite et Guilhelmi Angliae regis filia progenitus, ubi primam aetatem Cluniaci Deo consecratam peregit, ab avunculo Henrico Britanniae rege primum Glastoniensi abbatia, mox Wintoniensi episcopatu donatus est. Hinc neptis suae Mathildis Henrici IV. imperatoris conjugis sacellanus sedem hanc inire jussus, Paschali pontifice non consulto: quare et abstentus nec legitime cathedram tenuisse visus, antequam a pontificis legato, Joanne Cremonensi, Mediolani suasu Laurentii Vitonini abbatis, expiatus est, et post etiam a Calisto II. probatus. Verum tumultuante rursum inde Virdunensi populo, et imperatoris in partes concedente, civibus Henrici adventus ingratus extitit, cumque Reginaldi Barri comitis ope vastitate civibus illata et omni novis offensionibus gratia amissa, criminatione tantum non opprimeretur, Catalauni causa dicta, B. Bernardi tandem consilio abdicavit. Hinc reversus in Britanniam, splendido apud suos loco, variis etiam obitus in Gallia et Anglia, pro sede apostolica legationibus, magnifice vitam exegit.

45. Ursio (1129) qui Remis S. Dionysii abbatem egerat, is cum melior coenobita esset, quam episcopus, offensus negotiorum tumultu et Reginaldi Barri comitis factione vexatus, in consilio Leodiensi honorem sponte posuit, Innocentio papa Lotharioque caesare probantibus.

46. Adelbero itaque III. archidiaconus hujus ecclesiae, Arnulpho Chinii comite illustri parente natus, pro illo sacerdotium iniit, quod pro generis sui ac majorum virtute impigre non minus quam religiose gessit, nam arce oppidi occupata fractoque Reginaldo Barri comite ex rebus ecclesiae majorum in modum auctis, et monasteriis alibi novi erectis, alibi liberalitate ac munificentia recreatis, hostibus etiam domitis et fortiter oppressis, strenui et pii pontificis gloriam, famamque meruit. Perperam vero apud Democharem huic tribui videtur, quod in actis vitae S. Bernardi de Alberto Ostiensi episcopo, tam luculente narratur. Venerat B. Bernardus Virdunum, ut

publica tum ecclesiae laborantis negotia in varia quidem loca virum sanctum trahebant, atque hic cum recens Ostiensem episcopum vita abiisse comperisset, qua erat in venerandum praesulem caritate, pro ejus salute ac animae pace sacram Deo litare hostiam publice voluit, at inter ipsam rem divinam de statu mortui praesulis certior a Deo factus, collectam in fine sacrificii mutare non dubitavit, ut, quod olim in S. Malachiae transitu fecerat, non animam defuncti commendaret ad pacem componendam, sed potius celebraret ad conciliandum honorem. Nec absimile vero, Albertum hunc fuisse eum legatum, qui Viriduni degens Henricum episcopum in gratiam cum ecclesia reduxerit, et ob multiplices urbis dissensiones, rei catholicae pontificis jussu invigilarit.

Per hoc tempus Virduni claruit Andreas, quem ponunt inter illustres viros cisterciensis ordinis, qui cum esset Virdunensis archidiaconus, nobilissimus idem ac ditissimus, et Clarae Vallem ingressus, vidisset sanctae illius multitudinis ordinem, quietem et velut angelicum habitum, insiliente in eum spiritu Domini, illico mutatus est in virum alterum, ita ut pigeret aut domum aut familiares repetere, sed omnia relinqueret, ut incomparabilem ibi religionis margaritam possideret.

Eodem quoque cursu Caladensis abbatia S. Sulpitio dicata, cistertiensibus ab Alberone addicta et anno 1147 Mariana basilica princeps ab Eugenio pontifice consecrata. Porro Adelbero devecta demum aetate studio religionis magno permotus, senectum item suam praemonstratensi disciplinae, quam illo anno 1136 in B. Pauli coenobium introduxerat, posito episcopatu, consecravit. Quam ob rem pro eo

47. Albertus gente Marcija (1156) honorem etiam tum superstitis occupavit, qui cum Friderico imperatori contra Alexandrum pertinaciore studio favisset, ob diffracti vehiculi casum, animum subeunte demum poenitentia, S. Vitoni monasterium religionis ergo ingressus est, ubi XVII. calend. maji anno 1162 vita eum liquit ante D. Laurentii aram humatum. Aliquot post mensibus

Digitized by Google

48. Richardus III. (1162) cognomento Crysa substitutus, qui ob grassantis tunc quoque dissidii pestem, episcopi functionibus a pontifice abstentus, ad muneris fastigium non pervenit, decessit in ipsa peregrinatione Hierosolymitana, eoque extincto

49. Arnulphus Chinyus (1172) malo more subiit, Alberto comite genitus, et hujus ecclesiae antea thesaurarius, facundiae ingeniique promptus, qui profanus in magno dioecesis tumultu, cum arma Henrici Barri comitis exercet, et Albertum Pichotum hostem ecclesiae suae apud Menechildis Fanum obsidet, sagitta confixus oppetiit, moxque

50. Henricus Castrensis (1181), vir antiqua prosapia ex archidiacono S. Lamberti Leodiensi a Friderico imperatore, cujus consilia moderabatur, Arnulpho submittitur. At hic dissidii ac schismatis veneno similiter infectus, et Folmariana causa conflictatus, Remis in concilio postquam abdicasset,

51. Albertus de Hierges (1186), Chinyensi domo, absens in Palaestina religionis causa degens, nonnullorum suffragio expetitus, sed Robertus comes Grandipratensis nobiliumque factio studia in contraria scindebantur. Dum itaque civium pacificator ex condicto locum adit, praestitutum paci componendae a partium conjuratis, submisso sicario transfixus hasta occubuit, atque ita

52. Robertus de Grandiprato (1208) ejus adversarius et Virdunensis primicerius, vi aditu facto, locum invenit. Verum nec ipse tanto facinore laetus, civium expertus iras, nono episcopatus anno cum Romam accersitus et indignus sede pronuntiatus ad abdicandum se comparat, morte sublatus est. Ei ergo

53. Joannes de Asperomonte (1217), longe virtutibus praestantior, a clero sufficitur, qui condito monasterio canonicorum ex S. Augustini norma, quod S. Nicolai in Prato dicitur, Sanctorum quoque Dominici et Francisci familias in urbem accersivit anno 1221. Atque hinc, cum huic ecclesiae Mediomatricum sedem antetulisset, excepit

Digitized by Google

54. Radulphus de Festa (1224) ex cantore Laudunensi, magna praesul animi fortitudine, mansueto mitique ingenio. Quare male pacatum, et rebellem sibi populum primis sacerdotii annis expertus, anno 1227 flexit ad obsequium, et salubri injecto fraeno, urbis statum optimis, ecclesiaeque suae commodis legibus temperavit. Radulphi successor fuit

55. Guido Traignelius (1245) ex Lugdunensi concilio submissus, cujus ut brevissimi temporis, sic nec illustri memoria ulla pontificatus insignitur. Febri confectus in Hattonis Castro scribitur. Post eum vero alter

56. Guido, nomen a Melloto fuit, ab Innocentio item pontifice datus, quo tempore is adhuc Lugduni in concilio degebat: verum cum civitatem Friderici II. studiis infectam, clero etiam evocato et interdicti poena sancita pacatam habere non posset, obsidione et populatione fessam, decem millia pondo argenti persolvere et pacem emere compulit. Verum hac segnius coalescente, ecclesiam ac sedem Antisiodorensem huic praetulit.

57. Joannes II. Aquisgranensis (1247) stirpe non ignobili, a sede apostolica surrogatus, qui et basilicam S. Pauli episcopi a fundamentis incohavit. Ei successit

58. Jacobus Pantaleo (1253) genere Trecensis, humillimo quidem, utpote coriario patre natus, Antonino teste, at praestanti eruditione ac virtute ab Innocentio IV. Virduni institutus episcopus. Verum cum suis eum alis virtus ad celsiora proveheret, inde ab Alexandro IV. anno 1257 patriarcha creatus Hierosolymitanus, Virdunensem sedem destituit, ut cui a Deo opt. maximo princeps ecclesiarum omnium cathedra tunc desponderetur. Sicquidem Urbani IV. nomine ecclesiam pontifex universam anno 1261 gubernare coepit, festo corporis Christi venerabilis sacramenti honori instituto, orbe toto christiano celeberrimus.

59. Robertus Mediolanensis (1257) ab Alexandro IV. hinc missus in locum Jacobi, vir ingenii consiliique laude et rerum usu spectatus; cui

Digitized by Google

60. Ulricus de Sarnayo (1271) successit, vitae morumque rectus et integer, qui cum biennio sedem habuisset modestissime, lectus, triennio vacuo,

61. Gerardus Grandsonius (1277). Ex primicerio episcopus, qui annuo magistratu perfunctus vixit, et in Castillionensi monasterio, quod vectigalibus auxerat, urnam invenit.

62. Henricus Grandsonius (1278) frater Gerardi secutus est.

63. Jacobus II. de Revigneio (1290) juris humani juxta ac divini consultissimus ex judice Romanae curiae hic factus episcopus. In certamine, quod ei cum civibus erat de jure ac summa reipub., itu Romano, Florentiae extinctus est.

64. Joannes III. Richericurtius (1296), electus a collegio canonicorum, anno vertente vix a pontifice confirmatus, rem hujus ecclesiae non infeliciter gessit. Ejus successor

65. Thomas Blamontiorum (1302) a Bello Monte illustri ortus stirpe, quo brevem pontificatum percurrente,

66. Nicolaus a Novavilla successit (1305), quem in veteres civium discordias prolapsum, pactione parum honesta, ferunt, molestiam illam redemisse, postquam templariorum sedem augustinianae familiae monachis attribuisset. Abiit magistratu, vivoque suffectus

67. Henricus ab Asperomonte (1312), qui laudabiliter implendo munus annos omnino triginta septem exegit, distracta juris sui capita adversus civium factionem vindicavit. Aedem parochiae S. Mauri in Hattonis Castro, collegium canonicorum fecit anno 1328. Hinc a clero

68. Henricus a Germinyo (1349) ex praecipua nobilitate cooptatus, sed hunc pontifex Clemens VI. cum laudare recusasset,

69. Otto Pictaviensis (1350) apostolicis imperiis ei praelatus, verum et is pertaesus morum populi, passus est, ut

70. Hugo a Barro (1352) sibi succederet, is vero in antiquam cum civitate litem et controversiam ingressus, primum quidem pacti transacti formula in magistratibus populo permittendis, nimium indulgendo peccasse, mox se Caroli IV.

Digitized by Google

decreto correxisse dicitur, pristino revocato jure. Hierosolymam denique profectus, in monte Sina pie spiritum effudit.

71. Joannes IV. Borbonius (1362) deinde episcopatum suscepit, quo vita functo, cum annuum interregnum fuisset,

72. Joannes V. de S. Desiderio Virdunensis (1371) a Gregorio XI. antistes salutatur, libertatis ecclesiasticae vindex acerrimus: episcopatum morte, an abdicatione reliquerit, pro incerto ponitur.

73. Guido III. de Royo (1376) Gregorii item XI. autoritate Joanni succedit, is cum pontificem Avenione relicta, Romam repetentem in Italiam usque prosequitur, gravia per ejus absentiam haec ecclesia detrimenta accepit, editur post eum

74. Leobaldus Coussancejus (1378), Luxoviensis antea monachus, qui in ancipiti schismatis eventu partibus Clementis inhaesit, quamobrem ab Urbano submissus Rolinus Rodebachius Lutzelburgensi stemmate nobili, quod pridem interiit; qui tamen inopia defensorum repulsam passus, interea dum Caroli sexti Galliarum regis auxiliis nititur, ecclesia Virdunensis ab Arnoldo Hornano Leodiensi episcopo, qui ab Urbano stabat, vehementer infestati subitis incursionibus Virdunensium fines, Leobaldus cum 25 annis ferme gesto sacerdotio X. maji decessisset,

75. Joannes VI. de Saraeponte (1403), Joannis Comerceii et Venisii dynastae filius, favore gratiaque Benedicti XIII. in demortui locum suffectus est, at hic subinde ecclesiam hanc Catalaunensi permutans, effecit ut

76. Ludovicus a Barro (1419), Roberti Barri primi ducis filius, cardinalis Portuensis, Caroli VI. Galliarum regis ex sorore nepos, Virdunensem episcopen iniret. Creatus is a Benedicto XIII. fuerat cardinalis S. Rufinae et episcopus Portuensis, moxque Catalaunensis Barri ditione, Renato Andegavensi cesserat. Ubi Constantiensis concilii authoritate, difficillimo, qui ad id tempus saevierat, schismatis morbo quaesita remedia, neque valetudo nisi tribus abscissis capitibus, sperari posset, non dubitavit Ludovicus, Petrum Lunensem, qui Benedictus XIII.,

inter primos deserere, et privatam gratiam publicae paci totius ecclesiae post habere. Quare ut antea Pisano ita et Onuphrio teste anno 1417 Constantiensi concilio interfuit, et saluberrima suffragatione Martinum V., a quo pacis initium una cum aliis pontificem elegit, Virdunensem sedem eximia sapientia et moderationis laude feliciter administravit; ipse ut sacrarum literarum haud imperitus, saepe divinis de rebus ad populum verba fecit. Varennae, quod oppidum in Barri ducatu S. Gangulphi martyrio non obscurum, paulo ante mortem franciscanis ecclesiam et domicilium extruxit. Obiit IX. calend. julii anno 1430, Virduni in aede primaria sepultus. Eum

77. Ludovicus ab Haraucouria (1430), veteri et laudata Lotharingorum familia, ex Virdunensi collegio secutus, Martini V. authoritate. Is sive partium studio, sive canonicorum sibi discordium offensus injuriis, anno 1438 Leucorum ecclesiae, sed poenitendo consilio, hanc postposuit. Quippe Ferrariam ad concilium a Renato Andegavensi Lotharingiae duce missus, ubi Henrici a Villa Tullensis episcopi mors illic innotuit, pactus cum Guilihelmo Tierrensi Leucorum candidato Virdunum illi cessit.

78. Guilihelmus (1437) S. Theodorici abbas Remensis e S. Benedicti familia, Philippi Burgundionis ope Virdunensem sedem adiit, caeterum, quae tunc rerum vicissitudo fuit, flagrante inter Gallos et Burgundiones bello, Guilhelmus cum Virduni secure et tranquille vivere non posset, rursus post 12 annos probante Nicolao pontifice locum hic Ludovico fecit, ac Tullensem ecclesiam anno 1449, post etiam Tornacensem, Philippo Burgundo urgente, anno salutis 1460 administravit. Ergo Ludovicus Haraucourtius, secundum praesul, cum ad annum ejus saeculi LVI. vivendo pervenisset, nepotem ex fratre successorem habuit. Porro Guilhelmus quo tempore Virduni sedit, jus vetus regalium a Friderico imperatore recognoscens, prope obsolescentem comitis dignitatem reduxit, in Flandria vero cum Nerviis jus diceret, Gandavi quoque S. Bertini abbatiam obtinuit, cumque tredecim annis rem christianam illic feliciter gessisset, Gandavi anno Christi 1472, XVIII. calend. septemb.

Digitized by Google

vita demigravit. Omnibus ecclesiis quibus praefuerat testamenti tabulis benigne fecit, templo Bertiniano conditorium accepit.

79. Guilhelmus ab Haraucouria (1457) Calisti pontificis bona pace anno 1457 tertio idus augusti munus exorditur. Is ob prudentiae et ingenii magnitudinem, rerumque gerendarum insignem peritiam, cum a regibus Galliarum in altum evehitur, exemplo demum suo mortales docuit, nihil admodum inter summam felicitatem, et ultimam interesse miseriam, ubi in principum gratia ac favore bona nostra sita sunt; quibus quam promptum est, largiri quod supersit, tam proclive aufferre ut desit. Ipse igitur magnis honoribus in Gallia ac Neapoli in Italia perfunctus, demum ceu nominis Burgundici studiosior, a Ludovico XI. obruente delatorum invidia captivus primo factus, inde in custodiam datus, ac quindecim ipsos annos detentus est. Ad hanc principis viri tantam exagerandam calamitatem non defuere ex recentioribus, qui Guilhelmum Trasylo Busiridis, aut Perilo Phalaridis prodidere causa non dissimilem, hanc ignobilis inventi, et loco sane hoc indignissimi coactam sufferre poenam. Ajunt enim, Cominaeo autore, episcopum Virodunensem, carcerum eorum esse ergastulorum inventorem extitisse, quae aspectu, situ, tenebrisque horrifica juxta ac tetra, Ludovici XI. ingenium et humanitatem certe parum commendare, inventoris profecto memoriam etiam opprimere potuerunt. Ego quidem nisi legentem prorsus oculi fallunt, invenio apud eundem Cominaeum, Ludovico regi Baluensem cardinalem arumnosae artis professione autorem fuisse, ut caveas adornaret ferreas magnitudine octopedales, staturae quam humanae non multo capaciores. Solertiae damnosae praemium autoris fuisse experimentum et quae primum surrexisset, in hanc cardinalem operis inventorem compactum. Non sum nescius, quam in historia fidem atque diligentiam vulgo scriptores Cominaeo tribuant, vereri tamen in ista civilis judicii subtilitate solitus sum, ne liberius ab illo, quam fidelius nonnulla literis mandata sint; et creditu haud usque quaque dignum in operarum et artificum multiplica solertia regem ad vilissimae fabricae dedecus amplissimi praesulis

Digitized by Google

adhibuisse consilium, longe vero indignius regis magnanimi et christianissimi curas ad ergastula et infelicium carnificinas projicere, si quae tamen hujus aut facti aut memoriae superest invidia, scil. a Guilhelmo in Baluensem derivanda est, de quo Onuphrius sic scriptum fecit. Joannes Balues Andegavensis, Gallus a Calixto IV. creatus cardinalis, 14 annos carcerem perpessus, obiit Romae anno 1491 sub Innocentio VIII. Inter haec nuntio obscuro de Guilhelmi morte Virdunum perlato domi ceu defuncto parentatum Romae, ceu vacuae sedi pastor petitus, ubi veriora emanarunt, clerus Joannem Lenoncourium impetrat a Calixto proepiscopum, intervallo missus in Galliam legatus Joannes tit. S. Petri ad vincula; hujus apud Ludovicum regem precibus Guilhelmus Haraucourius libertate tandem donatus est, cum eo ut ne in Lotharingiam unquam rediret, aut Virdunensis ecclesiae munus ullum attingeret, res illa gesta anno 1482. Erat in legati familia tunc

Nicolaus de Nicolinis archiepiscopus Atheniensis, cui sedes Vintimilia in Ligurum finibus. Hic Ludovico rege lubente Virdunum accipiens, Vintimiliam Guilhelmo reliquit. Verum anno sequenti sextili mense, rege ex hac luce evocato, Wilhelmus vi armisque patefacto reditu, Nicolaum religionis pacisque cupidiorem ad veterem episcopatum transmisit anno 1484, et sedem Virdunensem ad decimum calend. martii exeuntis seculi gravis senecta, rexit.

80. Waricus a Dompmartino (1500), ex abbate Gorziensi ordinis benedictini, studio Nicolai, qui 300 ducatorum pensionem ex vectigalibus ecclesiae Virdunensis capiebat, in lucem extractus, cujus tamen insolens Gerardum Ceraucourium, Vitoninum abbatem, vicarium sumpsit, sed parum felix gubernaculo excessit annis VIII. mens. IV. d. XI. in episcopatu positis.

81. Ludovicus III. a Lotharingia (1508), Renati ducis et Siciliae regis frater ex Philippa Adolphi Gellriae ducis filia, puer novennis. Lex illi data, ut cardinali Urbinati aureos mille penderet annui census, vicarius illi assisteret Nicolaus Gobertius canonicus Virdunensis, qui praeter honorarium annuum non sine fructu Vitonini coenobii res simul administrabat.

Digitized by Google

Ceterum Ludovicus anno 1522, cum Vandemontii comes, quam episcopus esse maluit,

82. Joannes cardinalis Lotharingus (1523), quem in Mediomatricum indice nominavimus, successit; qui, cum Tulli quoque sedisset, Paulum tertium anno 1534 in pontificia sede collocasset, decennio post sacerdotio quidem, at non omni ejus fructu abdicavit, ergo

83. Nicolaus a Lotharingia (1544), Antonii ducis filius, sedem accepit, qui tamen sacerdotiis omnibus facessere jussis anno 1545, cum Franciscus Lotharingiae dux vita exiisset, provinciae tutor ac rector adscitus, Caroli juventae moderator datus. Hinc matrimonio ac libris dedit operam, Vaudemontanae provinciae comes, successit igitur illi, aut potius translatum in se regimen a Nicolao sapienter disposuit,

84. Carolus de Lotharingia cardinalis virtute sua notus, cujus mox voluntate institutus episcopus

85. Nicolaus Psaulmaeus (1548), S. Pauli praemonstratensi disciplina coenobii primum abbas, vir excellenti pietate, religione atque doctrina, cujus saepe publicis curis gravibusque cardinalis industriam et prudentiam erat expertus singularem. Ejus breviarium vitae, quod vir absolutissimus olim nobis communicavit, Joannes Anethus primariae Mediomatricum ecclesiae decanus, Nicolai quondam familiaris ac domesticus, eique ob eximiam virtutem et humanarum juxta ac divinarum rerum scientiam praestantium operum adjutor consultorque, verbis illius subjicio: »Hinc episcopatum adeptus, ut qui domui »suae et ecclesiae Dei bene praeesse nosset, nec paucas nec »contemnendas temporales suae ecclesiae ditiones, a superiori»bus episcopis pignori vicinis principibus et viris nobilibus »datas, recuperavit et ecclesiae restitutas successoribus con»servavit. Insigne monasterium S. Pauli ordinis praemonstra»tensis ad muros urbis Virduni, belli injuria dirutum ac solo »aequatum, suis sumptibus quale in urbe nunc extat a fun»damentis exstruxit, et illic ordinis regulam exacte observari »curavit. Vir pius et doctus, doctorum et piorum haud »vulgaris fautor extitit, dioecesin tam prudenter et sedulo

»ab haeresi repurgavit, ut vix cis Alpes ullam reperires magis »immunem ac liberam ab hac peste. Sacrosancto concilio Tri»dentino trium summorum pontificum autoritate incoepto et »tandem feliciter absoluto, semper interfuit, in quo tanquam »vero amplissimo totius orbis christiani theatro luculentum »doctrinae et pietatis christianae specimen edidit. Juventutis »tam suae dioecesis, quam extraneae in moribus ac literis »instituendae, cura perpetuo fuit illi intensissima; cujus rei »causa aedes privatas magno pretio comparatas, maximo rei»publicae christianae commodo convertit in magnificum col»legium presbyterorum societatis Jesu, in quorum templo, ad »gradus summi altaris, cor suum, morti proximus, recondi »voluit, grave haud dubie argumentum, animi in eum ordinem »propensi et benevoli. Duo potissimum dictitabat necessaria »ad clerum in officio, et populum in fide catholica continen»dum, synodorum scilicet dioecesanarum frequentiam, et visi»tationem scilicet per universam dioecesin, quorum utrumque »pro ratione suorum temporum solicite praestitit. Habuerunt »privatim et publice perspectum ejus in se favorem omnium »mendicantium religiones, praesertim franciscani, quos bonos »homines dicimus: his enim templum ac monasterium eorum »professioni commodum, exstruxit. Obiit 9. die augusti anno »Christi 1575.« Eum omnium ordinum hominibus, ut pietatis et religionis exemplar, pauperibus ut patrem lugentibus; postquam pro ecclesiae tranquillitate, et principum christianorum pace, interdiu ac nocte publicas orationes et supplicationes aliquot diebus indixisset, easque ipse novem continuis diebus ac noctibus, vix quidquam ab hujusmodi piis laboribus laxamenti animo et corpori tribuens, observasset, et missam singulis illis diebus pie celebrasset. Tam sancto isto studio christianissime immortui corpus, excepto ut diximus, corde, conditum est sepulchro, quod in sacello Sancti Sacramenti ecclesiae Viridunensis vivens paraverat, sancte et religiose de resurrectione cogitans. Haec olim Anethus, columen et decus ecclesiae Metensis, ad me chirographo propriae manus.

Digitized by Google

Sub Nicolao anno 1552 Virdunum abolita veteris imperii specie, in potestatem venit Henrici II. regis Galliarum, et Carolus Lotharingiae cardinalis autoritate cives cum senatu exaequans, cum veterum privilegiorum fidem a rege juratam addixisset, abdicata senatus, episcopalis jurisdictionis quandam ideam revocavit.

86. Carolus Vaudemontius cardinalis, cujus splendorem animi et morum doctrinaeque principatum, angusta licet in tabella inter Leucorum praesules spectandum dabimus. Vivere et florere desiit anno Christi 1587, 30. octobris, duabus non subditorum magno moerore relictis sedibus. Pro eo Virduni factus episcopus

87. Nicolaus Boucherius (1588), laude virtutis ingenii et autoritatis. Ipse ut multa dicam paucis, Sernaci in Dormisio dioecesis Rhemorum in lucem editus anno 1528, Parisiis philosophiae laurea donatus 1555, hinc in Rhemensi academia humanae juxta ac divinae sapientiae doctor, mox seminarii moderator, ecclesiastes canonicus religione, doctrina, fide, studioque incredibili salutis curandae proximorum ab anno Christi 1564, quo sacris primum initiatus, in annum 1570 mores ac industriam archiepiscopo Rhemensi, eidemque cardinali ita probavit suam, ut is eum nepotibus Francisco Rhemensi praesuli, et Carolo Vaudemontio moderatorem unum ex multis deligeret. Quo munere sapienter ad annum usque 1574 perfunctus, sub initium efflorescentis academiae Mussipontum, cum Vaudemontio discipulo accersitur, quo junioris Caroli Lotharingiae principis juventutem una regeret, et optimis artibus imbueret. Quod quidem institutionis genus in Carolo juniore quam cumulate praestiterit, docuit illa quatuordecim annorum periodus, qua tanquam Arsenius lateri principis haerens, pius fidusque paedonomus, quae tenero animo privatim inseverat, eadem virtutis ac sapientiae praecepta luce palam in alumno suo expressa dedit. Caeterum Carolo Vaudemontio ad coelites evocato, Boucherius precibus Henrici Galliarum regis, Sixti V. pontificis nutu, adjutante Carolo duce Lotharingiae, Virdunensem cathedram obtinuit anno Domini

1588, decimo quarto maji, inde Parisiis, bona pace metropolitani, creatus episcopus, ad primam dominicam Adventus ecclesiam hanc suam, quibus religionis, abstinentiae, curae pastoralis exemplis, in magnis Gallicani regni fluctibus gubernarit, memoria tam recente nobilium factorum grato recolere animo, quam copiose hic describere malim. Et adest epitaphium in ecclesia cathedrali, quo tumulus cohonestatus, index virtutis, monumentum vitae laudabiliter actae :

D. O. M. S.

Nicolao Bocherio episcopo et comiti Virdunensi sacri Romani imperii principi a Sernaco in Dormisio oriundo, philosophiae et theologiae doctori, seminarii Rhemensis primo gymnasiarcho, cathedralis ecclesiae canonico, trium principum cardinalium Lotharingiae Vaudemontani et Guysii praeceptori dignissimo ecclesiastae, assiduo haeresion expugnatori alexicaco, multorum voluminum auctori emendatissimo, anno Domini MDXCIII. pontificatus sui V. aprilis XIX. postero die Paschae magno cleri et populi totius luctu. P. et N. Boucher et N. Milet ex fratre et sorore nepotes moestissimi posuere, vixit annis LXIV. mensibus V. dies VIII.

Requiescat in pace. Amen.

88. Ericus Vaudemontius (1593), Caroli frater, ortus sui splendore et excelsae spei fructu, ad hujus ecclesiae dignitatem aditum sibi patefecit. Sexennali quippe curriculo liberalibus variarum artium studiis Mussiponti perpolitus ad virtutis et doctrinae multiplicem elegantiam, ubi flagrantem civili bello Galliam vidit, Romam et Italiam raro pietatis exemplo adiit, lustravitque occasionemque ibi quaesitam ferunt, qua excusso episcopali onere ad portum religionis securius appelleret. Verum anno 1616 illa spe per summam authoritatem adempta, ecclesiae suae se reddidit. Sed in hac diversis jactatus ob electionem controversiis, cum earum fastidio teneretur, denique anno salutis 1610 pontificia autoritate fretus abiit, nepotique episcopatum cessit.

89. Carolus a Lotharingia (1610) igitur, Erici et Henrico comite de Chaligny nepos, dignitatem hanc onusque episcopale

Digitized by Google

eodem anno subiit, egregiae, atque ad omnem virtutem doctrinamque formatae indolis adolescens. Qui cum per aetatem infulae episcopalis capax non esset, Romanae sedis indulgentia admissus est, excultusque Mussipontana in gymnade idonea ad hoc munus eruditione, nec multo post ad episcopatum tanto religionis zelo excolendum accessit, ut irrepentes sensim, cum militia in hanc urbem accepta haereses, perque alias dioecesis partes, tanquam noxia quaedam pestis ab infecto capite in membra effusas, investigatione, studioque solertissimo represserit. Quam ad rem cum societatis Jesu patrum labores sibi per quam utiles fore cerneret, hos rudibus per cathechesin erudiendis, caeterisque a veritate deviis ad meliora passim revocandis adhibitum ibat, neque ipse deses sanctioris disciplinae instaurator, universas suae dioecesis peragravit ecclesias, atque ab ipso exorsus clero parochisque ad religiosas usque abbatiarum penetravit familias, explorator non minus sedulus delinquentium, quam ad meliora aspirantium adjutor et corrector pertinacium, unde ecclesiastica religiosaeque vitae disciplina vel amore, vel metu dioecesalium renovata pristino coepit vigore efflorescere, majusque hinc in patriam universam, cum exemplo derivari emolumentum. Ipse etiam sacerdotio initiatus, tanquam pastor optimus, sua exprimere vita sancte castigateque voluit instituta, quae latis legibus imperabat, verum tamen in hoc curarum aestu se suaque circumspectans, propriaeque salutis sollicitius procurandae anxius, cum animadverteret tam honoris venerationisque ab aliis impensae illecebra, quam negotiorum mole pietatis in se aestum, velut affusis fluctibus suffocari, ad tranquilliorem in societate Jesu portum salutis frequentibus coepit votis conatibusque aspirare, nec destitit, donec pontifice maximo Gregorio XV. ad desideria sua inclinato literas acciperet, singulari in principem affectu plenissimas, quibus adeundae societatis facultatem obtulit, quas ob scriptoris argumentique dignitatem huc duxi pro catalogi hujus conclusione transferendas.

Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, quam dulcia

christianis faucibus eloquia Dei nostri, plane desiderabilia super mel et favum, neque desunt hac aetate principes viri, qui id intelligentes paternas domus et aulas pro arctis religiosorum coenobiis contemnant, sapientique divitiarum neglectu beatiorem Indicis opibus paupertatem amant, id autem Divinae benevolentiae adeo certum argumentum est, ut nos plane carum animarum statum regibus invidendum arbitremur, quas a mortalium rerum contagione secretas in secretiora domus sui penetralia miserentis Dei bonitas deducit, salutarium praeceptorum lacte et coelestium consolationum manna nutriendas. Agnosco, venerabilis frater, in his verbis felicitate mtuam, nos quidem in his literis tuis coelestem S. Spiritus lucem contemplati sumus: gratias autem Deo egimus, qui te divitiarum honorumque contemptorem, Lotharingiae domus augere vult sanctarum artium, christianorumque triumphorum exemplar, triumphat plane de summis cupiditatibus, et diabolicis insidiis fraternitas tua, cum opulentiam atque episcopatus dignitatem, quo mortales tanto studio et contentione petere solent, ab apostolica autoritate demisse flagitas, ut tibi relinquere liceat, sub vexillo nominis JESU in sancti Ignatii castris militaturo. Benedicimus tibi intimo cordis affectu (venerabilis frater veram salutis scientiam edocte) et ne quod te impedimentum remoretur, apostolica autoritate concedimus, quod tibi in solitudinem secedenti Divinitatis voce praeceptum esse credis. Quod igitur christianae reipubl. bono fiat, abjectis humanarum curarum opumque impedimentis, proficiscere ad eam sacrae militiae societatém, catholici nominis defensione et haereticorum excidiis clarissimam; quam quidem, quanti nos facimus, duo illi christiani imperii propugnatores Ignatius et Xaverius Sanctorum cognomento nuper a nobis aucti, cunctis terrarum provinciis, seculorumque aetatibus declarabunt. Scuto divinae veritatis circumdatus et fidei lorica munitus, distringe ardentem charitatis gladium, non minores catholicae religioni in claustris victorias comparaturus, quam Lotharingi principes majores tui in castris pepererunt. Ut Virdunensem ecclesiam optimus episcopus hactenus salutaribus consiliis instruxisti

Digitized by Google

et moribus lectissimis ornasti, eam deinceps acuratissimis precibus juva. Nobis vero, quibus tutelam generis humani Deus concredidit, eas a bonorum omnium authore virtutes continentes postula, quae declarare possint, pontificatum maximum reipub. christianae praesidium, atque orbis terrarum patrocinium esse. Id enim si Deo favente consequemur, nobis certissimam aeternae salutis spem datam esse gaudebimus, qua ut felicissime perfruatur fraternitas tua, a Deo obnixe petimus, teque iterum apostolica benedictione communimus. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo piscatoris die 22. aprilis 1622, pontificatus nostri secundo.

Neque moratus post has literas eodem 1622 salutis anno societatis Jesu institutum amplexus est, magna omnium admiratione, qui episcopalem mitram et Romanam purpuram ejus virtutibus spe magna praeparatam, vili lacernae, despectaeque vitae religiosorum praeferunt, sed eximio Caroli gaudio, qui praegustatis jam per spiritualia exercitamenta coelestium rerum in solitudine deliciis, aularum strepitum fastumque posthabebat. Ne tamen vacaret ab honorato possessore mitra Franciscus a Lotharingia, Caroli frater, jam metropolitanae Coloniensium sedis decanus ac Medii Monasterii (Moyenmoûtier) abbas in locum anno 1622 est surrogatus. Cultioribus is Coloniae disciplinis eruditus, inter primos suae aetatis adolescentes naturae ingeniique dotibus jam olim efflоruerat, publicis saepe doctrinae experimentis, cum praesentium admiratione probatus, neque sequior pietatis indoles, jam inter caeteros Agrippinensis ecclesiae comites principesque eo honoris provexerat, ut cum primis de archiepiscopalis mitrae dignitate liceret contendere. Visus igitur is Carolo ac pontifici canonicisque Franciscus, cui Virdunensis infula credi tuto posset. Cujus tamen nuper (11. aug. 1661) defuncti administrationem virtutesque minus nunc quidem mihi exploratas, aliorum calamis posteritati commendandas relinquo.

Henricus Ludovicus Renatus Desnois, episcopus Virdunensis, Aymundi Christiani Francisci Michaelis, e comitibus de Nicolai, aõ 1769 die 9. dec. defuncti, successor, obiit exul, Confluentiae, 2. sept. 1793, ad D. Virginem sepultus.

Digitized by Google

CAPUT IV.

Episcoporum Tullensis ecclesiae catalogus.

Tullensium rebus nil poterat esse nudius, etiam postquam Franciscus Rosierii archidiaconi ejus ecclesiae stemmata decerpseram, et metropolis ipsius copia sublevatus ad authoritatis publicae fidem multa revocaram, cum opportune se dedit Carolus Mambourgius, homo veteris memoriae cupidissimus, qui et in summo collegio istic nobili praeditus sacerdotio, ac rerum divinarum juxta ac humanarum studiis egregie excultus, utilem posteris ac probabilem in multis navavit operam. Leuci vero finitimi Sequanis ac Lingonum populis per Vogesi montis juga extremis Triboccorum sunt inserti. Eorum civitas cum primum in Galliis arma aparuere Romana, Latinis literis innotuit, nam et annonam frumentariam C. Julio Caesari contra Ariovistum pugnanti subministravit, et sub Neronis occasum inter civilium tumultuum initia, Fabio Valente duce exercitum Romanum hospitio excepit. Clarior quoque metatione Romanorum itinerum magnam in Belgica primam celebritatem retinuit, Tulli denique nomen adepta, quod Romanum licet, et antiquius a decurionum vel municipum principe, quo natum serius tamen in indice provinciarium exprimitur, qui posteriore tempore conscriptus sive a B. Isidori breviculo, seu canonibus Galliarum putatur selectus. Adjacet urbs Mosellae flumini, qua propinquius id origini ab austro fertur in septentrionem, amoena planitie, quam utrimque cingunt in fastigium sublati montes; praecipua ornamenta, procul etiam ostentat SS. Apri et Mansueti vetusti nominis et religionis abbatias, suburbanis fere pagis. Cathedralis ecclesia S. Stephano protomartyris, et B. Gerardi praesulis memoriae dicata. S. Gangolphus quoque canonicorum inferiorum collegio praesidet, clarusque mansit Leo IX. pontifex urbano monasterio. Episcopus comes

Digitized by Google

urbis, atque provinciae in imperio Germanico principis locum habuit, ad quinque paroecias, quae populum modestum et prisci moris tenacem regunt, perampla ei foris jurisdictio, quae maguam Lotharingiae, et totam Barri ditionem, quam late quondam ipse dominatus, occupat. Quin et veteris sanctimoniae conscia Tullensis ecclesia duos de viginti canit Sanctitatis eximiae titulo gloriosos antistites.

Ecclesiam vere fecit Deus hanc renitere
Sanctis praesulibus quinque ter atque tribus.

1. S. Mansuetus (50) Leucorum ac Tullensium in agro primus christianae religionis sementem fecit, venisse eum perhibent una cum S. Euchario Trevirorum apostolo, ceterisque discipulis, qui ab ipso B. Petro rei christianae causa missi in Galliam. Ex veterum itaque sententia ejus adventui tribuendus Claudii imperatoris annus nonus, Christi vero quinquagesimus. S. Mansueti memoria ecclesiae Romanae et privis Tullensium fastis ad III. non. septembris inserta, Leucorum populos ad evangelium veramque salutem redigendi felicia et divina haec exordia sumpsit, quando insigni miraculo urbis praefecti filium inter spectandum ruina elisum, haustumque Mosellae vorticibus jam deploratum tridui intervallo, sub omnium oculis in vitam revocavit, atque hinc praefectum una cum uxore totaque familia et magna optimatum et promiscuae plebis multitudine undae salutaris lavacro abluit. Quare fructu uberiore discussis idololatriae tenebris, apostoli munere feliciter perfunctus, tandem ipse post longaevi sacerdotii munus, nam quadraginta nonnulli annos ei tribuunt, dignum in suburbanis sepulturae locum invenit, aede quam apostolorum principi condiderat, quae ut post obitum ipsius claruit miraculis, ita posteris saeculis florentissimo sancti Benedicti cumulata monasterio perenno Mansueti nomen reliquit. Successor editur Mansueti discipulus

2. S. Amon (90). Quem Domitiano imperante sedisse, et ab eodem excitata persecutione vitabundum appetiisse secessus nemorumque secreta, ubi ad eum quoque confluxisse christianos, libri rituales memorant. Porro magna sub eo Christi

Digitized by Google

religionem eversis passim simulacris et editis ab Amone mirandarum rerum signis coepisse incrementa, et quarto ab urbe milliario hodieque superesse Amonis sylvam, in quam ipse confugiens et a popularibus obsequio cultuque frequentabatur, sic eos vicissim ornasse christianae vitae officiis constat. Sepulchrum in S. Petri ecclesia apud D. Mansuetum obtinuit, ubi capitis parte relicta, demum in ecclesiam cathedralem translatus est ab Hermanno antistite et 23. octobris publicae venerationis habet memoriam. Vellem haec quidem uberius esse perscripta, sed valde hic pro more se contrahit prisca historia, unde de quatuor episcopis, qui sequuntur, nihil admodum literis dignum, vel domesticis quoque suppetit, qui nomine tenus laudatos ad annum imperii Adriani quartum, id est Christi 123 eos transmittunt. Sane in vita S. Mansueti, quam antiquis codicibus post cladem et incendii multiplicis damnata se literis prodidisse fatentur posteri praeter multas historiae veteris ostensiones, unius Amonis tantum video mentionem fieri, caetera communi temporum et oblivionis excusatione reticeri.

3. S. Alistas, eo tempore quo persecutorum rabies in pusillum Christi gregem saevire coepit. Sedulus ejusdem defensor extitit, sepultus in aede suburbana D. Petri, in qua caput ejusdem 26. augusti die eidem consecrata honorandum proponitur.

4. Celsinus.

5. Auspicius (123), quem Caesar Baronius ad Theodosii tempora relegat, Sydonii interpres martyrologio ad VIII. idus julii adscribit, utrumque, parum explorata notitia veteris memoriae incertum.

6. Ursus.

7. S. Aper (130) hic domesticorum fide memorandus, sicquidem ex D. Materni schola extitisse volunt discipulum, quique ad annum XI. Adriani aug. pervenerit, sed viae nominum hic nedum temporum insistimus vestigiis, ita lubricus harum aetatum cursus est. Successerunt ergo saeculis interruptis

Digitized by Google

8. S. Albanus seu Albinus (260), qui dispersas reliquias christiani gregis apud Leucos collegisse dicitur, et si quid id facit ad constituendam temporum epocham, ab hoc, ad Antimundum centum et amplius annos interfluxisse.

9. Triphoricus.

10. S. Dulcitius (285), Diocletiani imperio, precibus hujus ecclesiae publicis approbatus Sanctus.

11. S. Praemon sub Constantino Magno, quo tempore venenum suum Arius sparsit: conditus et ipse apud D. Mansueti cineres.

12. S. Antimundus (336) de quo Antonius Democharès adversus misoliturgos. »S. Antimundus martyr anno 273, vacavit sedes trecentis annis.« Sic ille. At domestici Antimundum ferunt extremis Constantiniani imperii annis, ecclesia Tullensi destituta sibique aggregatis Agentio, Pientio, Columba sociis, concessisse in eremum, sicque ducentos hinc abiisse annos episcoporum successione vacuos, veruntamen multa sunt, quae utrimque assensum cohibent. Nam errorum fluctus illos, quos furor Arianus excitavit, etsi concussisse quidem complures liquet illustres ecclesias, in Occidentem tamen incubuere languidius, estque vero propius, barbaricis irruptionibus, quas Belgica pertulit, episcoporum et memoriam et res gestas abolitas. Quare si conjecturae locus tam magnis in rebus dari potest, Antimundum potius dixero, Pientium, Agentium et Columbam post se reliquisse successores, quam orbata sede fecisse eremitas. Nec post tantam rerum omnium vastitatem ecclesiam hanc aequum censeas, minus episcoporum, quam eremicularum retinuisse nomina. Per nos itaque si licet episcopi numerentur.

* Pientius.

* Agentius.

* Columba.

Qui licet in tanti muneris fastigium non venirent immerito tamen excludentur.

13. B. Eucharius (361) episcopus celebri martyrio sub Juliano cum Eliphio fratre et Libania sorore per Salustium

Digitized by Google

Galliarum praefectum interfectus. Eum quippe Leucorum antistitem fuisse et manuscripta vita S. Eliphii et Rubertus Tuitiensis abbas ex majorum literis tradidit, canuntque pontificem libri rituales urbis grandis et confinium locorum, quae certe Tullensi sedi debentur. Porro Eucharius ad Mosellae litus juxta Pompeium pagum decollatus, et Liberdunense oppidum admirabili peregrinorum accessu cohonestavit, ita crebris ibi postea prodigiis editis patrocinii nobilius ostium omnibus ad se confugientibus aperuit; 23. octobris in ecclesia Tullensi quoque festivam celebritatem consecutus, jam ut expeditior quoque temporum ordo decurrat.

14. S. Aper (420) hic a me praeteriri non potuit, quem septimum, Tullenses secutus inter hujus sedis episcopos, numeravit Democharcs. Cum vero Leucorum ecclesia praeter unum hujus nominis, alium agnoscat nullum, erit sane haud facile, quo illum ex anno Christi centesimo quadragesimo, cui quidem ab illa affigitur, hac trajicias, attamen ubi decimo septimo calend. octobris in martyrologio Romano legitur Tulli in Gallia S. Apri episcopi, ibi Baronius, ex causidico monachum, ex monacho factum episcopum, scilicet eundem interpretatur, quem B. Paulinus Nolanus suis illustravit epistolis, vixisse perfamiliarem Amando Burdegalensi, vel inde constet, quod utrique literas pariter inscriptas miserit Paulinus. At floruit Honorio imperante D. Amandus, seculi quarti exordio, quam eandem in aetatem S. Aper conferendus est. Huic igitur potius, quando ipsum alia nulla ecclesia praesulem vindicat, praenobilis sedis et abbatiae quae Tullo ad meridiem adjacet, exordia dedero, quia ex Paulino traditur, *familiare secretum taciti ruris*, id est monasticen *adamasse*, quo se majoribus praepararet ecclesiae utilitatibus. Vitam S. Apri vetustis descriptam membranis legimus, sed ab aetate propiore, florido tamen ejus virtutum omnigenarum nitore respersam, in quibus id vestigium advocationis, quod Cabilone tres reos ab Adriano judice praeter fas vinculis constrictos, non sine indicio corrupti judicii, cum petiisset carceribus eximi sibique condonari, negante, prae insita naturae ferocia judice captivi

Digitized by Google

laxatis ope coelesti vinculis, sponte quidem in libertatem missi sunt, sed Adrianum malus genius invadens extortu spiritu vita privavit. Sub vitae finem, ajunt, extra muros oppidi basilicam incohasse, quae priusquam in culmen assurgeret, ex hominum vita ad coelitum regionem et sanctimoniam ita migrasse, ut in columbae forma evolasse animam, duas nubis instar columnas ad ejus descendisse exequias, corpus gratissimo sui diffuso ad astantes odore, eadem basilica receptum narrent. Inde opere templi perfecto, crebra apud Sancti memoriam curationum extitisse miracula. Conjugem quoque habuisse ferunt, quam secundum carnem non noverit, id sane notum est apud Leucos 15. julii B. Aproniam, S. Apri sororem, magno quot annis honore coli, ortum ejus, ut et Apri manuscripti libri membranacei repetunt, ex Tricassium urbe vico Tranquillo, quae civitas in provincia IV. Lugdunensi, qui Augustae Trecarum vocabulum posteriore aetate tulit. Inde profectum existimo, ut domestici quidam indices ad Augustam Trevirorum ejus et originem et educationem referant, cujus item historiae nec breviarii Tullensis editores poenituit, ajunt enim Treviris cum nobilibus et christianis parentibus esse natum, et fama virtutis cognitum, absentem communibus omnium votis in episcopum Tullensem, invitum licet et repugnantem cooptatum, hinc abstinentia, vigiliis, doctrina, miraculis sic episcopale gessisse munus, ut omnes sustulerit, obrueritque falsi daemonum cultus reliquias, sororem vero ipsius Aproniam fratris hortatu, suam Deo consecrasse pudicitiam, vitaque pure et innocenter exacta, Trevirorum civitatem, sanctitatis B. Aproniae consciam, illibati corporis reliquias, magno semper in honore habuisse, donec B. Gerardus eas Treviris Tullum transferret, atque in aede primaria recens abs se S. Stephano erecta dicataque, virginis corpus collocaret. Quorum tamen apud Treviros, quod ipsi volunt, vel nulla, vel adhuc incomperta memoria. Quin et Tullensis ecclesia in hymno sacro canit de Apronia:

Soror fuit clarissima
Apri Sancti antistitis
Ex Trecorum familia
Excellentis propaginis.

Et eodem ducunt quae nuper exiere Tricassinae dioecesis antiqua monumenta, quae S. Apro et Aproniae germanae solum natale dant apud Trecas, quem diximus Tranquillum vicum, cui hodieque nomen vernaculum haereat Traneaust. Jam succedat his quoque praeteritus a suis

15. Auspitius II. (457) doctrina et Sanctitate conspicuus, cujus, Beda et Baronio testibus, epistola metro conscripta, ad Arbogastem extare dicitur, eique Apollinaris Sydonius, et laudem conciliasse, et epistolam X. lib. VII. inscripsisse traditur, quod lib. V. annalium fusius enarratum est

16. Valerius quem Tullensis ecclesiae pontificem interfuisse concilio V. Aurelianensi, est explorata fides. Celebratum autem id concilium anno Childeberti regis 38. seculi circiter insequentis quinquagesimo secundo, manifestum igitur satis est ex his omnibus, parum ad veteris memoriae congruere fidem, Tullensi ecclesiae tot annis, adeoque saeculis, defuisse pastores. Addamus etiam medio tempore clerum Tulli extitisse disciplina ac moribus excellentem, quem caruisse episcopo nulla ratio patitur ut credamus. Ex hoc numero fuit Lupus Tricassinus Gallicanorum sui temporis antistitum, Sidonio teste, longe princeps, qui et Leucis summo genere natus, Epichorochio patre, et Pimoeniola matre, quae Hilarii Arelatensis fama celeberrimi praesulis soror extitisse dicitur (etsi Pimoenialam Hilarii quoque sororem, alii Lupum in matrimonio habuisse tradant); sane Eucherius ad Hilarium de laude eremi, Lupi Tricassini fratrem germanum celebrat clarissimi nominis scriptorem, Vincentium presbiterum Lirinensem. Porro qui in gymnasio Lirinensi ad virtutem maturuit, quique ad omnes pene gerendas rei christianae partes tot in Gallia discipulos e schola eduxit, is, amabo, qui facere potuit, ut pastorum nemini uni solum geniale commendaret? Denique et S. Vedastus Tulli, unde oriundum putant, repertus est eo tempore, quo Clodoveus rex devictis Alemannis Remos illac ad baptisma properavit. Hunc quippe Tullum ingressus rex, ob insignem opinionem Sanctitatis ex clero secum in Campaniam ceu quendam catechistam abduxit, ubi in sancti Remigii

Digitized by Google

familiaritatem cooptatus, demum ab eo factus episcopus ad urbem Atrebatum, ruinis Attilae etiamnum deformem, religionis instaurandae causa missus est. Colit ejus sancte memoriam ecclesia Tullensis ad 12. febr. et nominis ipsius templum habet, quod ex S. Vedasti domicilio suscitatum olim creditur.

Nec multo post viris aliis Sanctitatis fama clarissimis Leucorum dioecesis illustrari coepit. In his S. Amatus Vogesi montis eremicola; qui in suburbano Gratianopolitanae urbis loco nobili prosapia ortus, in Agaunensi coenobio religiosae vitae tirocinium auspicatus est. Sed contemplationis divinae amore in solitudinem se recepit spiritualique intentus alimoniae, vix corporis nisi coactus dolensque curam suscepit, ad quod alendum post tridui inediam, pauxillum aquae panisque adhibere consuevit, cumque nonnunquam sub cori specie insidiator daemon effusa aqua panem sustulisset, ad divam confugiens opem, e petra baculo percussa fontem elicuit, moxque et vicinum rupi, in quam se abdiderat, agellum colere, hordeoque conserere aggressus est, ut necessitati levandae hinc panis suppeteret. Quo labore distentus, cum avulsum arte daemonis saxum ingens de rupe sibi suaeque imminere cellae vidisset, signo crucis, et S. Jesu nominis invocatione saxum pendens cohibuit, rupique immotum affixit. Quadragesimali tempore nec pane quidem fruitus, quinis e nuce nucleis vesperi coenabat. Pelles illi vervecum aptatae in vestes, nuditatem adversus frigus aestumque tegebant, quem ipse apparatum supra regum lautitias deliciasque amabat. Luxovium tandem ne sibi solus prodesset, ab Eustachio abbate traductus, vitae severioris exemplo praeluxit omnibus et adjutus viri divitis, quem a seculo avocarat, opibus, virginum in monte Vogeso asceterium opulentum molitus est, quas ingenti collectas numero, in septem denique psallentium turmas ita partitus est, ut singulae duodecim virgines complexae singulis in choro aedis sacrae succederent, et dies noctesque non intermissa hymnodia, in divinis laudibus traducerent, quas ipse vicina seclusus in specu quot dominicis diebus egressus, salutari doctrina firmabat. In hoc coenobio Romarici montis (sic enim dictum) Magefildis, Sancti-

tatis nomine inclyta, Romarico atque Amato suffragante praeposita, abbatissae munere egregie perfuncta est.

Erat autem Romaricus illustri Francorum stirpe, Romulpho patre natus, in aula Theodoberti Austrasiae regis facile princeps, qui, rege per Theodoricum fratrem regno vitaque exuto, aulicae vanitatis studia detestatus, cum hinc Clotharius ad regiam, inde Amatus ad solitudinem invitaret, hujus ceptones, quam illius purpuram amplecti maluit. Quocirca opes pro Amati arbitratu ad gemina monasteria, alterum virorum, feminarum alterum, excitanda locupletandaque contulit, idque in Vogesi montis, Amato dilecti, recessibus, et hoc quidem amplissimum Romaricus geminis filiabus Gegobergae et Adfalvidi sub institutione Magdeflidis cum aliis virginibus addixit, istud masculis ascetis consignatum, Amati disciplinae commisit. Quo quidem munere hic impigre perfunctus, tandem sensit fatalem properare horam, quam procul intuens in cinere ac cilicio procumbens, annum integrum inter suspiria ac lacrymas praestolabatur, afflictione spontanea morbisque (quibus ut dignissimus exultabat) adeo attenuatus, ut ossa cute et carnibus jam nudata, paterent, velut gravissimus peccatorum sua exaggerabat, palamque confitebatur, ac deplorabat delicta, suffragia piorum hominum, Deique misericordiam implorans, voluitque ante sacrae aedis limen, ut omnium calcaretur transeuntium pedibus cum in hac inscriptione sepeliri: *Omnis homo, qui ad hunc locum sanctum ad orandum introieris, si merueris obtinere, quae postulas, pro anima Amati poenitentis hic sepulti Domini misericordiam digneris deprecari.* Sed haud multo post a morte coelesti monitu ad sacram translatus aedem digniori tumulo, et mirandis eventibus honorato, est collocatus, praeclaro exemplo humiliantis sese atque a Deo exaltati.

Romaricus Amato jam coelitibus adscripto, Sanctitatis ipsius vigilantiaeque aemulator monasteriorum pie sancteque institutorum curam ipse suscepit. Nec Deus admirandis supra naturam effectis viri optimi conatibus defuit. Nam ut erat alienae salutis, qua temporalis qua aeternae cupidissimus,

Digitized by Google

vacuum dolium, indigentia suadente, post Divini nominis invocationem signumque S. crucis, zutho salubri replevit, cujus deinde haustu, non sitibundi solum refecti sunt, verum et aegrotorum complures sanitatem combiberunt; unam e sororibus lepra correptam per aquam tactu suo consecratam, emundavit, alteram a daemone gravius vexatam, fusis ad Deum precibus, ab infami hospite liberavit, Grimoaldo majori domus regiae ambitiosius imperanti, funestum praenuntiavit exitum, quem ipse neglectum eventu infelici probavit, quando regiae dignitatis oppetens vita simul atque honore spoliatus est.

Denique Romaricus jam aevo ac virtute coelo maturus, postquam coelestis spectaculo Magdeflidem centumque propemodum cum eadem sorores incredibili beatorum gloria circumfusas vidisset, eodem invitatus haud multo post febricula mortalitatis vincula dirimente secutus est. Montem vero a se deinde nuncupatum, densissima nubes involvit, quae simul ac corpus funebri religiosorum cantu elatum est, igneum miri splendoris globum complexa, late corruscare coepit, qui recto in coelum levatus tramite, velut ignitus Eliae currus triumphantis animae speciem repraesentare est visus. Monumentum sepulchrale juxta D. Amatum nactus est, quod etiamnum una cum celebri virginum monasterio pristini honoris decora conservat.

Porro talibus tantisque viris Leucorum terras illustrantibus, nemo facile sibi persuaserit, praecipuam religionis illic sedem, episcopalem videlicet cathedram, suo fuisse pastore destitutam, cum fecundissimum hoc Sanctorum hominum et zelatorum divini honoris seculum, id nequaquam patiatur. Quare ut ad seriem episcoporum revertamur, Dagoberti regno proximus editur

17. Eudulus (599) Tullensis episcopus, mox

18. Dodo (619) longius rejici vix potest, qui, si tabulis quibusdam Romarici comitis Avendi fides habenda, Tullensis episcopus cum Arnulpho comite post episcopos Metensi Paulo Virdunensi publico diplomati anno Christi 620 subscripsit.

19. Theutridus Dagoberto regi familiaris vixit, quem aliquot suis minime annis definiti sequuntur.

20. Leudinus.

21. Eborinus vel Ebroinus (630).

22. Armentius.

23. Magnaldus, sed ejus hic rationem non habitam cujus vel maxime oportuit, sane quam admirati sumus, quid enim in seculo Christi sexto illustrius synodo oecumenica sexta Constantinopolitana, qua monothelitarum errores expugnati sunt? quid episcopis illis centum viginti quinque celebratius? qui anno 680 ab Agathone papa Romam evocati, istic frequentissimo conventu primum de monothelitarum causa tractare coeperunt; quorum etiam in quarta actione sextae synodi ceu in clarissima luce nomina posita sunt. Quippe ibi

24. Adeodatus, legatus episcoporum Galliae cum opinione innocentiae et magnae rerum divinarum scientiae praesens affuit, concilioque in hunc modum subscripsit: *Adeodatus humilis episcopus sanctae ecclesiae Leucorum, legatus venerabilis synodi per Galliarum provincias constitutae.* Post eum

25. Gribualdus, Garibaldus, quoque vitae sanctimonia floruit, qui, ut in actis S. Hildulphi Treverici perantiquis memoriae traditur, montium Vogesi possessor B. Deodato Nivernensi episcopo, cum in saltus illius penetralia, fugitans seculum sese abderet, loca condendis 'monasteriis opportuna attribuit idemque in S. Deodati memoria sanctissimi viri titulum retulit. Eum vixisse Pipini majoris aetate sub Childeberto rege, invenio. Non perinde

26. Godo (730) successor fama notus, qui partem regni Caroli Martelli in pontificatu exegit, urbique ex cladium ac incendiorum gravibus injuriis squallenti, cum affuit impigre, memoria tantum non penitus excidit. Illustrior

27. S. Bodo (747) non generis tantum, ex dioecesi Vesontiensi, Bertaldo patre et matre Bertilde, traducti, sed virtutis ac innocentiae praeconio et parthenone condito in Vogesi recessu, qui nomen ab ipso gessit non incelebris. Exemplum quippe Gundelberti Senonum archiepiscopi in oculis illi erat,

Digitized by Google

qui nuper Deo plenus Senoniense monasterium in ea solitudine collocans, idem urbis a se relictae vocabulo magis illustrarat. Bodo itaque, verba sunt antiqui scriptoris, Mediani Monasterii bonus pastor Leucorum, cum virgineis catervis locum suo studio ad unguem perductum replevisset; et suo de nomine nuncupatum iri, censuisset, ei praeesse voluit Christi famulam Tietbergam, quam ante pontificale decus susceperat, ex debito conjugii filiam. Alterum in memoriam D. Petri ad Murtam amnem instituit, quod canonicis regularibus primo attributum, praemonstratensibus deinde religiosis cessit. Tertium prope natalitium solum, ad Offonisvillam conditum est, quod S. Leodegario martyri est dedicatum, suisque, ut caetera, opibus a fundatore dotatum. Gloriosus denique praesul meritorum vitae plenus, post episcopatum insigni zelo ac Sanctitate administratum, immortalibus est aggregatus. Claruit Martelli et filii Pipini aetate, annumque excessit hujus saeculi quadragesimum. Tullis ad 11. septembris annua invocatur prece. Translatus demum ex aede B. Mansueti Tullo Lugdunum, cujus rei memoria ad III. iduum septembris martyrologio Molani adscripta Bodonis confessoris episcopi Tullensis, qui Lugdunum translatus mira fidelium devotione honoratur. Adscribi merito quoque huic catalogo potest

28. S. Hilduardus, qui tametsi praeteritus in albo domestico, Flandriae tamen annalibus et indiculo Sanctorum Belgii apud Molanum Tullensis episcopi nomen obtinet. Ipse ad Christi doctrinam efferendam longius in Flandriam concessit. Hic duce Magriptio qui piam viduam obtruncavit, cujus hospitio usus fuerat Hilduardus, et ipse variis cruciatibus est affectus, sed fidei constantia adversis juxta laetus atque secundis doctrinam catholicam constantissime praedicavit, ipsum Magriptium denique convertit et baptismo lavit. Hic Dielivennae oratorium exstruxit, in quo vir Dei IV. calend. januarii anno 750 glorioso fine decessit. Inde ejus sacri cineres Teneramundam, quod oppidum est Flandriae apud Schaldis et Tenerae confluentes illati, 7. die septembris praecipuo honore coluntur. Certum ad IV. quoque calendarum januarii

Digitized by Google

natalis B. Hilduardi Tullensis episcopi exprimitur. Seriem post Bodonem explet

29. Jacob (768), quo sedente B. Hildulphus Trevirorum archiepiscopus Vogesi solitudinem iniit, et ab hoc ibi sedes impetravit. Verba actorum Hildulphi sunt, quae antiquitatis causa libenter usurpo: *Per illud tempus Jacob, vir conversatione moribusque admirabilis, Leucham regebat urbem, qui cum pro sui sanctitate in ora omnium penderet, regibus quoque stupendus erat.* Abdicasse eum magistratum perhibent Caroli Magni imperio, et Divionem profectum inclusisse se S. Benigni monasterio, ibique quiescere. Hujus successores

30. Borno, qui apostoli elogium tulit, et

31. Unanimicus (770), qui et sub M. Carolo Tulli sedit. Surrexerat jamtum in urbis prope Leucorum conspectu magna religione et opum splendore S. Apri monasterium, quod et vicino pago nomen dedit. Ex hujus disciplina.

32. Frotarius (818) ad abbatis officium emersit: unde gradu quodam ad urbis sacerdotium ascendit. Hunc eundem interpreter, qui apud Flodoardum Caroli M. jussu favente Vulsario Remensi archiepiscopo ab Amalario Treverico ejusque suffraganeo Adalmato ordinatus dicitur, etsi Trevirensis ecclesiae Frotarius is ibi scribatur extitisse presbyter, memorabili erga sedem suam beneficentia omnium ecclesiae vectigalium et veterum exceptionum jura, commodaque a Carolo Magno et comitatus hujus urbis insignia sancita retulit, et pontificatum ad Ludovici Pii tempora protulit. Jam quin

33. S. Arnulphus quem Aurelianensem origine perhibent, in generali, quam vocant Tullensi synodo, quae anno Christi 859 a duodecim provinciarum episcopis celebrata, tum in Lotharii divortio probando Aquisgrani quoque conventiculo interfuerit, nullus ambigo. Exordium synodi est anno 861 indictione X. die III. calend. maji; ex vocatione domini Lotharii gloriosissimi regis archiepiscopi, coepiscopique eorum Aquis convenerunt, videlicet Guntharius Agrippinensis archiepiscopus et sacri palatii archicapellanus, nec non Theudgaudus Trevirensis archiepiscopus, Adventius Mediomatricum episcopus,

Digitized by Google

Atto Virdunensis, Arnulphus Tullensis episcopus. Porro in Sanctis Arnulphum ponunt Leuci. Ei

34. S. Arnoldus nepos surrogatus, qui Caroli Crassi, atque Arnulphi imperatorum gratiam nactus, horum munificentia ampliorem sponsae posterisque dotem reliquit. Meminit Flodoardus, cum Bertulphus metropolitanus per valetudinem adesse nequisset, postulasse ab Hincmaro, ut numero explendo episcopum ad ordinandum submitteret; ab eo vero submissum Willebertum Catalaunensem, qui cum caeteris Arnoldum antistitem consecravit. Et alibi ab Adventio Metensi et Berardo Virdunensi episcopis ordinationem hanc scribit in pago Metensi, regis jussu celebratam. Pervenit ad annum Christi 896 juxta Reginonis chronicon emendatius. Quippe eo ipso anno

35. Ludhelmus monachus ex Maximiniano Trevirensi monasterio ipsius in locum suffectus, et Tulli a Radbodo metropolitano, provincialibus una manum imponentibus, consecratus est. Restauratae urbis decus, quae flammis deformata fuerat, laudemque munifici et vigilantis episcopi tulit in Reginonis annalibus. Migravit e vita anno Christi 905 eique apud Reginonem successisse mox additur

36. Drogo, quem, clara satum stirpe Caroli Simplicis factione, ne statim iniret retardatum ajunt, neque nisi post octennium, tranquillam habuisse sedem. Hinc septem explesse annos per pacis studia, sed computus is haeret in vado, cum ita ad annum hujus seculi vigesimum non altius aetas ejus excresceret, at ego fidis literarum monumentis ostenderim ascendisse ad vigesimum septimum. Siquidem anno Christi 917 Rodberti metropolitae jussu Treviris synodum frequentavit. Post illum vero, unde et haec chronologia stabiliatur,

37. S. Gauzelius, Gozelinus, anno 952 Tulli virtutis et innocentiae gloria nituit, quippe eo tempore tabulis ab Ottone imperatore datis subscripsit, cui et urbis post vastitatem perpoliendae et restituendae templi autor extitit. Eum constat nobili ortum genere et educatum imbutumque liberalibus disciplinis a Notgero Alemanno, qui postea Leodiensium egregius fuit episcopus, arcem collapsae veteri monasteriorum restaurandae

disciplinae curam adhibuisse, et S. Apri monasterium D. Benedicti legibus severius adstrinxisse, multa quoque Henrici et Ottonis septum benevolentia ecclesiae suae commoda peperisse, quo religionis divinique cultus gloriam extolleret, publica monumenta testantur, quibus tamen de 40 annis in episcopatu expletis assentiri plane nequeo. Sepultus ipse in aede Buxeriensi, nobilium virginum benedictinae familiae coenobio, quod suo fratrisque Hilduardi sumptu a fundamentis exaedificarat, non longe a Nanceio Lotharingiae ducum sede, totaque dioecesi 7. septembris anniversario cultu celebratur. Ejus loco

38. S. Gerardus (960) Agrippinensi Colonia stirpe nobili ortus, Ingranno patre et matre Emma a teneris ad virtutem annis formatus, inter summi templi clerum coenobitica id temporis vita collectum adolevit, ut dignus aliquando ejus loci ministerio haberetur. Nec fefellit exspectatio, tanta enim vitae puritate morumque eminebat sanctimonia, ut cum a Divo Brunone Agrippinatum archiepiscopo, qui id temporis per imperium pro Ottone fratre pleraque administrabat, Tullenses episcopum sibi destinari rogarent, nemo dignior Gerardo repertus sit, qui tamen alieno magis imperio, quam arbitratu suo, frustra obluctatus, quod nolebat, episcopale decus munusque complexus est, tanto religionis studio, et populi faventis approbatione, ut cum nihil haberet gregarium praeter vestes nihil objectum praeter victum tanquam lapsus de coelo angelus coleretur, nihil illi gratius, quam vel orare Deum vel perorare ad populum, utraque dote adeo excelluit, ut avelli a precibus inter lacrymas plerumque fusis vix posse videretur, neque contentus horarum in templo decantatione, praecipuas psalterii cum domesticis preces evolvebat indies, cumque Romam peregrinandi causa adiisset, iter totum vexillo praelato suis aliorumque in comitatu religiosorum hominum precibus emensus est, et Tullis Romam supplicationem duxisse sit visus. Ticini ad S. Majolum abbatem, Adalbertumque postea martyrem, cum ministri ex mandato Gerardi attulissent in prandio aquam, coelitus haec in vinum commutata ministros cum Gerardo attonitos tenuit. Venientem Roma Sanctitatis illius rumore

Digitized by Google

excita obviam sese ingenti hominum fudit multitudine, quacum velut triumphans ad D. Petri basilicam progressus deseri, nisi in hospitio non potuit. Reversus trecentos facile Tullensium fame, quae id temporis grassabatur, ad Insubriam ejectos reduxit, suaque jam dudum penu horreisque ac farina etiam divinitus multiplicata, dum novae fruges adolescerent, sustentavit. Nec defuisse inter mendicabula Christum, ejus liberalitate se oblectantem, compertum est, tanquam evangelicae veritatis testem, qua sibi hanc charitatem impendi tradiderat, quae uni ex minimis suorum impenderetur. Pestifera lue Tullis saeviente post triduanum jejunium Sanctorum Mansueti et Apri sacra lipsana per urbem inter preces et lacrymas frequenti processione circumtulit, ac repente malum omne abstersit. Quibus etiam Sanctis a se publica reliquiarum expositione honorifice cultorum sanitate aliquando ex gravi aegritudine subito restitutus debuit, atque e lecto exiliens, suspitatoribus suis gratias supplex rependit.

Raro divini honoris zelo accensus hoc agebat, ut ecclesiis suis honos cultusque religionis constaret, unde earum excitavit plures, atque imprimis cathedralem S. Stephani protomartyris titulo insignem, cujus allatum ex Oriente sanguinem lapidi inspersum, istic cum lipsanis S. Apri et sororis Aproniae martyrisque Elifii reliquiis, honoranda proposuit, ac S. Gangolpho ecclesiam cum abbatia sanctimonialium (postea tamen viris attributa) erexit. Ad exquisitimos tum doctrinae tum naturae dotibus verbi Dei praedicatores deligendos formandosque omni studio vigilabat, quod ab his totius populi incolumitatem pendere imprimis sentiret, ut longe lateque Tullenses hoc nomine inclarescerent, et si quis excellentem ante concionatorem solennioribus festis vellet, is ex Gerardi disciplina Tullo peteretur. Ut mercatorum fraudes trutinasque ac fallaces mensuras everteret, obstinacioribus anathemate percussis, aequum deinde rebus pondus mensuramque reliquis territis induxit, ceterum cum in potentiores quosdam idem fulmen strinxisset, non levibus persecutionibus turbisque jactatus est, sua tamen patientia ac demissione victor. Quin ne eorum

Digitized by Google

quisquam in discrimen veniret salutis, absolvit tacite, quos publice ad exemplum corrigebat. Odabricum etiam et Richardum viros nobiles, postquam captus indignisque ab illis modis habitus fuisset, injuriam beneficiis ultus, anathemate liberos pronuntiavit. Ita plenus dierum meritorumque senex, e coelo praemonitus, vocatus ad beatorum, quos in vita coluerat, 9. calend. maji consortium discessit, cui postea variis miraculis celebrato Leo IX. pontif. coelestes honores decrevit. Porro ut ejus sic neque successorum aetas fideliter signata est, etsi nescius haud sim breviarii publici lectione tradi annis 30 in episcopatu positis ad nonagesimum quartum hujus saeculi vitae cursum extendisse. Numeratur hinc

39. Stephanus (994) qui ex Mediomatricum urbis clero ad Tullensis ecclesiae gubernacula traductus est, de Mediano Monasterio bene mereri visus, ejus certe loci incolae memores officii mutuam in ipsius conservanda memoria gratiam ei habuere. Medianum ferunt prae caeteris ecclesiae suae monasteriis habuisse in deliciis, et qua die istic oratorium Deiparae matris consecravit, restituisse templo campanam, quam decessor Gerardus Tullum inde transtulerat. Denique licet apud Bodonis monasterium hominem exuisset, in Mediano tamen sepeliri voluisse: »Sepultus autem, ut loquitur vetus »scriptor, a dextris altaris semper Virginis et Matris Domini »Mariae, in mausoleo, ex quo dudum levatae fuerant Sanc»torum germanorum Joannis et Benigni reliquiae: et pectori »ejus oricicula super imposita distichon abbatis Siconis in»scriptum habeas:

Hic fuit antistes Leucorum Stephanus olim
Idibus e terra martis decessit ab arvis.

Neque tamen annum obitus exprimunt, sed super tumulo ferunt duos e coetu monachorum odas missae decantantes solo afflictos ex fragore, qui sub pedibus eorum subito extitit, quod an reverentiae defuncti, vel memoriae Sanctorum Joannis et Benigni adscriberes, apud majores mansit incompertum. Ab eisdem vero Stephani successor proditur

Digitized by Google

40. Bertholdus (1010) quem natione Suevum et honestis seculi studiis deditum, magnificis extruendis domiciliis et eminentibus ajunt superesse hujus aetatis episcopos complures, minus tamen aequum fuisse Mediano, aliis quoque gravem ob magnitudinem impensarum. Vixit imperante Henrico Claudo, eique surrogatus

41. Robertus ex Mediolacensi Trevirorum nobili coenobio, qui huic tamen sacerdotio non longe superfuit: quare et Hermannus patria Agrippinensis brevi succedens levati S. Amonis memoria pietatis ac doctrinae praesidio sedem cum laude tenuit, donec amissa vita anno 1025,

42. S. Bruno (1049) in Tullensis ecclesiae gremio a pueris summa parentum voluntate sub Bertholdo educatus, expetente clero populoque et rege Conrado laudante, Tullensium post Hermannum antistes salutatus est. Hugone Egenisheimii et Dagsburgensi comite natus, Conradi Salici imp. consanguineo, et Helvide matre Alsata anno 1026 Wormatiae apud Vangiones Popponis Trevirorum archiepiscopi manu consecratus. Ex Tullensi demum aedis summae canonico in sedem episcopalem illustri doctrinae virtutumque merito abstractus est, donec anno ejusdem seculi 49 Damaso pontif. Rom. discedente ab imperatore successor designatus, Romam iter, ut nonnulli memorant, pontificali habitu ingressus est. Verum ab Hildebrando religioso monitus, Henrico imperatori nullam suppetere pontificis creandi potestatem, posita repente purpura et infulis, Romam privato cultu peregrini subiit, nec nisi legitime cleri Rom. suffragiis nuncupatum resumpsit. Sed hujus rei fidem in annalibus excussam reperies. Certe Bruno Romanis probantibus sub Leonis IX. nomine creatus pontifex summam hanc ecclesiae dignitatem egregia sapientiae ac religionis defensae propagataeque laude exornavit, ut redivivum in eo Leonem maximum omnes suspexerint: dum proculo odio ac favore, justitiae praescripta sequeretur pauperumque atque oppressorum nemo illum citra solatium auxiliumque interpellaret.

Ut primum Romam attigit, angelorum principem Michaelem veneraturus, Sipontum in Apuliam ad Garganam rupem supplex

Digitized by Google

divertit. Cujus forte illa, quam Sigebertus memorat, causa, quod cum ex Galliis anxius de sui pontificatus munere et administratione Romam contenderet, hac angelorum per viam hymnodia coelitus animatus fuerit: *Dicit Dominus: ego cogito cogitationes pacis et non afflictionis.* Ex hac peregrinatione reversus, monasterium Cassinense ingressus, peracto ibidem missae sacrificio, pro honoribus, beneficiisque sibi a Deo exhibitis gratias egit, locumque hunc pro suo in religionis cultores affectu, eximiis privilegiis ornavit. Tullensis ecclesiae curam tanto studio est prosecutus, ut hujus episcopatus titulum, ceu pastor proprius, licet universalis jam factus, deponere noluerit, ambitione tam laudabili quam demissa, quacunque incederet humilitatis pietatisque illustria reliquit vestigia. *Quamdiu Romae remoratus est,* ait Leo Ostiensis, *omni tempore tribus per hebdomadem diebus a Lateranensi ecclesia usque ad S. Petrum privato habitu nudisque pedibus cum duobus et tribus clericis noctu psallendo et orando pergebat.* Sed ab hoc privato religionis studio ad publicum ardentius procurandum se efferebat. Primum itaque anno 1049 Romae contra simoniacos concilium post dominicam, quam in albis nominant, instituit, poenitentiamque dierum quadraginta ordinatis per simoniacos indixit, priusquam sacramenta administrarent, lege jam ante a Clemente II. lata. Clericos vero ab haereticis certi gradus ordines rite consecutos, in iisdem citra promotionis spem jussit subsistere.

Subinde in Germaniam ad imperatorem inter Saxones morantem, atque hinc in Galliam per Ubiorum Trevericosque agros, comitante horum archiepiscopo Eberhardo, Remos usque progressus est, abbate Sancti Remigii ad dedicationem basilicae invitante, ut synodum illuc cogeret. Quamvis rex per episcopos praevaricatores, qui pontificis fulmen suis delictis imminens formidabant, in alienum traductus sensum, obniteretur. Sed Leo interritus adfuit, ecclesiam magnis erga D. Remigium devotionis argumentis consecravit, synodum instituit, atque in circulo istic (ne Trevericum et Remensem archiepiscopos de primatu et praelatione mutua contendentes

Digitized by Google

intempestive inter se committeret) praesedit, multosque episcoporum simoniaca labe infectos, aliosque proceres illegitimis toris innexos excommunicationis telo confixit. Et inter illos quidem ipse Remensis archiepiscopus accusatus, inducias pro sui defensione impetravit. Lingonensis vero de pluribus criminibus insimulatus, defensorem suum Vesontionensem episcopum constituit, qui dum pro excusatione orationem propalam institueret, divino repente judicio obmutuit, ac Lugdunensi pro eodem frustra interpellante die postero crimen suum silentiumque divinitus inflictum professus est. Remensi vero archiepiscopo ex consessu patrum fuga subducto, Trevericus a pontifice citra controversiam primas obtinuit, et suffragatione, reliquisque officiis caeteros, ut Lugdunensem, Vesontiensem, Suessionensem, Andegavensem, Nivernensem, Silvanectensem, aliosque illic praesentes antevertit, Senonensis vero, Ambianensis, Bellovacensis, et Namnetensis cum Remensi eodem concilio damnati sunt, plerique simoniaci labe infecti. Usurae proscriptae, clericis arma prohibita, vis omnis ab eisdem interdicto arcita, adulteria, simoniae, sodomiae, tori quivis illiciti gravibus poenis castigata. Quibus Leo peractis, Tullensique etiam ecclesia majoribus proventibus ditata, ad Moguntinam synodum, cum Eberhardo Trevirorum archimysta, aliisque praesulibus digressus est, ubi praesente Henrico imperatore cum Bardone archiepiscopo Moguntinensi in consessu 40 prope episcoporum non minus salubria, imprimis adversus sacerdotes fornicarios constituit. Ducem quoque Lotharingiae Godefridum bellorum gloria celebratum, caesari conciliavit, illustris in ecclesia poenitentiae exemplar futurum. Hinc Romam Leo reversus gemino concilio Romano et Vercellensi anno 1050 Berengarii haeresin, et Joannis Scoti librum, unde illam hauserat, cum suis autoribus damnavit, Lanfranco Berengarii amico teste atque oppugnatore sacramentariorum. Ibidemque praeter alia concilia, tertio post uno qui erat 1053 synodum collegit, in qua controversiis quibusdam diremptis Gerardum Tullensium episcopum Sanctorum numero adscripsit. Suenonem Danorum regem cognomento magnum et trium regnorum dominum

Digitized by Google

anathematis interminatione consobrinam sibi thalamo junctam coëgit dimittere. Ad dissensiones inter Andream Hungarum regem et imperatorem componendas vocatus in Germaniam revertit, utque ab Andrea se spe vana delusum sensit, militem ab imperatore impetratum praesens ipse, in Nortmannos ecclesiae vastatores, sed infelici eventu, duxit, nam victus in vinculis fuisset, nisi sua autoritate flexisset barbarorum animos, qui ut victorem sunt reveriti insontemque suis reddiderunt. Didicit tamen consultius feliciusque episcopos in templo, quam campo imperare. Ceterum scripta ipsius non minorem eruditionem, quam pietatem spirant. Epistola una, quae libelli vicem implet, Michaelis Constantinopolitani primatum, in Oriente Roma posthabita affectantis, ambitionem validissime profligavit, caeterosque Graecorum errores perstrinxit. Missa etiam legatione ad Constantinum Monomachum, in qua partes praecipuas Humbertus ex monacho Tullensi cardinalis episcopus Silvaecandidae tenuit, Michaelem egregie confudit, ac disertissimum illius propugnatorem Nicetam Pectoratum argumentis devictum ac resipiscentem in gratiam, ac communionem recepit; ceteros vero pertinaciter resistentes cum Michaele anathemate ab ecclesiae consortio propalam rescidit, Oriente ad hanc rem non leviter attonito. Sed priusquam hos vidisset ex Oriente reduces, Leo Beneventi morbo correptus, Romamque a Gaufrido duce Nortmannorum perlatus, sanctissime hac vita functus est, cum sedisset annos quinque menses duos dies octo, non sine miraculorum honore in basilica S. Petri tumulatus. Ratisbonna ut pauca memorem, proficiscens, rogatusque a dynastis Swartzenburgicis, ut S. aedem in S. Crucis honorem recens excitatam consecraret, neque itineris suscepti ratio hanc moram ferret, signo crucis manu formato, absens illam sacram esse Deo jussit, divinaque vis verbo adfuit. Cum reversi altaria S. oleo delibuta crucis insignia passim impressa, aliaque lustrationis rite peracta argumenta reperirent. Misericordiae illius quoque erga indigos profusionem Christus leprosi specie in domum lectumque receptus, ac subinde cum mirifica odoris fragrantia disparens, probare visus est. Tullenses non

Digitized by Google

intermorituram tanti praesulis memoriam 19. aprilis publica religione colunt. Plura de Leone, et quaedam horum explicatius in annalibus lector invenies.

Humbertum cujus supra memini, benedictini ordinis religiosum, eruditione excellentem, et Graeci Latinique sermonis peritissimum, secum Tullo Romam traduxit et cardinalitia dignitate auctum Orientalium erroribus expugnandis adhibuit, gloriose in Constantinopolitana synodo coram imperatore et episcopis Orientalibus contra Michaelis patriarchae arrogantiam triumphantem, quem una cum Friderico Godefridi Lotharingiae ducis fratre, legationis suae comite, anathematis sententia in ara summae aedis deposita, a communione fidelium proscribere ausus est. Quanquam Michael raptam excommunicationis sententiam, et corruptione depravatum odium populi adversus Romanos et imperatorem conflare ausus, mox revocatis a Constantino ex itinere legatis, fraudis iterataeque perfidiae reus compertus est. Humbertus, quam voce eorum adversariis victoriam extorserat, luculento deinde ad posteros scripto, Graecorum erroribus dialogistice apposito declaravit. Porro Fridericus ex abbate Cassinensi cardinalis, summus denique pontifex generis virtutisque laude clarus Stephani X. nomine ecclesiae an. 1058 praesedit.

43. Udo a Brunone designatus episcopus, qui anno demum 1061 hic gubernacula suscepit: quippe Leo pontifex ex his passim synodis habitis ad episcopatum suum nuper reversus, Gerardum in Sanctis posuerat, inde ad Romanam cathedram flectens consilia, Udoni primicerio Tullensi ex Sueviae atque Allemanniae ducum prosapia Tullensem permisit ecclesiam, qui summa cum dignitate annis duo deviginti huic sedi praefuit, et conditor fuisse perhibetur duarum Tulli basilicarum SS. Gangulphi et Amandi. Eo igitur vitam destituente

44. Pibo (1070), patria Saxo, Tullense sacerdotium iniit, ab Henrico IV., cujus ante cancellarius extiterat, in schismate laudatus. Leguntur de hoc Pibone Gregorii VII. rescripta, Hierosolymam adiisse, Sanctitate praecellentem fuisse praedicant domestici, verum inquinatissimae vitae criminibus cor-

Digitized by Google

reptum fuisse, satis constat, et apud Gregorium quoque pontificem accusatum. Quare hujus jussu ab Udone metropolitano et Hermanno Metensi, cognita causa, ad loca sancta profectum, quin et Divione ferunt sponte monasterii se solitudine damnasse. Sed retractum a clero vel invitum recuperasse sedem, quam haud dubie tenuit reconciliatus, etenim manifestum ad annum 1093 apud Bertholdum Constantiensem extat correctionis provincialium ecclesiarum argumentum, hisce verbis comprehensum, quod utique cum resipiscentia fuit conjunctum:

Metensis ecclesiae, et Tullensis, et Virdunensis ab obedientia Egilberti Trevirensis excommunicati, discesserunt eique non amplius obedituras apertissime mandavarunt.

Quia vero Pibo annis octo supra triginta pontificatum extendit, ejus memoriae debentur abbatiae S. Leonis primordia, quae hodieque in Leucorum urbe nomen tuetur suum, operae pretium vero hic Bertholdum ob testimonii fidem inducere loquentem:

»Ludolphus sanctissimi Leonis papae filius sanctaeque »Tullensis ecclesiae decanus, monasterium clericorum, quod »canonicum Romani cognominant, prope eandem civitatem »construxit, in quo clericos secundum regulam S. Augustini »vivere professos congregavit, quibus et praepositum ejusdem »professionis praefecit, quem episcopus loci in abbatem eidem »congregationi solenniter consecravit. Est enim consuetudo »in illis partibus, ut praepositi hujusmodi abbates nominentur »et in abbates consecrentur. Hoc tantum excepto, quod ba»culos non portant, dominus quoque papa Urbanus eidem »loco privilegium fecit, in quo firmissime decrevit, ut clerici »illius loci regulam S. Augustini in perpetuum custodiant, et »deinceps libertatem eligendi abbatis semper obtineant.« Est autem illud monasterium in honorem S. Leonis papae specialiter constructum, et ecclesia in ejusdem apostolici honorem dedicata. Datum est hoc privilegium in Longobardia venerabili Ludulfo a domino papa anno dominicae Incarnationis 1095. Biennium ferme hinc Pibo superfuit cum

Digitized by Google

45. Riquinus Commercii comitum illustri domo natus, ex primicerio factus episcopus: primiceriaque dignitas unita collegio fructibus in commune collatis, cum eo antiquita fuit. Extat ea de re Innocentii pontificis, hoc nomine III. rescriptum, in decretalium primo, qui Romae anno 1198 sedere coepit, cujus autographum clarissimus vir Mamburgus canonicus et archidiaconus in hujus ecclesiae tabulariis se tegisse confirmabat. Riquinum quoque schismatis reum extitisse Cunonis Praenestini ad Brunonem archiepiscopum epistola docet, sed emersisse tamen, brevi pax sub Calisto toti ecclesiae restituta suadet. Unde et S. Bernardus eum blanda per epistolam salute dignatus, haud imperitum canonicarum sanctionum, sanctum et venerabilem plenumque dierum compellat. Decessit autem morte sua Riquinus 1124, nec omitti

46. Conradus successor ejus debuit, quem anno 1124 cum Henrico Virdunensi reperio Brunonis metropolitani curasse exequias.

47. Henricus, Theodorici Lotharingiae ducis filius annis in episcopatu positis quadraginta memorabilis: juvenem et non nobilem, primoque magistratu non satis compositum notavit S. Bernardus, sed militia sacra quam pietatis ergo cum Ludovico Galliarum rege anno 1147 iniit, adolescentem opinor edomuit. Pro eo tandem

48. Petrus Brixeio (1191) oriundus Tulli creatus antistes vir honesto nobilique apud suos loco, Liberdunum S. Eucharii sociorumque martyrum sedem, cum alio cultu, tum canonicorum instituto collegio, ornavit. Folmariano schismate plurimum sane jactatus, censuram anathematis quoque pertulit. In Italiam dicturus causam suam profectus, cum moriente Urbano Gregorium sibi placidum et amicum nactus esset, non modo a Folmari censura absolutus est, sed leniendo schismati metropolis oportunam navavit operam, ad pontificis etiam consecrationem admissus. Denique bello sacro Hierosolymam contendens, ibidem supremum morte diem clausit anno 1191.

49. Odo Sarceus (1191), ex archidiacono Tullensi episcopus, recte prudenterque munus excoluit; clero Tullensi apud

Digitized by Google

Liniense oppidum D. Genetricis et S. Apri ecclesias et plures alibi cum jure patronatus attribuit, dimidio fructuum assignato vicariis. Sexennii sacerdotio defunctus, ex pravis successoris moribus clarius ipse nomen invenit.

50. Matthaeus (1198) is fuit, Matthaei Lotharingiae ducis, ut creditur, filius, qui ad curam sacrorum antistes a clero captus seu paternae decus imaginis licentioris vitae fiduciam dederat, seu suapte praeceps indole vitiorum quibus obsessus claustra non pauca disjecit, magistratum hunc sacrosanctum libidine, avaritia, ac rapinis inquinavit, ac tetriore demum his addito facinore, cum meliorem superstiti praesulem submissum, et violenter abreptum, trucidasset, infelicem lethi exitum matura ultione sibi peperit, sicquidem manu patris qui justitiam pietati postponeret, occubuisse proditur. Huic narrationi ne abrogares fidem, fecit Thomae Cantipratani libertatis plenum non magis quam veritatis testimonium, qui tanquam de recentis memoriae facinore sic illud exequitur, tacito nomine. »In confinio Germaniae civitate Tullensi, episcopus luxuriae deditus ac rapinis, episcopatu privatus est, et dejectus, cujus in locum cum vir nobilis et devotus esset electus, ac consecratus et episcopatum regeret digne Deo, a praedecessore suo deposito nequiter raptus est, et occisus, qua de causa a fratre proprio deprehensus, vicaria morte punitus est, alterius jam mihi innocentia plenius commemoranda esset, quo strictim percussa opprobrii deformitas, magis posset repraesentari, sed pudore deterrimi sceleris fulgor probatae virtutis videtur extinctus.« Quare Cantipratani elogio

51. Reginaldus a Silvanecto (1200) plurimum gloria crevit, qui et hujus acerbitatem mortis tantarum virtutum solatiis allevavit, et interfectorem suum non obscuro perperam actae vitae testimonio afflixit. Reginaldum enim domestici memorant a Matthaeo interfectum, postquam a pontifice maximo hanc in sedem missus esset. Anno 1200 Jovillariense monasterium ordinis praemonstratensis in dioecesi Tullensi claruit, a Godefrido Jovillarii domino conditum, qui et hoc anno e vivis abiit. Anno 1212, ut observat Tullensis archidiaconus

Digitized by Google

Rosierius, Reginaldus Tullensis comitatus jus, numeratis Friderico comiti 350 libris, in se hypothecae titulo transtulit.

52. Gerardus II. a Pulligneio (1215), qui antequam iniret Romae sibi stabiliri honorem voluit, unde reversus brevi vitam reliquit 1216. Post eum vero

53. Odo (1217) prodiit e gente Vaudemontia, cui post 11 annis omnium votis suffectus

54. Garinus (1229) ex abbate S. Apri, qui Tullensium *antistes, tantam*, ut Saussayus loquitur, *in eo munere praestitit in Deum religionem, in clerum ac populum vigilantiam, ut confecto cursu sanctissimae administrationis anno salutis 1230 nomen in veneratione reliquerit, suamque gloriam divinis circa sepulchrum glorificationibus prodiderit.* Recolunt memoriam ad diem maji 10.

55. Rogerus (1230) in Marceio Tullensibus, qui tunc ecclesiae regimen atterebant, jura temperavit, maleque parentes vicinorum dynastarum fretus auxiliis obsidione frenavit. Theodorico Trevirensi archiepiscopo anno 1238 Treviris in synodo provinciali affuit, diem suum Liberduni obiit. Anno 1250 memorabile fuit Rogerii narrant facinus, quod inter infestas acies Matthaei Lotharingiae et Henrici Barri principum in Joannem Asperomontem episcopum Metensem euntes, medius arbiter a praelii ardore reflexit, infensisque pacem suasit.

56. Gilo a Sarceto (1253), nepos Odonis, a Wilhelmo Romanorum rege probatus laudatusque, qui cum abiisset episcopatu ac vita anno 1269, et cum avunculo in cathedrali ecclesia sepultus esset, decennii subiit vacatio, dum Joannes a Fonteneo et Rogerus ambo candidati sedis gubernacula distrahunt et pontificis demum authoritate repelluntur. Quare

57. Conradus tandem cognomento Probus (1279), Germanica origine surrogatur, Constantiae, ut quidam, vel ut alii tradunt Tubingae natus, et disciplinae ac professione franciscanus Allemanniaeque provincialis, vir doctrinarum fama et animi magnitudine, aliisque virtutibus spectatus. Civiles quoque discordias in veteri de jure civitatis controversia graves expertus est, ita ut Tullensium male pacatorum et clerum

Digitized by Google

divexantium, impetus ac furorem evitarit. Honorii, vel ut volunt alii, Martini IV. legato, in decumarum exactione ex metropolitani sententia acrius restitit, et sedis apostolicae gratiam labefactavit, quin, ut Colmariensi chronico ad annum Domini 1287 annotatur, Coloniensi archiepiscopo junctus concilium, quod pontificis legatus in Germania moliebatur, discussit. Non siluit Conradi libertatem Nauclerus in generatione 43 anni »quem expressimus eadem nota, Honorius IV. misit »in Alemanniam legatum a latere cardinalem Tusculanum, »qui Herbipoli praesente rege Rudolpho vocavit concilium, et »quartam partem omnium proventuum per quatuor annos »postulavit, multis ergo archiepiscopis, episcopis, praelatis tre»mentibus, surrexit Probus episcopus Tullensis ordinis fratrum »minorum de Tubinga oriundus, et stans super baptisterium »noviter in ecclesia Herbipolensi aedificatum, pro omnibus »appellavit. Affuit et primae generali franciscanorum synodo, quam Argentinae tres supra triginta provinciales ordinis, monachi septingenti frequentarunt, cohonestarunt Rudulphus dux Austriae et quatuor episcopi, inter quos Probus et Henricus Basiliensis, qui postea Moguntinus archiepiscopus evasit. Porro Conradus hinc apud pontificem accusatus, et sedem expertus parum tranquillam, ad disciplinam S. Francisci regressus, honorem ultro posuit, quod graviore persecutus oratione Nauclerus, ab episcopatu dejectum et retrusum in ordinem suum, retulit. Vita ajunt perfunctum anno Christi 1296. Eo sedente Leuci nocturna irruptione a Thoma Albimontio oppressi, Virginis Deiparae favore atque oraculo excitati de somno, hostilem injuriam evasere, qua de causa D. Genitricis imagini, quae in aede principe asservatur, hodieque summus honos habetur.

58. Joannes a Sirck (1297) nobilis apud Treviros et perantiquae familiae pars, qui Ultrajectensem nuper adeptus sedem, cum novem ei annis praefuisset, Bonifacii jussu Wilhelmo Mechliniensi istic concedens, transiit ad Leucos. Eruditionis laude non caruit, Adulphum caesarem in obtinendo sacerdotio patronum habuit. Anno 1302 ab Alberto rege missus est Romam, maximis de rebus apud pontificem legatus. Hinc

Digitized by

et a civibus ipse duriora perpessus, cum novem item annos ecclesiam hanc administrasset, abiit e vita anno 1305. In Argentinensium episcoporum commentario, Joannes in dissidio suffragiorum a parte quadam legitur salutatus episcopus, anno hinc toto serius ut brevem inde sic posteris vix notum magistratum

59. Guido (1306) Burgundus habuit, qui a Clemente V. Tullensem sedem adeptus, ipso in itinere vitam juxta ac sacerdotium amisit. Affuitque mox

60. Odo Burgundus alter Grandisona stirpe, qui tumultuantem adhuc urbem nactus, postquam gravi rebellibus inflicta mulcta coercuit, ad Basileensem cathedram evocatus est.

61. Otho Columnensis (1310) familia Romana salutatur Leucorum episcopus, quem magno errore domestici, eundem esse tradiderunt, qui Martini V. nomine pontificatum Romae obtinuit. Enim vero hinc integro ferme devolvente seculo Otho is in concilio Constantinensi demum anno 1417 pontifex creatus est, ubi igitur propriis documentis deinceps destituimur, in tam langvida nominum serie archidiaconi Tullensis vestigia legam, saepe quod mireris nullis annorum notis impressa. Post Othonem itaque

62. Joannes ab Arsiliers, Campanus, ecclesiae Tullensi praefuit, eamque annis undecim usque ad 1321 curavit. Successit Joanni

63. Amadeus inter Sabaudiae ducum origines ex Imedis et Imedingis Saxonicis haud obscurum nomen, et Gebennensis comitis filius. Huic post novem annos

64. Thomas a Bourlemont vel Blamonte, quem agnoscunt Tullenses cum Metensibus adversus eum conjurati juris sui vindicem neque remissum, neque inertem popularium repellendis injuriis. Castrum Mezerianum extruxit, sedit deinceps,

65. Bertrandus a Turre, natione Avernus. Cui Carolus IV. frequentissimo apud Mediomatrices conventu impense favit, ipsamque Leucorum urbem adiens, omnia ei majorum regalia jura confirmavit. Inde ad Aniciensem Vellaunonem ecclesiam apud Arvernos, vulgo le Puy, translato sacerdotio,

Digitized by Google

66. Petrus a Barreria (1359), Aquitanus, Innocentii VI. ejus nominis papae gratia Bertrandi in locum suffectus. Hic item ob doctrinae et ingenii famam in Gallia spectatus, ad Aeduorum episcopatum transiit et anno demum 1368 a Clemente VII. creatus cardinalis tituli SS. Marcelli et Petri, quo et Onufrius illum recenset. Superstitis locum

67. Joannes ab Hoio (1363) nobilis Metensis annis fere novem tenuit, quem Metis defunctum excepit

68. Joannes a Novocastro (1372), nobili prosapia ex Burgundionum finibus, qui cum Avenione degens plerumque opera vicaria Tullensem rem gessit, magnam turbarum popularibus facem accendit. Verum et ipse allectus tandem in collegium cardinalium est (qua de re Onufrium loquentem audire forte malis), anno Domini 1383 pontificatus VI. X. calend. januarii Avinione papa Clemens VII. quarto, creavit cardinales, inter quos fuit frater Joannes de Novocastro, Arago Hispanus, ordinis praedicatorum theologus, episcopus Tullensis, presbyter cardinalis tituli SS. quatuor Coronatorum, ac tandem praesul Ostiensis et Veliterinus. Porro cum sex et viginti annos Leucis praefuisse memorent, repetitis initiis, anno 1398 hujus sacerdotii successorem acceperit. Obiisse namque serius, ineunte puta sequenti seculo, notavit Onufrius, quem per omnia ut probem, invitus hic facio. Nam et Aragonem et professione dominicanum extitisse non video. Burgundionem tradidere majores, et Avenione, ubi mortuus, et sepultura donatus, tanto carthusiensium disciplinae flagrasse desiderio, ut sub cardinalatus habitu, eorum et regulam et institutum sectaretur, iisque sepulchri commercio jungeretur.

69. Philippus a Villa (1398), qui sopitis Leucorum de repub. controversiis et reis ecclesiastica censura notatis, Perpiniani in curia pontificis moriens, fratri locum dedit anno 1408.

70. Henricus is fuit a Villa, qui vixit in episcopatu usque ad ejus saeculi annum tricesimum sextum

71. Ludovicus ab Haroucouria (1434) anno sequenti apud Leucos sedere coepit. Verum Guilielmo de S. Theodorico

Digitized by

Virdunensibus haud convenienti, mox Tullum Ludovicus tradidit, ipse ad Virdunensem sedem quam obtinuerat ante, rediit.

72. Guilielmus a S. Theodorico (1449) ex episcopo Virdunensi factus Tullensis, ubi Friderici tertii ope atque authoritate comitis dignitatem, atque titulos recuperavit, ad Tornacensis ecclesiae gubernacula in Nervios abiit. Provenere hinc sequentes, quos quia sterili relatione comprehendo, ubi honorata memoria recens licet, non suppetit, majorum silentio malim, quam scriptorum, quos sequor, culpae deputes. Hi sunt

73. Antonius de Novocastro (1460), nobilis Burgundus, Joannis cardinalis abnepos, hic trîginta quatuor annis in episcopatu expletis, Parisiis vitam finiit anno 1494.

74. Udalricus (1494), Albimontis comes, qui postquam Metensis ecclesiae suffragiis excidit, Tulli tandem factus ex archidiacono praesul, 12 annis sedit, obiitque diem 1506, sepultus Danubrii in ecclesia, quam liberali munere ipse condidit, fundavitque.

75. Hugo de Hazardis (1506), qui pietate juxta ac eruditione clarus, celebrem illum sequentis seculi, quem Maximilianus imperator Treveris habuit congressum illustravit, et Blenodii natali suo sepulchrum accepit anno Christi 1517, quo etiam iniit postulatu collegii cathedralis

76. Joannes a Lotharingia (1517) cardinalis is, cujus in sacerdotiis olim opulentiam ex Onufrio annotavimus. Ejus abdicatione sedem hanc adeptus post septennium

77. Hector Dallyus (1524) Arvernus nobili apud suos loco qui, cum octo ecclesiam Tullensem annis administrasset, et operis egregii sacellum juxta palatium episcopi sepulturae monumentum reliquisset, sacerdotium moriens relegavit ad autorem Joannem cardinalem, cujus beneficio atque commendatione illud adiit. Quinquennio post (1532)

78. Antonius Peregrinus, qui Provinciam natale solum habuit, et quinque circiter annorum fructu laetatus, 1537 ad suos reversus anno 1542 destituit humana, ergo ad Joannem iterum delato sacerdotio

79. Toussanus id excepit cognomento Houssedius (1543, 1549), natus in Flandriae oppido Valencenis, qui synodum Trevericam hoc seculo nobilem prompto rei juvandae christianae studio plurimum ornavit. Sub eo quoque urbis gubernacula memorabili vicissitudine conversa sunt, Galliarum regis semel accepto, et nunquam inde dimoto imperio, ex quo Henricus II. hac Argentoratum versus anno 1552 in Germaniam exercitum duxit. Obiit Toussanus anno Christi 1565 cum annis 22 Tullensium sedulus pastor invigilasset, sepulturam in ecclesia Tullensi cum successore in episcopali sacello nactus est, ubi hoc ejus legitur epitaphium:

Hic jacet reverendus in Christo pater ac dominus Toussanus Houssedius e Valencianis Hannoniae oppido, olim illustriss. et reverendiss. Joannis cardinalis a Lotharingia secretarius, postmodum episcopus et comes Tullensis, cujus impensis in hac ecclesia insigne constructum est odeum, mortuus Nancei tertia julii anno Domini 1565.

Coadjutorem quem a Pio IV. acceperat, successorem adeptus est. Quippe ejus in locum postulatus

80. Petrus a Castelleto Lotharingus (1566), praenobili majorum stirpe, cujus effigiem animi virtutum sane vivacem epigrapha tumuli praebet:

D. O. M.

Petro a Castelleto Sorcei domino, S. Martini ad Metas abbati religiosissimo, ecclesiae Tullensis episcopo sanctissimo, Antonii Francisci et Caroli illustrissimorum Lotharingiae et Barri ducum inter consiliarios principi prudentissimo, doctorum fautori liberalissimo, viduarum pupillorum pauperum solatori munificentissimo, dum christianae reipub. patriaeque dignitati sedulam dies noctesque operam navat, diutina corporis et animi aegritudine fracto aetatis anno 64 salutis humanae 1580 ad VII. calend. febr. suum in Christo diem functo magno sui desiderio lugenti patriae relicto.

Parentes molestissimi ponebant.

Inserit his quoque se praesulum infulis

Digitized by Google

81. Carolus Vaudemontius (1580), qui et idem a Lotharingia cardinalis, insatiabili doctrinarum, et virtutis pectore ad summum gloriae cumulum evectus. Quid cesso vires ingenii doctrinaeque praedicare, quibus aperto sinu quaecunque disciplinarum genera recipiens Mussipontanae academiae spatia exactissimae doctrinae lineamentis implevit, omniaque docili animo philosophiae et theologiae arcana sic hausit, ut non mature magis, quam celeriter multiplicis scientiae palmam arriperet, cumque scriptis et editis maximarum artium, ac rerum divinarum theorematis fructus ingenii, toti Galliae approbavit, tum elegantia morum, et eximio pietatis et religionis studio in societatis Jesu gymnasiis sic profecit, ut quo tempore vix alii cunabula, hic stabilimenta virtutis haberet, societatem sic animo ac voluntate complexus est, ut cum ejus ordinis hominibus suavissime conviveret, hujus corporis esse se membrum dictitaret crebra ac iterata inspectione et synodis repetitis, Tullensem ecclesiam constituit, multumque ab anno 1585 in rebus ecclesiae componendis societatis Jesu usus est opera. Denique Virdunensis episcopatus accessione auctus, postquam cum onere zelum et animarum lucri facundarum spiritum intendit, suprema ei vita extitit recta in coelum via, decessit anno 1587 Tulli, ibidemque tumulum, sed non diuturnum accepit. Quippe Mercurii dux, germanus frater, Nanceum ad aedem franciscanorum translatum elegantissimi operis marmoreo monumento condecoravit, cujus auream inscriptionem, immortali praesulis memoriae neque nos hic reddere pigeat:

In parte superiore.

Non tibi se quisquam Lotharingi sanguinis haeres pondere virtutum meritisque et dotibus amplis praetulerit, et si fata diem meliora dedissent, sed te immaturo raptum dum funere mergunt. Impuro redimunt morientia tempora seculo.

In parte inferiore.

Viden viator tot principum flores fato succisos et hic jacentes? Unus adest quem raptum querare et plangas, nam Carolus Lotharingius cardinalis Vaudemontius episcopus et comes Virdunensis et Tullensis, sacri imperii princeps, qui

Digitized by Google

purpureo apice clarus, morum odore suavissimus, doctrinae succis saluberrimus, Lotharena radice illustrissimus in spem eruperat incredibilem, probitate insignis virtutibus ingens religione incomparabilis, et avito in haereticos odio flagrans indicibiliter, vere flos temporum, nam cito natus cito raptus, cito flacidus nondum 29 annos delibarat, cum fatorum turbo furentibus febrium austris quatit, frangit et disjicit humi exanimem. O crudelitas! siccine principem virum tam acerbe, haud aliter mors insolens gloriam parat, caeterum viator ne percunctere, cur tam cito perit, nam perit, quod tam impuro saeculo vivere non debuit. Tu qui pius es, pio principi bene precare, et abi in rem tuam, haec te volebam vale.

Philippus Emmanuel Lotharingius dux Mercurii memoriae fratris incomparabilis frater optimus moerens pro singulari amore hoc monumentum consecravit. Obiit anno a nativitate Christi 1587 die XXX. octobris.

Vacatio post ejus obitum annua prope secuta, quo tempore cathedrale collegium res ecclesiae suae curavit, donec Sixti V. pontificis autoritate sacerdotii curis admotus

82. Christophorus a Valle (1588) nobili majorum stirpe generis Lotharingici, qui sedem magna tranquillitate et justitia adstrepente licet interim non raro Bellona ad tempora novi saeculi tenuit: doctrinarum et rarae prudentiae pulchrisque virtutum numeris spectatus antistes, cui Tullensis ecclesia hoc amplius defuncto quandoque debebit, quo et dignitatem suam et optata reipubl. commoda hujus vigilantiam quotidie cernit magis magisque crescere, omniaque sibi aequitatis, clementiae et juris officia tam grate cumulari, quam alacriter exsolvi, denique immortalitate dignum episcopum e medio anno 1607 mors acerba sustulit. Successit ei

83. Joannes Porcelletus a Maillana (1608), viri generosi et bello togaque praestantissimi Joannis Porcelleti domini Maillanae et Valheii et Hesteris Aspremontanae filius, qui juris theologiaeque spatiis Mussiponti non sine corona decursis, in urbis urbium deinde theatro virtutis et doctrinae favore episcopatus insignia retulit, cujus tanta apud regem et summum

Digitized by Google

pontificem fuit aestimatio, ut cum de Jacobo Anglorum rege spes conversionis ad Romanam sedem orthodoxamque religionem oblata fuisset, secreta illi jam nondum episcopo ad hunc legatio Clementis VIII. jussu commissa sit, qua non sine ingenti vitae discrimine, majori industriae et constantiae laude quam religionis bono, apud politicum et propriae scientiae existimatione nixum regem profectu est executus. Porro aditam octavo hujus saeculi anno episcopatus sedem, sedecim annorum vigilans in suprema hac dignitate pastor anno salutis 1624 reliquit.

84. Nicolaus Franciscus cardinalis a Lotharingia (1625) postea creatus, unicus serenissimi ducis Lotharingorum Caroli IV. frater, in possessionem Tullensis episcopatus missus est anno Christi 1625, undecima septembris die, princeps non minori virtutum laude, quam natalium illustris, qui purpura tamen cum episcopatu deposita anno 1634, matrimonii sese vinculis familiae propagandae studio adstrinxit

85. Carolus Christianus de Gournay (1637), ex antiqua nobilique Gornaeorum apud Metenses stirpe, vacante jam biennium, et mensibus aliquot episcopali sede in illam est surrogatus anno salutis 1637, sed quem die februarii 13. honorem adiit, hunc septembris ejusdem anni 14. cum vita deposuit, sui apud multos desiderio inter Tullenses relicto.

Vacua deinde sedes octodecim annorum spatio non absque singulari divini numinis indignatione, inter diversas belli tempestates stetit ceu magistro ad fluctuantis navis clavum amisso, cum quos summus pontifex huic muneri destinasset, hos coelestis ex alto manus fatali casu subtraheret, dum propitiis denique superis, qui hodiedum praesidet caeterorum successor cladem pentaret

86. Andreas de Saussay (1655) is est, Lutetia Parisiorum spectatis natalibus ortus, regis christianissimi quondam ecclesiastes, eidemque a sacris consiliis, tum Parisiensis archiepiscopatus vicarius generalis, atque ab Alexandro VII. denique virtutis doctrinaeque singularis existimatione ad Tullensem admotus cathedram, quam etiamnum septuagenarius varia

Digitized by Google

scriptorum ecclesiasticorum luce illustrat, in quibus eminet Martyrologium Gallicanum in duobus tomis plerasque ejus gentis Sanctorum vitas brevi epitome complectens, Panoplia triplex clericalis, sacerdotalis et episcopalis, diversi contra haereticos tractatus, ut et caetera librorum ejus suppellex catalogo vulgata est. Dissertationem ejusdem de bipartito domini apud Trevirenses et Tullenses clavo alibi in nostris ad Browerum notis expendimus. Ceterum ob gloriosum ecclesiae impensum laborem benevolis a Romana sede rescriptis literisque apostolicis honoratus est decus aevi ecclesiaeque suae antistes. Obiit 9. sept. 1675.

Scipio Hieronymus Begon, nominatus episcopus Leucorum aō 1721, consecratus 26. aprilis 1723, obiit 1754, mense januario. »Les monumens de sa charité, les travaux de son zèle, tant d'églises rebâties de son tems et consacrées par ses mains, tant de pieux établissemens faits à ses frais, ou procurés par ses soins; la discipline maintenue dans son clergé, le goût des études ranimé dans son diocèse, et mille autres belles actions rendront son Episcopat mémorable à jamais dans l'histoire de ce pays.«

Claudius Drouas de Boussay, nominatus 1754, mense feb., consecratus 12. maji 1754, obiit 21. oct. 1773.

Stephanus Franciscus Xaverius de Sabran, nominatus 1774.

Franciscus Xaverius Desmichels de Champorcin, nominatus 1776, occ. 1794.

CAPUT IV. bis.

Episcopatus Nanceanus et S. Deodati.

Peramplae dioecesis Tullensis, 1700 parochias complectentis, partitionem moliebantur Carolus III. et Leopoldus, Lotharingiae duces, nec non Stanislaus rex. Cogitati per-

Digitized by Google

fectio, a Ludovico XV. Galliarum rege inita, successori Ludovico XVI. obvenit, ad cujus rogatum, per literas 25. aug. 1775 datas, archiepiscopus Trevirensis consentit dismembrationem dioecesis Tullensis, erectionem quoque episcopatuum in urbibus S. Deodati et Nanceana. Adsensum partitioni praebuit 27. aug. 1776 Franciscus Desmichels de Champorcin, episcopus Tullensis novissimus, expostque

1) Erectio cathedralis ecclesiae S. Deodati d. d. 12. augusti 1777 facta est a summo pontifice Pio VI. sequentibus verbis bullae: Pius episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. »Relata semper ab ecclesia militanti.« Apud Barberi *Bullarium Romanum,* tom. V. pag. 372.

2) Erectio ecclesiae Nanceyensis in bulla d. d. 13. decembris 1777 a summo pontifice Pio VI. facta sequentibus verbis: Pius episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. »Ad universam agri dominici curam.« Apud Barberi *Bullarium Romanum,* tom. V. pag. 440.

Ecclesia primatialis Nanceana erecta fuit per bullas Clementis VIII. pont. max. 15. martii 1602 datas.

Le cardinal Charles de Lorraine, fils du duc Charles III., fut primat de Nancy, 1602—1607.

2. Antoine de Lenoncourt, jusqu'en 1636.

3. Charles de Lorraine, fils naturel de Charles III., 1645.

4. Charles de Lorraine, père du duc Léopold, 1659.

5. Alphonse de Lorraine, chevalier d'Harcourt, 1687.

6. Charles de Lorraine, fils du duc Charles V., 1715. Il fut aussi électeur de Trèves.

Vacance jusqu'en 1722, pour employer les revenus à la construction de l'église.

7. François-Vincent-Marc de Beauvau-Craon, 1742.

8. Antoine-Clériadus de Choiseul-Beaupré, cardinal, archevêque de Besançon, 1774.

9. Louis-Hector-Honoré-Maxime de Sabran, des comtes de Forcalquier, nommé à l'évêché de Nancy, puis évêque de Laon, 1777.

Digitized by Google

10. Louis-Apollinaire de la Tour-Dupin Montauban, premier évêque de Nancy en 1778, décédé en 1783. Son successeur,

François de Fontanges mourut en 1786.

Anne-Louis-Henri de la Fare, nommé le 7. oct. 1787, émigra en 1791. Archevêque de Sens en 1817, cardinal en 1823, il mourut en déc. 1829.

Episcopi S. Deodati.

Bartholomaeus Ludovicus Martinus de Chaumont de la Galaisière, nominatus 1777, occ. 1794.

Ludovicus Maria Josephus Eusebius Caverot, hodiernus dignissimus praesul.

Literae christianissimi regis Galliarum Ludovici XV. ad archiepiscopum Trevirensem Clementem Wenceslaum d. d. 23. martii an. 1774 puncto divisionis episcopatus Tullensis et erectionis episcopatuum Nancejensis et sancti Deodati.

A notre très-cher et bien amé cousin l'archévêque de Trêves, prince et électeur du saint Empire.

Louis par la grace de Dieu roi de France et de Navarre. Très-cher et bien amé cousin. L'étendue trop vaste du diocèse de Toul occasionnant les inconvéniens les plus graves pour les sujets éloignés de la résidence épiscopale, l'attention constante que nous donnons au bien spirituel comme au bien temporel de nos états, a fait concevoir le projet de diviser cet évêché en trois, afin, que chaque siège se trouvant plus à portée de ses diocésains, l'administration en devienne plus facile et plus promte. Nous avons pris toutes les mesures préliminaires, que les règles canoniques exigent; et il ne manque pour consommer cette opération, que votre concours en qualité de métropolitain de Toul. Les motifs qui fondent notre résolution sont si conformes au bien de la religion, que nous ne doutons pas, très-cher et bien amé cousin, que vous ne veuilliez bien nous adresser incessamment votre consentement

Digitized by Google

formel à l'érection des évêchés de Nancy et S. Diez. Ils seront soumis à votre jurisdiction métropolitaine ainsi que l'évêché de Toul, réduit à un territoire moins étendu que cidevant, continuera à l'être ; de sorte que la splendeur de votre siège en recevra un nouvel accroissement. Nous nous persuadons d'autant plus, très-cher et bien amé cousin, que vous vous rendrez à la réunion de tant de considérations importantes, que nous aurions compté sur votre condescendance, quand même vous n'auriez pas d'autres motifs que de nous donner une preuve de l'attachement, dont vous multipliez en toute occasion vos assurances. Vous savez combien nous sommes disposés à payer ces sentimens du plus parfait retour et à vous faire ressentir en toute rencontre les effets de notre affection et de notre amitié. Sur ce nous prions Dieu qu'il vous ait, très-cher et bien amé cousin en sa sainte et digne garde. Ecrit à Versailles le 23. mars 1774.

(Signé) Louis.

(Signé) Louis Daigaillas.

Literae serenissimi et reverendissimi archiepiscopi Trevirensis Clementis Wenceslai d. d. 18. augusti 1774 puncto erectionis episcopatuum Nancejensis et sancti Deodati ad christianissimum regem Galliarum Ludovicum XVI.

Sire !

Les vues de votre Majesté sur la division de l'évêché de Toul, dont elle a daignée me faire part dans la gracieuse lettre du 23. du mois passé, répondent à son zèle pour le bien spirituel de ses états et sujets.

Très persuadé, que cette division ne fera aucune atteinte aux concordats de l'année 1661 touchant la jurisdiction métropolitaine et diocésaine, je ne le suis pas moins, qu'elle sera salutaire et qu'elle facilitera en effet mes soins archiépiscopaux. J'y consens donc de bon gré, Sire, et j'employerai tout mon pouvoir pour seconder avec la ferveur conforme à mon office les désirs que votre Majesté m'a fait connaître à ce sujet.

Digitized by Google

Je la supplie d'agréer cette preuve convaincante de la sincérité des assurances du respectueux attachement, avec lequel je ne cesserai d'être

Sire

de votre Majesté

(Sign.) CLEMENS WENCESLAUS.

A Augsbourg le 18. août 1774.

Literae sive consensus serenissimi et reverendissimi archiepiscopi Trevirensis Clementis Wenceslai d. d. 25. augusti 1775 ad christianissimum regem Galliarum puncto erectionis episcopatuum Nancejensis et sancti Deodati.

Clemens Wenceslaus &c. &c. archiepiscopus Trevirensis.

Quandoquidem rex christianissimus nobis insinuari fecit, sibi animo constitutum esse, pro spirituali bono suorum subditorum divisionem peramplae dioecesis et episcopatus Tullensis, atque adeo erectionem novi episcopatus in urbe S. Deodati, cum attributione convenientis districtus ac dioecesis, e fatis dioecesi et episcopatu Tullensi desumendorum, et ab eis dismembrandorum a sanctissimo domino nostro papa Pio VI. petere, et obtinere, nosque requisiverit, ut qua metropolitanus ejusdem episcopatus Tullensis in hanc divisionem et respect. novi episcopatus erectionem consentiremus; nos attentu hujus propositi et petiti aequitate, et utilitate, praesentium tenore declaramus, nos in hanc dismembrationem, et novi episcopatus in urbe S. Deodati et Nanceana erectionem consensisse, prout hisce consentimus; salvis nihilominus et reservatis omnibus et singulis nostris jure, auctoritate et jurisdictione metropolitica in hoc episcopatu noviter erigendo, quibus nos hactenus usi sumus, et antecessores nostri archiepiscopi Trevirenses ab omni aevo per universam dioecesin Tullensem usi fuerunt, et uti ac gaudere potuerunt et debuerunt conformiter ad tractatus inter reges et regnum Galliae, et archiepiscopos praedecessores nostros initos, et constanter observatos.

Digitized by Google

In quorum fidem praesentes manu propria subscripsimus, et sigillo nostro archiepiscopali muniri jussimus.

Dabantur Treviris, 25. augusti 1775.

(L. S.) (Sign.) CLEMENS WENCESLAUS,
Archiep. Trev. et elector.

Consensus reverendissimi capituli ecclesiae metropolitanae Trevirensis puncto erectionis episcopatuum Nancejensis et S. Deodati.

Nos praepositus, decanus, et capitulum ecclesiae metropolitanae Trevirensis omnibus, et singulis, quorum interest per praesentes notum facimus, et manifestum. Cum nobis a reverendissimo, et serenissimo domino Clemente Wenceslao archiepiscopo et principe electori Trevirensi domino nostro clementissimo communicatum fuerit, regi christianissimo constitutum esse pro spirituali bono suorum subditorum divisionem peramplae dioecesis, et episcopatus Tullensis in duos alios episcopatus a sanctissimo domino nostro papa Pio VI. petere, et obtinere, adeo, ut unius sedes, et caput sit urbs Nanceana, et alterius urbs S. Theodati, proindeque consensum nostrum super uno, et altero expetierit. Hinc nos praepositus, decanus, et capitulum qui supra declaramus per praesentes, et consentimus, ut episcopatus Tullensis tanquam nimis amplus in duos alios episcopatus dicto supra modo dividatur, et dismembretur, hac tamen expressione expressa, ut in duobus episcopatibus noviter erigendis, archiepiscopatui, et sedi metropolitanae Trevirensi authoritas, jus, et jurisdictio metropolitana, sicut in antiquo Tullensi juxta tenorem instrumenti pacis Monasteriensis tractatusque alios inter reges et regnum Galliae, et archiepiscopos praedecessores Trevirenses initos, et constanter observatos, nec non datam desuper declarationem regii oratoris de 21. decembris 1657 illaesa et inconcussa permaneant.

In quorum fidem &c. . . . . anno Domini 1775.

Digitized by Google

CAPUT V.

Lutzelburgensis ducatus, ejus origo, progressus, comites, principes et gubernatores sub ecclesiastica administratione archiepiscoporum Trevirensium.

Statueram intactos praeterire fines Luzelburgensium, ducesque ac principes iis moderandis impositos, quod jam annis superioribus Bertelius Epternacensium abbas hac in palestra versatus, non indiligentem posuisset operam, essentque, qui acuratiora etiam meditarentur, quibuscum hac in arena decertare nollem. Verum dum expendo, ita res finesque Trevirensium non in spirituali tantum foro (quod his ab omni retro memoria istic competit), sed et temporali administratione reipub. illi permistas, ut hae sine illis clara in luce exponi agnoscique nequeant, non existimavi his intactis meo me abunde functum munere censeri posse. Nolim tamen hoc in campo tanquam possessione Trevirorum propria qua jam olim exciderunt, cunctanti morosoque versari calamo, sed perfunctorio et velut alienum tantum agrum peregrinorum more transeunte, nam quae de abbatiis et canonicorum collegiis ecclesiisque suppeditata sunt, illa jam supra locis suis tradidimus.

Qui superiora tam Browerianae, quam meae operae scripta evolverit, studiosus lector ignorare non poterit, Luzelburgicorum olim agros, priusquam hoc suo gauderent nomine, Trevirorum urbis dominis paruisse, unius ad hanc stabiliendam veritatem Caesaris testimonium lib. 5. belli Gallici sufficiet, quando ait: *Sylvam Arduennam ingenti magnitudine per medios Trevirorum fines a flumine Rheno ad initium Rhemorum, pertinuisse.* Unde necesse est Ardennates paruisse Treviris, neque enim alio sensu medios illorum fines subiisse videntur. Quam deinde potestatem Romani Trevirorum domini

Digitized by Google

praesertim sede istic imperii fixa eripi sibi nequaquam sunt passi, neque Franci postea rerum potiti, licet sedem regni transtulerint, privata haec regionum sibi invicem subordinatarum, jura repente immutarunt; donec auctis sensim multiplicatisque regum, principumque successoribus, partiri, atque ad plures adire temporales dominos coepere, suprema tamen ecclesiastici juris potestate penes unum Trevirensem hierarcham semper relicta, utpote ex qua sede christianam primum ad hanc gentem religionem ab Euchario Maternoque usque manasse, si non ad universos, ad plures certe existimandum est. Tungris etiam, harum provinciarum ultra Mosae ripas extremis, ab hoc fonte sacra haec mysteria haurientibus.

Ipsumet adhuc Luzelburgum temporibus magni Ottonis ad Trevericae urbis pertinuisse monasterium, quod a S. Maximino illorum archiepiscopo nomen trahit, haud obscura ex veterum diplomatis res est. Nam Sigifridus comes ejus loci, qui in pago, seu ut nunc loquimur, comitatu Metingovio situs erat, amore captus, cum et venationibus agendis, et munitioni adversus omnem vim hostilem firmandae idoneus videretur, huic occupando animum adjecit, felicique demum eundem consiliorum successu est assecutus.

1. Erat hic Sigifridus illustri prosapia affinitatis jure Carolo Magno junctus, patre Richvino, Giselberti Lotharingiae ducis fratre, et Mechtilde Franconiae ducis filiae matre genitus, quorum ille ex Clodulphi stirpe facile trinepos descendebat, fratres Sigifridus censebat Godefridum Metingovii, et Giselbertum Arduennae comitem, ipse utrorumque medius, quaedam indulgentia fratrum loca tenuit, quae cum castro quod nunc Luxenburgum dicimus, sortitus, suis auspiciis primum, comitatui nomen fortunamque ac dignitatem conciliavit. Porro cum difficile, arduumque cerneret castrum hujus loci, ut erat in manibus religiosorum hominum, et ecclesiae Trevericae jurisdictione, ad suos usus traducere, ante omnia Brunonem archiepiscopum Coloniensem rerum summam hisce terris pro Ottone imperatore germano suo administrantem convenit. Tum vero cum Henrico Trevirorum antistite supremo et abbate

Digitized by Google

S. Maximini Wichero agendum, ut alterius permutatione possessionis, hoc castro religiosi abirent. Juverit hac de re diploma ipsum auscultasse, quod ex parte Miraeus et Bertelius deprompsere. Sed hic Wilerum abbatem perperam Wickero substituit.

»Notum sit omnibus, quod Sigifridus comes de nobili genere natus castellum quod dicitur Lutzilinburg in proprietatem desiderans adipisci perrexit ad D. Brunonem archiepiscopum fratrem imp. Ottonis, qui tunc principatum totius regni post ipsum tenebat, eique suum desiderium manifestavit, cujus archiepiscopo accepto consilio, et impetrata licentia ab eo venit ad abbatem Wickerum et ad reliquos S. Maximini monachos, in quorum praedio idem castellum fuerat positum, petens ut ei liceret cum suo allodio illud commutare. Quod abbas libenter una cum fratribus consentiens, placuit atque convenit inter eos, ut res per ambarum partium opportunitatem commutarentur. Dedit itaque praefatus comes ad S. Maximinum de rebus suae proprietatis legali traditione, in comitatu Giselberti comitis, in pago Arduennae, villam, quae dicitur Viulna cum servis censualibus et omni ipsius villae integritate, accepit autem a praedicto abbate, consentiente monachorum congregatione, supra nominatum castellum cum omnibus terris ab alveo fluminis Alsuntiae usque ad veteres truncos, qui stant ante munitionem ejusdem castelli etc. igitur posita est haec eadem munitio in pago Metingow in comitatu Godefridi comitis super ripam Alsuntiae fluminis. Factum est itaque concambium istud ea constitutione, ut utraque persona abbatis videlicet et comitis, ex eo quod accepit habeat in perpetuum liberam et aptam potestatem tenendi, tradendi, vendendi etc. Acta est haec traditio, sive etiam mutatio publice in civitate Trevirensium in monasterio S. Maximini, in die palmarum XV. cal. maji adstante abbate Wickero simulque Hilderado ejusdem coenobii advocato et aliis quam plurimis testibus, monachis, canonicis atque laicis.

Signum domini Brunonis archiepiscopi, qui hoc concambium legaliter fieri jussit.

Digitized by Google

Signum Henrici Trevirorum archimandritae, qui consilio istius rei per omnia interfuit.

Signum Adolphi praepositi, S. Reinvoldi decani, S. Sandradi cellarii, S. Adalungi monachi.

Signum Friderici ducis Lotharingiae cujus collaudatione et consensu opus illud peractum est,

S. Luithardi, S. Nortperti, S. Sarachonis, S. Adalberti, S. Geisonis, S. Tancradi, S. Anselmi, S. Walteri, S. Harperni, S. Routperti, S. Thietperti, S. Thietfridi.

Facta est hujus chartae conscriptio anno dominicae incarnationis 963 indictione VI. regni Ottonis III. et patris sui caesaris principatum tenentis II.«

Nulla in hoc diplomate Guerrii comitis memoria, qualem in suo ille male consarcinato Bertelius facit, caeterum ex iisdem literis satis liquet a Germana voce *Lutzel* et *Burg* hoc est *parvo castro* loci appellationem derivari et reliqua eidem affinia ex hoc fonte non a Luce, aut Lucilio vel aliunde deducenda. Sigifridus porro castro sensim amplificando, atque in egregiae munitionis speciem educendo, opportunitate locorum fretus adjecit animum, comitatusque Lutzelburgici a primaria hac sede vicinis terris nomen impertivit. Fuisse vero religiosorum hominum egregium cultorem non obscurum ex eo fit, quod ex veterum diplomatis compertum sit, cum a Sancti Maximinianis, in advocatum receptum esse, ut apud Browerum ad annum Christi 981 reperies, quibus idem ultronea liberalitate allodium Mersense comitatus Ardennensis, sic literae loquuntur, anno 993 obtulit possidendum.

Sed et egregia ejusdem beneficia erga D. Benedicti familiam apud Epternacenses pietas literarum monumentis signata extat, postquam enim jam ultra seculi noni periodum seculares viri comites praecipue ducesque Lotharingi rerum in monasterio potiti, ne sacra prorsus interciderent, quandam huc canonicorum traduxissent coloniam, Sigifridus demum comes eadem stirpe satus, ubi summam hujus loci administrationem nactus esset, dissolutamque paucorum canonicorum a primaevis D. Willebrordi legibus multo aberrantem expenderet, bonis

Digitized by Google

ultro cessit, disciplinaeque veteris, Ottone imp. probante per abbatem Ravangerum postliminio revocante author extitit, ut alibi in catalogo abbatum exposuimus.

Conjugem Sigifridus habuit Hadewigem ex qua variam nobilissimam prolem suscepit. Filiorum primus Henricus fuit, alter Fridericus, uterque in comitatu Luxenburgico successor, tertius Theodoricus Mediomatricum episcopus, de quo suo loco egimus, quartus Adelbero S. Paulini apud Treviros praepositus, cujus acta annales nostri exponunt, quintus Giselbertus, a Longobardis in Papiensi seditione occisus, qui tamen Oginam post se filiam, Balduino Barbato Flandriae comiti jugatam, reliquit, ex quo Balduinus Pius fuit, addunt Sigifridum, ad quem Gerberti epistola 51 legitur, immaturo quoque ut videtur fato praereptus. Filiarum duae memorantur, quarum prior Cunegundis imperatrix S. Henrico imp. illibatae castitatis nuptiis, admirando principum exemplo, desponsata, decus coronae Germanicae extitit illustrissimum, altera nobilissimo item juveni Gerardo ex comitibus Alsatiae sociata est. Ex illius Gerardi fratre Adelberto recta linea Theodoricus et Philippus Flandriae comites, tum deinde hujus aevi Lotharingiae duces in varias progenies divisi, ex fratruele vero ejusdem Landelino Aldenburgensi comite Hapsburgici, Austriacique propagantur, caeterum filia Gerardi Jutta a S. Cunegunde, ad religiosam disciplinam informata, ejus denique Kaufungensis in Hassia monasterii abbatissa fuit, in quo sub mortem Henrici imperatoris Cunegundis sanctissime, quod superfuit, vitae curriculum traduxit, religiosis juxta secularibusque virtutum praestantissimarum exemplum, nec dubium, quin illa Adelberonem germanum multis, ut Browerus suis annis tradidit, depravatae vitae excessibus cognitum et Trevirensi infulae turbulenta ambitione inhiantem, quamvis ejus principio desideriis apud Henricum favens, denique tamen ad emendatioris vitae orbitam inflexerit. Porro vitam S. Cunegundis Browerus quidem suis in locis obiter, exquisitius vero cum genealogica, quae hic occurrit difficultate, expendit trias Belgarum patrum in actis Sanctorum ubi a Browero (Giselbertum Luxenburgi comitem

Digitized by Google

Cunegundis patrem statuente) deflectunt. Quos idcirco sequi malui, quod chronologicas rationes vix aliud ferre videam et plerorumque cum veterum tum recentium authorum suffragia ad Sigifridum spectent, et quamvis nonnulli Sigifridum palatinum comitem vocent, non satis ab altero Sigifrido Lacensis abbatiae fundatore (de quo suo loco inferius) hunc ut videtur separantes, tamen plurium constantior vox Giselberto Sigifridum praeponit. Accedit temporis ratio, qua qui vel solum Giselbertum, vel ante hunc etiam Henricum post Sigifridum Luzelburgico comitatui praeficiunt, nec successoribus justum regiminis spatium, nec Cunigundi fratribusque ex Giselberto natis annos aetatemque dignam indulgent. Constat enim ex Sigifridi diplomatibus anno illum 997 adhuc fuisse superstitem, quae Bertelius citat ex suae abbatiae archivo, sequiturque unde, cum ad millesimum proxime Sigifridus vivendo accesserit, quomodo Cunegundis, quae jam anno 1002 Henrico ad imperium vocato desponsata erat, viroque in Lotharingiam transeunti honoris amorisque gratia per viam occurrit, Giselberti Sigifrido succedentis filia esse potuit? aut Theodoricus Metensium episcopus, qui anno 1003 loci alterius ducis Theodorici tutoris nomine ibidem possidebat, quomodo censebimur in filiis? Hunc vero aliosque fratres, quos diximus, Cunegundis fuisse, sat multis probatisque veterum testimoniis firmatum est.

2. Henricus alter Luxenburgensis comes patri subcenturiatur, qui et Godefrido patruo Arduennae comite, ex quo Lotharingiae inferioris duces fluunt, defuncto, in partem ditionis successisse, ex diplomate archivi Trev. cognoscitur, sed ab Henrico imperatore anno 1003 dux Bavariae creatus, fratri suo Friderico comitatum deseruit. Nec satis suo affini gratus, Adelberoni pro Treverica mitra pugnanti adversus caesarem adhaesit.

3. Fridericus alter natorum Sigfridi, Godefridi Gibbosi filiam, Gertrudem Lotharingiae ducissam, quatuor fecundam prolibus, conjugem habuit, Sigfrido, Giselberto, Henrico et Ermesinda, ex quibus Sigfridum apparet fato suo functum,

Digitized by Google

germano ad successionem locum aperuisse. Henricus insigni morum probitate formatus et Virdunensi ecclesiae canonicus datus, ex archidiacono ejus loci summa regis voluntate Godefrido socero perurgente, ad Leodiensium episcopatum anno 1075 transiit, egregio istic exemplo brevi duodennii decursu praefuturus. Porro Fridericus Luxenburgico comitatui beneficio Gibbosi Tullensem adjecisse videtur, cum illius non uno in loco comes memoretur, nec cum illo Friderico quem Mosellanorum ducem Bertelius facit, est confundendus.

4. Giselbertum (1048), Friderico patri successorem damus, quem male Bertelius anticipat, belloque Treverico pro Adelberone adversus Megingaudum suscepto, ceu parentem, miscet, cum Giselbertus Sigifridi comitis 1. filius in Tuinnensi seditione fortissime pugnans ceciderit, et alius ex hac linea successorum praeter hunc ignoretur, uxorem ex Ms. Trevirensi, quando certius nil suppetit, Bertham illi assignamus, forte eandem, quam Bertelius nuptam Giselberto seniori Hannoniae comitis filiam fuisse tradit, cum hoc enim affinitatem contractam didicimus, ex qua filium suscepit Conradum, praeter alias proles Theodorum, Adelberonem et Eliphtrudem, de quarum vita ac posteritate nil explorati tenemus. Ceterum ut Giselbertum in ditione Luxenburgica successisse, anno 1048 patri ad Lotharingiae ducatum evecto probabile est, ita decennio vix integro praefuisse ex filii successoris actis constabit.

5. Conradum (1058) jam anno 1059 praefuisse Luxenburgicis ex facinore arrogantis temeritatis plenissimo compertum est, namque ausus Everhardo Trevirorum archiepiscopo violentas in itinere manus injicere, apostolica fulminatus sententia poenas subiit, et postquam laxasset captivitate praesulem, hoc ipso judice Hierosolymitana peregrinatione noxam expiavit, an vero ad commissorum promerendam veniam excitare Divi Benedicti coenobitis monasterium, ut vult Bertelius, jussus ab episcopo fuerit, sane ambiguum est, cum Treverici annales solam peregrinationem imperatam esse dicant, abhorretque tam gravis mulcta ab Everhardi mansuetudine.

Digitized by Google

Illud certius, atque ex illo, quod suo loco dedimus manifestius diplomate, quod minime coacta liberalitate sua in hoc religiosorum asceterium bona impenderit; ut divinae hinc miserationis opem facilius impetraret. Quod ut anno Domini 1083 publicis literis constitutum fuit, ita in Solymea ad sepulchrum Christi peregrinatione vita functum 1086 referunt, corpusque aromatibus conditum a famulis, relictumque in Palaestina est, unde postea a liberis Luxenburgum traductum, atque in monasterio a se condito depositum est. Conjugem habuit Clementiam, Henrici ut ajunt imp. filiam tertii utique non quarti (ut vult Bertelius) cum hunc aetate superaverit, ex hac suscepit Wilhelmum successorem suum, Henricum comitem praemature extinctum, Bertham comiti Liningensi desponsatam, Elisabetham comiti Hannoniae.

6. Wilhelmus (1086) a morte patris hereditario jure Luzelburgensibus comes praefectus est, ut ex diversis documentis alibi traditis constat, atque ex illo Brunonis Trevirensis archiepiscopi diplomate anni 1103 inconcussum subsistit, in quo inquit: »Notum facimus tam praesentis, quam futuri se»culi fidelibus, quod . . . haec sint quae fratribus illic (Luzel»burgi) Deo famulantibus a comite Conrado ab uxore ejus »Clementia, item a filio Guilhelmo donata et chartis confir»mata dos ecclesiae, mansum unum indominicatum, et quatuor »mansi vestiti, et mons et planities ab extrema turri castri »usque ad aquam. Haec acta sunt tempore Henrici IV.« Fuit autem Wilhelmus bellicarum imprimis rerum peritus, ideoque inter primos Henrici IV. duces numeratus, qui Virdunensium aliquamdiu partes contra Metenses secutus, res illorum adversus Raynaldi comitis Barrensis potentiam majori gloria quam utilitate propagavit. Siquidem Raynaldo denique comitatus sibi delati administrationem cessit. Ex Mechtilde Friderici Caeci Suevorum ducis filia thori consorte, suscepit Conradum, Sigefridum, Udalricum, Agnetem et Mechtildem, de quibus Conrado superstite plerique fratrum mortui, de mortis Wilhelmi tempore parum consentiunt ex successoris principis res erit definienda.

Digitized by Google

7. Conradus II. filius patri surrogatus anno, si Rosierio credere possimus, 1131 est, cui poterit convenire illud quod ex archivo Maximiniano Bertelius promit testimonium diplomatis, in quo sic loquitur. Ego Conradus comes de Luzelinburg post decessum piissimi genitoris nostri Wilhelmi etc. Subjicitque datum 1135 insignem hic comes ab humanitate et mansuetudine laudem tulit, Elisabetham, Godefridi Namurcensis comitis filiam connubialis thori sociam nactus, ex illa prolem geminam sustulit, Henricum immaturo praereptum funere, quem frustra Bertelius Leodiensi ecclesiae antistitem praeficit, cum Leianus hic fuerit longe diversa Juliae nobilitate ortus, filiam vero habuit Gertrudem Conrado Vaudemontano comiti jugatam. Unde Conradus sine haerede masculo anno salutis 1174 decessit.

8. Henricus II. (1174) subinde Caecus ex infelici caecitate eventu nuncupatus, abnepos ex Ermesinda Friderici Luzelburgensis comitis filia et Godefrido patre Namurcensi comite utroque comitatu potitus est, quod masculini generis heres nemo esset propinquior. Agnetem ille sibi Ottonis Geldriae comitis filiam in thori consortem adsciverat. Sed harum fastidiens nuptiarum meretriculae sese amplexibus, relegata uxore, oblectabat, donec archiepiscopi Coloniensis aliorumque consanguineorum opera dimissa pellice, Agnetem reciperet, filiamque ab ea ferret Ermesindam, sororios sibi adjunxerat Henricus geminos, alterum Rethelii et Campaniae comitem Manassem, alterum Balduinum Hannoniae comitem Aedificatorem dictum. Illi soror Agnes, huic Alexia nuptui cesserat, filiam habebat Balduinus, quam Henrico Manassis filio inconsulto caeco desponderat; hic ut consilium interverteret Henrico nepoti suam promittit Ermesindam cum utriusque comitatus spe, neque is abnuit; sed quod exspectandum, donec adolesceret in Palaestinam profectus, felicibusque id loci successibus bellorum usus, sedem istic fixit, et Palaestinam virginem in thalamum admisit, ex qua filias geminas, unam Cypri reginam, alteramque Briennensis deinde comitis conjugem, procreavit.

Digitized by Google

9. Theobaldus (1187) igitur comes Barrensis Ermesindam sponsam una cum lautissima haereditate obtinuit. Sed Balduinum sororium, qui jam caesaris fretus gratia Namurcensem comitatum tenebat, cum depellere consilio rogatuque non posset, armis expugnare aggressus est, quibus hoc est assecutus, ut constituta demum pace, Rupensi comitatu, dominioque Durbiensi, invicem Namurcensis potiretur. Luzelburgicum etiam comitatum caesare foeminis, sed male successionis jus abnegante, ab Ottone Burgundo, cui illum caesar contulerat, non levi pretio redimere coactus est. Verum jam quietus domi bonorum possessor sacro adjecit bellum animo, inque Palaestinam profectus, biennio post hostili confectus sagitta occubuit, atque Ermesindam sine prole destituit.

10. Walramum (1190) subinde illa, Henrici Limburgensis comitis filium, consortem thalami nacta est, qui marchionatum Arlunensem dotis loco a parente concessum Luzelburgico comitatui adjunxit. Nec sterile inter his connubium fuit. Walramus illis alter, et Henricus natus est, quibus filias tres accessisse memorant, Catharinam Lotharingiae duci, Margaretham Theobaldo alteri Barrensi et Elisabetham Montisfalconi comiti desponsatam. Huic atrox cum Balduino Flandriae comite de Namurcensi comitatu intercessit decertatio, quod uterque Henrici Namurcensis comitis sine liberis defuncti, sorore, sed Walramus juniore Isabella (quam ante Ermesindam duxerat) potitus, a socero tamen haeres substitutus esset. Balduinus vero cum sorore Adela seniore castri possessionem adeptus cedere recusaret, ad arma igitur praeliumque cruentissimum deventum est, in quo pater Walrami, cum fratre Henrico captus est, et pace demum constituta Namurcum Balduino mansit. In hoc praelio Balduini Hannoniae principis filius et ipse Balduinus dictus, generosa indole futurae magnitudini et imperii Orientalis gloriae praelusit. Caeterum Walramus conjuge filiisque superstitibus fato tandem seculi XIII. principio concessit

11. Walramus II. (1210) ferocis atque inquieti ingenii juvenis, qui adjuncto sibi Seinensium comite adversus Theo-

Digitized by Google

doricum II. Trevirensium archiepiscopum anno 1228 arma vastitatemque late dioecesi intulit, Leodiensem decennio post graviter afflixit, Moguntinum juxta Ubiorumque archiepiscopos nihil veritus, sed hostili in omnes grassatus milite. Verum domesticis externisque celebratus bellis non diu superfuisse fortunae gloriaeque videtur, sicquidem improlis, nescio quo defunctus fato, germanum ex Ermesinda fratrem successorem reliquit.

12. Henricus III. (1239) fratri in comitatu gemino Luzelburgico ac Rupensi, tum etiam marchionatu Arlunensi successit. Hic ex Margaretha Henrici comitis Barrensis filia, sustulit Henricum, Balduinum et Walramum, addunt aliqui Gerardum postea Durbiensem dominum, femellas vero geminas, Isabellam Guidoni Flandro, et Margarethàm Hannonio in connubium addictam, foecundiorem illa thalamum mors invidit, quae virili etiamnum aetate florentem sepulchro monasterii Clarifontani juxta Arlunum intulit, ubi Margaretha demum uxor eidem sociata epitaphio suo honoratur.

13. Henricus IV. Blondelius (1250) nuncupatus a patre rerum potitus est. Hic Beatricem Balduini comitis Hannoniae filiam maritali foedere copulatam, nobilissima prole fecundavit, ut Henrico postea Rom. imp., Walramo, a quo originem ducunt S. Pauli comites et Lignii, penes quos Luzelburgicorum comitum nomen reliquis etiam in duces provectis mansit, qui Henricum fratrem ad Italicam coronationem comitatus, in obsidione Perusina cecidit, Balduino laudatissimo Trevirorum archiepiscopo, Philippa et Isabella filiabus, quanquam Isabellam nonnulli ex filia comitis Barrensis susceptam memorent. Difficilem bellorum demum aleam expertus est, hac enim licet secunda adversus Leodienses usus sit, episcopo illorum Joanne Guidonis comitis filio per insidias in captivitatem abstracto: tamen cum anno 1288 contra Joannem Brabantiae comitem pro Reginaldo Geldriae comite Limburgum sibi nequicquam vendicante, Woringano praelio in agro Coloniensi decertaret, ipse cum utroque fratre Balduino et Walramo occubuit, Geldriaeque comes cum Sigefrido Agrippinatum pontifice interceptus est et Limburgum Brabanto victori relictum.

Digitized by

14. Henricus V. (1289) Blondelii filius, patrem in Luxenburgiis secutus est, animosus et Martem spirans iuvenis. Hic post aliquot sui regiminis annos infestis cum Trevirorum populo anno salutis 1300 armis concurrit, causa belli castrum in Mosella superiore ad Comitis Macheram excitatum, cum novi telonii onere, quod ubi Treviri liberum sibi fluminis cursum postulantes, destruxissent, conscripto Henricus exercitu factum vindicaturus, postquam invitis superis Treviros obsedisset, pace denique singulari conventum est, quo et ipse civitati Trevirensi adscriptus est, et mutua defensio certis legibus (quas in annalibus reperies) jurata. Ceterum et his et aliis occasionibus domi militiaeque probatus Henricus, egregii ducis nomine tota coepit Europa inclarescere. Quare et fratrem Balduinum summae exspectationis adolescentem academicisque expolitum egregie artibus, ad vacantem post Dietherum Trevirensium pontificatum pro sua intercessione admovit, et ipse haud multo post comitiis Francofurtensibus anno 1308, prae Philippo Galliarum rege aemulo, Romanorum rex salutatus est, ejus nominis VII. Altero post anno Aquisgrani Carolina insignitus corona, Italiam ceteras aditurus coronas, urbesque defectionis reas ad imperii obsequium revocaturus, cum ingenti militum nobilitatisque concursu, fratribus geminis, Balduino et Walramo stipatus, petiit, ubi a Mediolanensibus honorifice exceptus rex Lombardiae anno 1311 coronatus est, ac subinde Cremonam ac Brixiam rebellem armis subigens, muris, quibus ad audendum fiduciam sumpserat, nudavit, ceterasque hoc severitatis exemplo obsequentes habuit, quanquam gaudium hujus victoriae mors Walrami fratris hoc loco occumbentis interciparet. A pontifice dein Clemente V. Lateranensi in aede Romae sequenti anno imperiali corona ornatus est. Sed, o fluxa mortalium gloria, honores tanto impendio circuituque terrarum quaesitos, vix consecutus amisit, sicquidem Roma digressus, cum Senensem attigisset agrum, assumptae in coelum Deiparae festivitatem, consueta pietate celebraturus in templo dominicanorum patrum eucharistia refectus est, ac subinde ad hospitalem reversus domum, jam

Digitized by Google

concepta prius aegritudine dejectus gravius, apud Bonconventum Senensis agri oppidum lethali peste, cum totius imperii luctu, profligatus est anno 1313 ad IV. cal. sept. postquam imperii delati fasces magna exspectatione quinquennio tenuisset. Ejus corpus Pisas delatum, in aede cathedrali depositum fuit, vix anno 51 hebdomades quinque, suspicio veneni in eucharistia oblati sine justa ratione invaluit, quae prolixius in annalibus ad hunc annum exposita reperies.

Margaretham Joannis I. Brabantiae ducis filiam conjugem sumpserat, quae illi Joannem filium in Luxenburgico comitatu successorem ac regem Bohemorum, Beatricem Balduino Hannonio, ac deinde Stephano Hungariae regi, Mariam quoque Carolo Pulchro Francorum regi desponsatam peperit. In Italia haec etiam, non multo ante virum sepulchrum nacta est.

15. Joannes (1313) Henrici filius superstite adhuc parente res Luxenburgensium administravit, ut diplomata tum Epternacensis, tum Munsteriensis abbatiae libertatem adstruentia anno 1310 vulgata testantur. Porro Henrici patris opera effectum est, ut Wenceslao Bohemorum rege defuncto unicam ejus filiam Elisabetham regni haeredem Joannes consortem thori nactus, regni cum illa possessionem adierit, Henrico Carinthiae principe Wenceslai sororio nequicquam obnitente et post armorum praesidia irrita ad pretium gratuitum sese inclinante, quo juri cuicunque renuntiavit. Ita Luxenburgicis deinde comitibus regia Bohemiae corona delata est, diligenti igitur cura Joannes rerum Bohemicarum administrationem complexus, ut solium inter bonas leges validasque regni, quas instruebat, munitiones firmaret, quorundam aemulatorum insidias devitare non potuit. Aconitum illi ab inimica manu propinatum est, quod exhaustum cum illibati venis lethifero frigore sensisset, remedio ad expellendum potenti usus, mortem quidem praeparatam evasit, sed afflictam nihilominus valetudinem, ut utrosque oculorum orbes ita debilitatos sensit, ut trepidos lippientesque ad aliorum intuitum vix extolleret, unde et eidem Caeci nomen adhaesit. Non tamen idcirco rerum suarum Joannes satagere desiit, quin etiam cum ultimus ex

Digitized by Google

Elisabethae conjugis sanguine Polonorum rex sine prole mascula decessisset, Prutenorum fretus ope, id armis sibi vendicare aggressus est. Quanquam Polonorum nobilitas antiqua libertate freta Wladislaum sibi delegerit, nil Joanni deferendum rata. Hinc bellis aliquamdiu decertatum est, donec Casimirus Wladislai filius viginti marcarum auri millibus pacem redemit. Usus deinde Joannes occasione qua Moguntinus archiepiscopus cum Ludovico Bavaro excommunicationis pontificiae fulmine percussus erat, ejus metropolitanae sedis jurisdictioni se suumque regnum subduxit, indultoque apostolico archiepiscopalem Pragae sedem instituit. Elisabetham denique conjugem, postquam ab eo Carolum IV. imperatorem et Joannem Moraviae marchionem, tum Bonam Joanni Valesio regis Galliae Philippi filio, audacis Burgundiae ducis matrem suscepisset, anno 1333 amisit, consilioque Philippi Francorum regis Beatricem Ludovici Borbonii filiam in thalamum accepit, ex qua Wenceslaus Luxenburgi comes susceptus est. Postremo Joannes cum filio suo Carolo exercituque frequenti Philippo Galliarum regi adversus Eduardum Angliae regem suppetias, verum infelici successu, profectus est. Initium belli hujus Anglici anno sumptum 1335, plusquam seculum tenuit Anglis in Gallici regni viscera late grassantibus, postquam Flandri mercimoniorum ac potissimum lanae gratia Anglos in amicitiam Belgiumque recepissent. Occasionem Isabella dedit Philippi Pulchri Francorum regis filia, unica post fratres superstes, ex qua Anglo desponsata Eduardus processerat, cui deberi regnum Galliarum contendebat, Franci contra legem obtendebant salicam, qua exclusis feminis, Philippo Valesio ex Carolo regis fratre nepoti assertum regnum ibant. Sed Anglus antiquiorem hac legem Dei in sacris probatam literis producebat. Adjunxerat sibi principio Ludovicum imp. a quo et ipse vicarius imperii dictus est. Verum arte is Gallorum et Joannis traductus est, Carolusque Luxenburgicus rex Rom. postea apellatus est. Variis diu praeliis per annos complures, ancipiti eventu, attamen plerumque Anglis secundiore est decertatum, summam rei Gallis in capitali praelio declinantibus, donec anno 1346

Digitized by Google

numero potiores Angloque a Parisiis, quibus imminebat in Pontacum usque ac Cresiacum silvam rejecto, magno pugnae desiderio immineret, ubi 26. augusti die copia pugnandi ab Anglis facta funestissima Gallorum clade debellatum est. Joannes inclinata suorum acie quamvis caecutiens, cum in hostem sese adversum Eduardum praeceps effunderet, aut vincere aut mori certus, una cum nobilitatis flore occubuit, Luzelburgum delatus, ubi honorata hodiedum sepultura observatur. Carolus filius tribus vulneribus saucius ad regis Romanorum coronam eodem anno delatam, vacansque Bohemiae regnum servatus est.

16. Carolus (1343) igitur Bohemiae rex et Luzelburgensis comes, quinque electorum suffragiis Ludovico Bavaro proscripto a Romanis imperatori est surrogatus. Eximio is semper tum erga Balduinum Trevirorum archiepiscopum patruum suum affectu, cujus virtutibus atque intercessione honorem existimationemque suam imprimis se debere agnoscebat, tum etiam erga ipsam archidioecesin, sub cujus favore opibusque majores suos potissimum crevisse non ignorabat, marchionatum Arlunensem et advocatiam S. Maximini cum Biedburgensi oppido ac septuaginta duabus ecclesiis matricibus feudi titulo cum obligatae fidelitatis onere ab archiepiscopo se accipere publicis literis apud Browerum productis, testatus est. Interea Ludovico Bavaro imp. in venatione repente extincto, cum Ludovicus Brandenburgensis marchio Ludovici imp. filius, favente Moguntino, Heidelbergensi et Bavaro principibus (post Eduardum Anglum frustra ad Rom. regnum invitatum) Guntherum Swarzenburgium, virum consilio, manuque promptum Francofurti in regem delectum opposuissent Carolo, ventum utrimque ad arma fuisset, nisi mors toxico, ut putatur conciliata, Guntherum sustulisset. Sine dimicatione igitur Carolo regnum mansit, imperii insignibus a Bavari haeredibus anno 1350 ad illum translatis. Quare cum in Germania jam 1346 sub primam electionem, idibus julii Bonnae coronatus fuisset, Modoetiae in Italia apud Mediolanenses anno 1355 idibus januarii et Romae in basilica D. Petri festivitate

Digitized by Google

ipsa paschali coronam alteram tertiamque admisit, postea rebus in Germania constitutis, iterata in Italiam profectione ecclesiae Romanae adversarios subjecit pontifici. Redux imperii ordines Metis collegit ibidemque praeter cetera Guilielmum Juliacum ex marchione, Wenceslaum fratrem comitem Luxenburgensem eorundem locorum pronuntiavit duces. Duo in illius imperio maxime occurrunt memoranda, primum est, quod leges optimae electionis Romanorum imperatorum ab eo per *Auream bullam* quam vulgavit, constitutae sint, quibus omnis corruptio pecuniaria submovetur, alterum quod eaedem ab ipso primum teloniis, hoc est regentium nervo, electorum in manus translatis, amore Wenceslai filii post se ad imperium recipiendi, violatae fuerint. Hanc laudatissimus ceteroquin princeps in administrati recte imperii gloria maculam reliquit, minus habiturus dedecoris, si dignum sibique non disparem commendasset, quanquam electores sui erroris nunquam poenituit, nisi cum Wenceslaum exautorarent. Quatuor Carolo uxores fuere, Elisabetha ducissa Stetinensis, Agnes Rudolphi comitis Palatini Rheni filia, Blancha Philippi regis Francorum soror, et Joanna sive Anna a quibusdam dicta, ex qua ultima, reliquis sine prole decedentibus, genuit Wenceslaum, et Sigismundum, utrosque imperatores, Joannem cui marchiam Brandenburgensem et ducatum Gorlitii aere comparavit, et Annam, regi Angliae desponsatam. Obiit denique anno 1378 die 29. novembris, filio post se relicto Rom. rege, sepultus Pragae in Bohemia.

17. Wenceslaus (1357) frater non tamen uterinus, primus dux Luxenburgicus comitiis imperii Metensibus creatus anno 1362, in civium Trevirensium jus censumque transiit. Joannam ille Brabantini ducis filiam cum ducatu, masculo istic haerede deficiente, traduxit, quem consecutus, cum, tanquam locupletiorem, per se ipsum administrandum suscepisset, vicarium sibi in Luzelburgensi ducatu moderando substituit D. Aegidium de Rodemacra, suum ex primario nobilitate vasallum, sed ut ditiorem, ita molestiorem istic provinciam nactus, crebris bellorum seditionumque jactatus tumultibus anno salutis 1383 in

Digitized by Google

pervigilio Deiparae immaculate conceptae vivere desiit, postquam Joannes, unica ex illo proles Moguntinensi jam admota infulae, occidisset. Brabantia igitur, quam nuptialis fax ostendit, mortualis sustulit. Sepulchrum suo hodiedum epitaphio ducis primi Luxenburgici insigne, Aurea in Valle, cisterciensis ordinis monasterio nobili, obtinuit.

18. Wenceslaus II. (1383) ejusdem ex Carolo IV. imp. nepos, Rom. imperator, quem ignavum dixere, successit, qui cum Bohemico delectatus solo, molli istic indulgeret vitae, publicarum rerum parum solers, curatori Ludovico Aureliano Galliarum regis fratri consanguineo, vices suae gubernationis credidit. Ivodium, etiam Dampvillerium, Montemedium, Orcimontium cum adhaerentibus locis in pignus consignavit 56 et amplius aureorum millibus obaerata. Reliquum deinde jus suum Jodoco Brandenburgensi marchioni nepoti suo certis legibus transscripsit, qui ejusdem Ludovici Galli administratione acquievit, ut ex literis Münsteriensis abbatiae compertum est. Comes Fani S. Pauli tamen anno 1392 ob pecuniam sibi a Wenceslao debitam Luxenburgios bello petiit, omniaque rapinis passim incendiisque foedavit, plusquam centenis pagis igne consumptis.

19. Jodocus (1392) igitur Brandeburgensis marchio dux etiam Luxenburgensis scribitur, ita enim diplomate quodam suo loquitur: Jodocus Dei gratia marchio et dominus Moraviae, duxque Luxenburgensis, notum facimus, quod pro parte oppidanorum fidelium dilectorum nostrorum oppidi nostri de Montmedi serenitati nostrae extitit humiliter supplicatum anno 1392. Constat ergo hoc tempore Jodocum praefuisse, uti et ex anno 1398 ad abbatem Tilmannum scriptis literis elucet, quanquam idem abbas in resignatione juris super furnos oppidi Luxenburgici Wenceslaum et Jodocum vocet dominos suos, ut idcirco participato magis, quam pleno jure possedisse videatur. Veruntamen cum uterque demum prole se destitutum cerneret, ad quam jus successionis derivaret (Wenceslaus enim, tam cum Joanna comitis Hannoniae filia, quam cum Sophia Bavara steriles thalamos transigerat) Elisabetham Gorlitiam

Digitized by Google

neptem Antonio Brabantiae duci, cum 120 millium aureorum dote, ea lege desponderunt, ut ducatum Luxenburgensem, quod dos penderetur, cederet, neque enim ab illo fratrem Sigismundum excludere Wenceslaus poterat. Hoc tamen gravatum onere, altero quod ab Aurelianensi incumbebat, exsolvit, ne jus Gallis deinde in ducatum superesset.

20. Antonium (1409) porro ducem Brabantinum, cum et ipse praesens administrare non posset, Walramus S. Pauli et Lignii comes administrandi levavit munere, postquam Luxenburgenses, obsequium Antonio detrectantes, ad obsequium armis coacti essent. Verum Antonius quamvis ex conjugio priori liberos, ex Elisabetha tamen nullos sustulit, demum anno 1415 haud longe a Morino pro Gallis adversus Anglos fortissime pugnans decessit, Elisabetha viduato in thoro relicta. Ad hujus denique connubium adjecit animum Joannes Bavarus, postquam tenuisset annis 29 episcopatum Leodiensem nondum sacerdos, ideoque nuper sede ejectus, cruentissimisque Joannis Burgundi armis restitutus est.

21. Joannes de Bavaria (1417) ex subdiacono per Romanam dispensationem maritus eodem anno 1418 quo Wenceslaus Bohemiae rex in seditione Pragensi paralysin mortemque contraxit, praeesse Elisabethae beneficio Luxenburgensibus coepit, Sigismundo Wenceslai fratre Hungarorum et Rom. rege probante, verum et hic subitanea morte exigua pietatis laude anno 1424 sine liberis defunctus, penes Sigismundum et Elisabetham conjugem jus anceps variisque deinde contentionibus agitatum reliquit.

22. Sigismundus (1419) itaque a Wenceslai fratris morte una cum Elisabetha Gorlitia ex Joanne Sigismundi fratre Gorlitii duce nata, in jus ducatus Luxenburgici successit. Duxerat Mariam Ludovici Hungariae et Poloniae regis filiam, cum qua Hungariae regnum adiit, suscepitque Elisabetham Alberto Austriae duci, postea augusto conjugatam, ex quo connubio binae filiae, altera ejusdem nominis Elisabetha Casimiro Poloniae regi desponsata, altera major natu Anna Guilielmo Saxoniae duci tradita. His igitur neptibus, cum jus suum

Digitized by Google

indulgeret Sigismundus, Guilielmus qui majorem natu duxerat, in partem haereditatis cum Elisabetha Gorlitia venire contendit, quae integrum sibi jus tanquam a patruis concessum, vendicare, atque ad Burgundiae ducem Philippum Bonum (cujus patruum primum deinde et avunculum maritos habuerat) accepto aere transferre voluisse visa est. Comes igitur Gleichensis a Saxone submissus a Luxenburgensibus urbe et arce cum octingentis militibus admissus est, cui et Theonisvilla aliaeque munitiones patuere. Gorlitia cum se excludi hoc pacto cerneret, ad Burgundum pro auxiliis confugit, qui Cornelio filio notho, cum aliis militum promptissimis ad ferendam opem suppeditatis, brevi qua ingenio, qua vi Luxenburgo occupato direptoque, atque idcirco armorum terrore late propagato, Gorlitiae arbitrio ditionem rursus universam subjecit.

23. Elisabetha ergo Gorlitia anno salutis 1443 partim jure, partim armis possessionem nacta, ut Burgundo gratiam referret, jus suum Philippo ejusque successoribus transscripsit, ea tamen lege, ut si patrui Sigismundi haeredes promissam sibi dotem centum viginti millium aureorum refunderent Burgundo, ducatus eisdem cederet. Interea vicissim Burgundus sibi dum viveret, quot annis ratione cessionis decem millium florenorum pensionem redderet, quo pacto suis parum grata Treviros divertit, ubi in tenui satis apparatu a suorum plerisque neglecta, a peregrinis parum culta, plurium una regum et imperatorum consanguinea decessit anno salutis 1451, in templo SS. Trinitatis, quod nunc societatis Jesu patrum est, ad levam summae arae sepulta.

24. Philippus Bonus celeberrimus Burgundionum princeps anno 1444 institutus successor, jus ad Guilielmum Saxonem per Sigismundi imp. neptem translatum certo aere redemit. Accessit Casimirus denique, et quod sibi ab Elisabetha conjuge tribuebat juris pecunia venditum Carolo, Philippi filio, transscripsit, ita nullo jam contradictore Luzelburgico ducatu Burgundi potiti sunt. Magnanimus hic princeps belloque ac pace felicissimus, multis adversus Gallos nobilitatus victoriis, quando eodem tempore Anglis incumbentibus, Parisiisque jam in

Digitized by

possessionem redactis, res illorum deploratissimae erant, nisi puella Aurelianensis, a Deo in subsidium excitata, raptis armis profligatas Gallorum res erexisset, quo tempore Philippus ad excitandam honorandamque fidelem sibi nobilitatem Aurei-velleris ordinem primo instituit. »Ad laudem et gloriam,« inquit in tabulis ordinationis, »omnipotentis Creatoris, et Re»demptoris nostri, ad reverentiam matris ejus gloriosae Vir»ginis, et ad honorem Domini nostri S. Andreae gloriosi »apostoli et martyris, ad exaltationem fidei et S. ecclesiae et »exercitationem virtutum et bonorum morum 10. die mensis »januarii anno D. N. 1429 ordinamus, vero ut in dicto ordine »sint unus et triginta equites viri nobiles nomine et armis »et sine reprehensione, tempore nostro erimus caput.« Insigne est vinculum humerale affabre elaboratum, ex quo vellus aureum cum representatione Colchici velleris a Jasone rapti, dependet, denique et foedere Atrebatensi cum Francorum rege Carolo anno 1435 sociatus, Carolo filio suo Catharinam regis Galliarum natam despondit, Martemque, quo patris sui Joannis Intrepidi necem gravissime ultus est, exarmavit, quae res Gallo adversus Anglum liberiori bello frangendum profuit. Ceterum Philippus diversarum nationum dominus, cum ipse Luxenburgensibus rector adesse non posset, vicarium sibi filium nothum, egregium ducem, et toga sagoque promptum suffecit, atque ex hoc tempore ducatus alios plerumque dominos, alios possessores gubernationis munere functos, ex prima tamen comitum aut marchionum ducumve nobilitate habuit. Tres uxores duxerat, ex duabus proles nullae, ex tertia Isabella Lusitana, Antonium et Jodocum infantili aetate extinctos, ac Carolum successorem procreavit, ut reliquos extra conjugium susceptos praeteream. Brugis ultimum diem anno 1466 clausit, Divione apud majores sepulchrum habuit, felicitate ac virtute, si luxuriam demas, inter primos Europae celebrandus principes, Burgundiae ipse, Flandriae et Artesii possessor, his ut in epitaphio est, junxit Brabantios, Lemburgios, Namurcios, Hagnonios, Hollandicos, Zelandicos et Luceburgum. Pergit:

Digitized by Google

Bellum movebant Francus atque Anglus mihi
Quos jure et armis fortiter rejecimus.
Movit Renatus bella Lotharingicus,
Qui, rex licet, captivus est factus meis.
Una die denuntiant bellum mihi
Galli, Britanni et caesar, at nil promovent.
Cum rege Carolo longa bella gessimus,
Pacem petivit, sceptraque illi reddidi.
Septem cruentis dimicavi praeliis,
In omnibus victor Deo sit gloria.
Flandros rebelles et Leodios feros
Vici et coegi petere pacis commoda.
Ad me refugit pulsus Eboracius,
Operaque nostra factus et rex Angliae etc.

25. Carolus Audax seu Pugnax (1466) ut alii vocant, Philippo patri in amplissimis possessionibus suffectus est. Luzelburgiorum primus eo nomine princeps, ut cognomento sic natura dispar parenti, ille enim facilis benignusque in suos, humanitate omnium sibi devinxerat subditorum animos, ut non pauci se victos ejusque subjectos imperio gauderent: at Carolus severus atque intractabilis nil praeter Martem minasque spirans, admirator nimius sui et aspernator aliorum. Quae quidem principio vitia, fictis ad humanitatem verbis moribusque texit, donec Leodiensibus bello fractis rerumque elatus successu, despectis reliquorum ac praecipue Belgarum consiliis, sibi uni aut exteris deferret omnia, praecepsque, ubi quis obsisteret, in vindictam vires omnes effunderet. Francorum hostis gravissimus, quos principio felicitate bellorum in audacia fretus suo sese adjicere imperio posse sperabat, cum paria Ludovicus de redigendis Burgundis ad obsequium consilia agitaret. Ita pronum inter utrosque bellum fuit, Burgundo tamen plerumque magis secundum, ut Francis id temporis princeps unus Carolus formidandus esset, qui et Renatum deinde potentissimum Lotharingiae ducem, sede expulit, nec Germanos quidem ac Fridericum caesarem lacessere, bello ad Rhenum translato, veritus. Ceterum ingentium animorum princeps id agere visus est, ut favente caesare ac pontifice vel Burgundionum rex crearetur, vel imperii vicariatum adiret, quo Gallo

Digitized by Google

non haberetur inferior. Cujus rei gratia celeberrimo apud Treviros congressu imperatori Friderico adfuit, et Mariam unicam filiam provinciarumque omnium heredem Maximiliano caesaris filio despondit, quae apud Meierum et Browerum latius exposita non prosequor, sed fortunatis ipsius progressibus non par respondit exitus, postquam Ludovicum Luzelburgicum Fani S. Pauli comitem suae creditum fidei, cum Ludovico Galliarum rege cretizans, ab eo intercipi, ultimoque mactari supplicio permisit, et primo quidem (Gallo jam ac caesare, pervinci ante non potuerat, ad pacem compositis) post Lotharingiam occupatam, Helvetios, qui Renatum tuebantur, oppugnaturus, non levem ab eis improviso in castra irruentibus, cladem accepit, Gallo pecuniam ad hoc bellum suppeditante. Deinde Nanceio per eosdem ejectus, cum iterata illud obsidione premeret, Renatus ex Helvetis aliisque Germanis instructissimo accurrit exercitu, nec praelium Carolus, licet numero impar desertavit, quod cum pridie epiphaniae ingreditur, anno 1477 a Nicolao Campobasso Italo equitum praefecto, ob colaphum aliquando inflictum desertus, infelici congressu, inter gregarios, ignoto pugnans habitu, occubuit, vixque demum repertus caesorum in numero sepultus a Renato perquam honorifice in aede Nanceana D. Georgii est, cujus semper venerabile nomen habuerat, ita quem vivus non poterat, mortuus locum occupavit, annos natus quatuor et quadraginta. Dux erat corpore mediocris, sed animo magnus, quique tot provinciarum opibus non poterat expleri, verum toti, cum Alexandro M., quem in ore exemploque praeferebat, inhiabat orbi, imperium Treviris, per filiam Maximiliano oblatam, procurari visus. Facies oblonga nasusque circa nares extumescens, frons ampla, fusci oculi et intuitu acres audaciamque spirantes, corpus laborum patientissimum validumque ac lacertosum, sed praeceps in consiliis inconstansque, nisi ubi pugnandum, animus, omnia a se perfringi posse ratus. Hinc caeterorum erat terror principum regumque, ita ut rex Galliarum accepto Carolinae mortis nuntio, centum quinquaginta argenti pondo latori in abacum dono effuderit, testatus in

Digitized by Google

vita laetius sibi nuntium non fuisse perlatum. Tres Carolo uxores, Catharina regis Francorum Caroli VII. filia, Elisa princeps Borboniensis et Margaritha Angla, soror regis Eduardi fuere. Sed una tantum ex Elisa proles Maria relicta est; extra conjugium in laudabilis continentiae duce nullum delicti vestigium remansit. Vini etiam cibōrumque parcus, alimenta luxuriae defugiebat, sacrorum, ubi animus sibi praesens piarumque melodiarum sectator, privatim inter suos etiam ipse concinens, otium fallere, mentemque oblectare solitus, ut si ambitionem nimiamque dominandi pugnandique ab eo cupiditatem submoveas, primis queat principibus accenseri. Luzelburgensem ducatum sub illo non semel devastatum per Gallorum incursum̄, cum praesens non posset, Rudolphi marchionis Hochbergensis opera administravit.

26. Maria (1477) subinde Caroli filia Burgundionum et provinciarum Belgicarum simul ac Luzelburgiorum haeres ac domina, in fidem ab omnibus juratam recepta est. Ingens mox ejus matrimonium ambientium concertatio, quod contractus sponsalium cum Maximiliano interveniente bello dissipatus crederetur. Cliviae princeps pro filio illam prensabat suo, ex Anglia nonnulli sponsum accersebant, maxime omnium per legatos instabat Gallus, filium ipsi septennem Carolum cum totius regni accessione deferens, nihil majori detestatione visurus, quam ut Maximiliani nuptiis assentiretur, totque provinciarum opibus Austriaci sibi infesti ac metuendi ditarentur. Verum Maria jam olim fidem datam a se et parente obtendit, nec consultum satis videri in spem pueri adhuc adolescentis expectationem nuptiarum anxiam, et tot provinciarum moderationem, a viro quam muliere rectius gerendam, suspendere, Maximiliano igitur Trevirense pactum obtendenti, in thalamum Maria sese concessuram addixit, quae res cum Ludovico Galliarum regi bilem consciscceret, muliebre imperium aspernatus, in Artesiam, Burgundiamque repente vim omnem militarem effudit, ac plerisque locis potitus, negavit Burgundiam foemineae administrationis capacem esse, sed neque in Belgio apud Flandros Brabantosque sat quieta a seditionibus popu-

Digitized by Google

laribus omnia, quod ad majorem libertatem sub puellae regimine sibi viam apertam crederent, et Maria, cum Gandavi Flandriae princeps inauguraretur, privilegia urbi ob rebellionem a patre adempta restituisset. Geldri etiam principe suo Adolpho ante Tornacum a Gallis caeso, et nuper ignominiose a Burgundis captivo, non leviter offensi a Maria descivere, ac Fridericum deinde Brunsuicensem sibi delegere principem, Luxemburgii sub gubernatore Eberhardo de Marca Arenbergio prisca in fide ac quiete perstitere. Interea Maximilianus e Germania adfuit insigni procerum ac nobilitatis comitatu, in quo et Joannes Trev. archiepiscopus stipatus, Gandavum appulit, solennibusque Mariae ceremoniis a Tornacensi episcopo est copulatus, cum jam annus 1477 ad finem inclinaret, quanquam aliqui sequentem aut etiam 1479 constituant. Quadriennium simul integrum perstitere thalamis non infoecundis, sed totidem prolibus Philippo scilicet, Margaretha, Francisco et Georgio nobilitatis. Quorum duo ultimi pueritiam egressi non sunt, morte immatura occupati. Quintus Mariae annus in venatione quam amabat, fatalis extitit, equo enim celerius acto excussa, cum laesae gravius medicina non sufficeret, mors dolorem absolvit, ingenti Belgarum luctu, qui virtute non minus, quam indole praestantissimam sibi principem in flore aetatis praereptam dolebant.

27. Maximilianus (1482) igitur gubernationem cunctantibus Belgis tutelamque ejus aversantibus non sine procerum quorundam sanguine aggressus est, quod Maximilianum Germanis circa se proceribus nimium Belgae in sua indulgeri capita fortunasque censerent. Verum tutoris tamen, dum soboles ex Maria adolesceret, partes sustinuit, cum Galliarum rege Ludovico, ob Artesiam Burgundiamque sublatam, superstite etiamnum uxore anno 1479 bellum auspicatus, in Morinis nunc victus nunc victor fuit, sed quod Ludovicus Helvetos a Burgundo aversos sibi stipendiarios addixisset, induciis pactis ab armis utrimque discessum est, brevique post Gallis in agrum Luxenburgensem effusis reintegrato bello, ex Brabantia Maximilianus rursum adfuit, et Alemannorum ope Ludovicum

Digitized by Google

profligavit. Adfuit deinde Roma Julianus cardinalis Ostiensis (qui postea Julius pontifex fuit) cujus industria, cum pax fieri non posset, sola indiciarum pactione arma Gallorum Belgarumque iterum quievere, quamvis seditiosae passim urbes securam Maximiliano quietem vix indulgerent, quae dissensionum flamma usque adeo invaluit, ut Maximilianum jam electum anno 1486 regem Romanorum reversumque in Flandriam, Brugae captivum ejusdem seculi anno 88 attinerent. Quem Fridericus pater cum exercitu in libertatem vindicans, emporium nobilissimum Brugis, si Bertelio fidimus, ablatum, Antverpiam transtulit, illi poenam rebellionis, huic praemium fidelitatis rependens. Luzelburgicos interea sibi constanter fidos per diversos gubernatores tanquam annuos consules permutatos rexit, post Eberhardum enim de Marca anno 1479 Philippus de Croy Chimacensis comes praefectus est, anno vero insequenti Claudius de Novocastro, tertio post hunc anno Engelbertus comes Nassoviae, ac demum anno 1489 Christophorus marchio Badensis nepos Maximiliani praefuit. Imperator jam post Fridericum patrem anno 1493 defunctum, maturumque regendis Belgis Philippum, rebus bellisque per imperium atque Italiam praecipue nascentibus advigilare coactus, his oris decessit, aliquando tamen ob Geldros infestis armis incumbentes revocandus.

28. Philippus Austriacus jam annum aetatem sextum decimum emensus erat quando anno 1494 voto Belgarum ad nativi principis dominatum aspirantium, praesente imperatore patre, et Margaretha sorore, Flandriae Brabantiaeque princeps, solenni inauguratione declaratus est, Christophoro adhuc Badensi Luzelburgios moderante, cujus Philippus gubernationem confirmavit, ac biennio post nuptiis jam maturus in consortem thori Joannam Ferdinandi Hispaniarum catholici regis filiam cum aliquot dote regnorum accepit, ex qua anno jubilari 1500 Carolum ejus nominis postea imperatorem quintum suscepit, magno Belgarum plausu et baptismalium ceremoniarum apparatu, in quibus simul aureo decoratus vellere et dux Luzelburgensis est nuncupatus. Ex eodem prodiere thalamo brevi

Digitized by

tempore foecundissimo, Ferdinandus, et idem subinde Roman. augustus caesar, Eleonora regis Lusitaniae Emanuelis uxor, Isabella Christiano regi Daniae desponsata, Maria Ludovico Wladislai Bohemiae et Hungarorum regis filio, et Catharina Friderico Saxoniae electori jugata. Rex catholicus vicissim filio suo Joanni unico Margaretham Philippi sororem, quam rex Galliarum Carolus sibi quondam sponsalitio jure traditam, praehabito deinde Anglae amore, remiserat, in conjugem accepit. Sed extincto sine prole Joanne unica Philippi conjux omnium regnorum haeres mansit, quae sub mortem Ferdinandi Carolus major natu filius adiit, cognitumque est, potentiam Austriacorum nuptiarum magis, quam armorum felicitate propagari, atque idcirco tam validum Philippi robur Ludovicus rex Galliarum, Caroli nuper sine prole extincti successor, veritus, pacem Senliacam anno 1493 initam, qua archiduci Philippo Carolus comitatum Burgundiae, Artesiae, Charolois et Noyers, cum Hesdinio, Aeria, et Bethunia, restituta simul Margaretha, sorore promiserat, implevit, magno Burgundionum ac Belgarum imprimisque Atrebatensium gaudio, qui principis nativi imperio delectabantur. Porro Geldris armata manu ad obsequium revocatis, Philippus in Hispaniam concessit. Ferdinando socero ultro regnorum administrationem in Philippum transferente, solo regni Neapolitani imperio sibi cum Indiae vectigalibus reservatis, sed Philippo eodem anno 1506 post lusum pilae ex haustu avidiore praeter omnem spem sublato, Ferdinandus in Hispaniam, Maximilianus imp. in Belgium revocatus est, Gallo utrobique ad omnem occasionem vigilante.

29. Margaretha Philippi soror, a Maximiliano Belgarum spontaneis nunc precibus in tutorem liberorum postulato, suum in locum submissa et admissa est anno 1507, spe auxiliorum caesaris in omnem necessitatem facta. Geldri hac freti occasione, contempto foeminae imperio, libertatem et arma adversus Brabantos et Hollandos arripiunt, quibus, cum Margaretha, suis sub ducibus objecisset copias, hi irrito ad Venlonem conatu fracti haesere, Geldro diversas urbes occupante, donec anno 1512 quinquennalibus indiciis intercessum est. Profuit

Digitized by Google

Geldris Venetorum bellum a Maximiliano vario Marte agitatum, in quo principio caesar Gallis et pontificiis junctus ad frangendam Venetorum potentiam erat. Verum cum deinde utrisque a foedere recedentibus, persisterent Galli Italis armorum potentia formidandi, ideoque Ludovicum XII. Galliae, et Joannem Albrethum Navarrae regem fulmine excommunicationis ac proscriptionis detonuisset Julius, Ferdinandus Aragonum rex, Navarrae regnum occupavit, et pontificia authoritate est inauguratus, quo deinceps jure Hispaniae sibi illud reges vendicarunt. Porro Margaretha ut miti sic parato Belgis Luzelburgiisque imperio praefuit, substituto in Luxenburgensium ducatu administrando marchione de Monte, postquam pignoris onere, quo Badensi obligatus tenebatur, refuso aere liberasset. Caeterum Margaretha ter infelix sponsa a Carolo Galliarum remissa, a Joanne Hispaniarum brevi post nuptias mortuo, ac denique a Philiberto Sabaudiae principe fato iterum praematuro deserta, res provinciarum vidua moderabatur; ideoque ut primum Carolus generosae indolis adolescens, maturuit, ad principatum vocatus magis, quam admotus est, cum absens plerumque aliorum regnorum negotiis occupatus, per Margaretham aut Mariam, aliosque gubernatores Belgium rexerit. Margarethae fortem animum generosamque indolem unum juverit ex Haraeo casu, et disticho repente in epitaphii vicem condito, ab eadem adhuc virgine, repraesentare. Ibat jam ex Francia redux per Zelandiam in Hispaniam desponsata Joanni, quando classis in conspectu Angliae tanta coepit tempestate jactari, quassarique, ut extrema quique exspectarent. Tum ipsa praesentissimo in tantis periculis animo, altera manu (qui mos navigantium in discrimine est, ut reperti honeste sepeliantur) aureos aliquot complexa, obligataque, hanc monumenti sui epigraphen, chartae cereae inclusam scripsit, adjecitque idiomate Francico:

Cy gist Margole, noble damoiselle
Deux fois mariée, et morte pucelle.

Hoc est: *Hic jacet Margaretha nobilis domicella bis maritata, sed mortua puella.* An poterat quidquam non dicam

ingeniosius, sed animosius a tenella fieri virgine in discrimine extremo, digna certe hoc ingenio et animo, quae Belgio superesset.

30. Carolus Belgii uniti et Luzenburgiorum princeps anno 1515 inauguratus, dono accipit a Georgio Saxoniae duce, non magno aere refuso Frisiae illas regiones, quas adversus comitis Ezardi Ostfrisici et Caroli Geldriae ducis potentiam aegre, nec nisi magno sumptuum impendio tuebatur. Subinde Ferdinandus rex Hispaniarum fatis vitam Caroloque nepoti regna omnia, in occidentalem Indiam usque propagata, cessit. Quinque enim res aeterna memoria dignissimae, quaeque Caroli successoris fortunam mirifice augebant, celebratae sunt, ut quod ejus auspiciis anno 1492 novus ad occidente orbis, unde Europa hodiedum ditatur, repertus sit, quod Judaeos tota ejecerit Hispania, regnum Granadae Saracenis profligatis receperit, per Ferdînandum Consalvum regnum Neapolitanum, ac denique per Fridericum Albanum regnum Navarrae ditionibus Hispaniarum regis adjecerit. Tanti igitur, tamque opulenti dominatoris heres Carolus pacem cum Francisco Valesio, Galliarum nunc rege et Henrico Anglorum domino vicinisque principibus, si Geldrum exceperis sancit, ut transire tuto et adire tot possessiones terrarum ad Hispanos posset. Et felix primus quidem ex Zelandia in Hispaniam octidui spatio transeuntis exitus fuit, maximoque omnium plausu exceptus est; sed cum proceres Hispaniarum administrationem rerum Belgis ac praecipue Guilielmo Croviaco Arschotti marchioni tradi cernerent, Ferdinandi Davali, praefectura Gadium privati, auspiciis ductuque conjurationem ineunt, ut non solum Croviaco, sed et Carolo deinde cedendum fuerit, relicta penes cardinalem Adrianum, postea Rom. pontificem, summa rerum gubernatione. Nec tamen hic discessus Carolo infelix, sed ad majores in imperio honores gradus fuit. Nam Maximiliano caesare anno 1519 vita functo, successor Carolus, posthabito Francisco Galliarum rege, comitiis Francofurtensibus declaratus, ad coronam Aquisgrani sumendam anno 1520 adfuit, ut in unius caput felicitatem derivari tantam aemulus Francus po-

Digitized by Google

tissimum doleret, atque idcirco parum adhuc ad bellum instructo Carolo repente arma hostilia Navarrae recuperandae inferret, faustioribus Pampilone intercepta principiis, quam exitu, cum haud multo post Mediolanum Francis ereptum, et Franciscus captivus in Hispaniam abductus sit. Porro Carolus, quamvis Anglus et pontifex deinde Gallo armis consiliisque faverent, magnis ubique nobilitatus victoriis est, ipse non raro, ut in Africa Germaniaque praesens et agminum ductor. In Africam bis classe transiit, Tunetano regno semel occupato, iterumque, sed Maurorum quidem, nan tamen tempestatis, qua classis in litore disjecta est, victor. Turcarum sub Solimano Austriam invadentium bis vim infregit, semel Friderico Palatino Viennae obsessae defensore, et rursum adversus trecenta millia, centenis nondum ipse millibus obarmatus, Solimanno terga vertenti metuendus, qui non tam exercitum Rom., quam Caroli se fortunam formidare asseruit. Protestantes per Germaniam Luthero monacho incentore ecclesiae Romanae excidium vi ferroque, non vano successu minitantes, Carolus armorum potentia et principum captivitate in manibus habuit: eversurus omnes, nisi clementia quam severitate ad obsequium revocare maluisset, ducem Geldriae Cliviaeque Guilielmum supplicem atque obsequentem vidit, qui non ita pridem a Carolo fortissimo Geldriorum principe sine prolibus defuncto heres relictus erat, Danosque cum Franco armis sibi addictos varia sorte belli habuerat. Maria Hungarica Caroli V. caesaris sorore rem publicam domi bellique prudenter per fratris absentiam gubernante, apud Luzelburgicos interea summa rerum administratio diversis credita, ab anno 1521 per decennium a Bernardo marchione Badensi, inde per sexennium a Philippo Croviaco marchione Arschotano sustentata, quem anno 1537 Antonius marchio Montensis, ac post septennium Petrus comes Werchinensis, sub quo a Gallis occupatum Luzelburgum, atque a Carolo imperatore anno 1544 receptum est, Petrus Ernestus denique comes Mansfeldius anno excepit 1545, toga sagoque celeberrimus, ex quo spuria illa proles Mansfeldius, qui nostri hujus seculi principio tanquam fax quaedam bellorum, Ger-

Digitized by Google

maniam universam incendiis ac vastitate implevit. At ne Carolum caesarem in ultimo vitae actu, qui admirabilis exempli fuit, deseramus. Ille tot gentium domitor ac provinciarum dominus, postquam, morbo frequentius incumbente, mortalitatis ac termini communis haereret memoria, evocato in Belgium ex Anglia Philippo filio, regnorum ac provinciarum omnium potestatem transscripsit, ipse in Hispaniam ad Toletanae dioecesis solitudinem in S. Justi monasterium anno 1555 animae salutique suae postremo vitae tempore consulturus discessit, pietatis, quam in vita semper medios etiam inter armorum strepitus curasque familiarem habuit, hunc ultimum decerpturus fructum, ut totus in hoc exemplo orbis disceret; sapienter regentibus, animae suae curam in rerum omnium administratione primam supremamque merito habendam esse. Ibi igitur inter servos Dei receptus, vix biennio exacto, mortis suae praescius, post celebratas, quibus intererat sui funeris exequias, anno 1558 sancto fine quievit. Genuerat ex Isabella, Emanuelis Lusitanorum regis sorore, anno 1526 sibi desponsata, Philippum successorem, Ferdinandum infantiam nunquam egressum, Mariam Maximiliano Austriaco post Ferdinandum fratrem Rom. imperatori, et Joannam Lusitaniae regi Joanni matrimonio copulatam.

31. Philippus (1555) Carolo decedenti filius patri successit, illius nominis III. Belgarum et Luzelburgiorum princeps sed Hispaniarum primus, qui ut principio res suas firmaret, cum Galliarum rege Henrico inducias quinquennales anno 1556 pactus erat. Verum is eodem anno pontifici Paulo IV. bellum adversus Albanum proregem Neapolitanum parum secundis auspiciis moventi, Guisium strenuum ducem cum exercitu suppetias misit, solumque Belgium inducias spectare asseruit, sed cum astu quodam Duacum occupare conatus utrobique inflammati belli scintillas sparsisset, Philippus collecto milite Sanct. Quintinum vicinasque urbes secundo Marte occupans, terrorem toti Galliae injecit, ut revocatum ex Italia Guisium rex Belgio infunderet, qui ut erat in armis promptus felixque, Luzelburgiensem ducatum ingressus Theonisvillam occupavit, Caleto

Digitized by Google

felicissima expeditione Anglorum e manibus tanquam clave Galliarum erepto. Hoc in statu res erant cum anno 1559 Elisabetha Henrici Anglorum regis filia (post Mariam haeredem regni et Philippi regis conjugem sine prole defunctam) e carcere ad sedem regni cum rediviva illic haeresi transiit, quae certis cum Franco legibus de Caleto pacta, Philippum quoque ad cogitationes pacis cum eodem rege Henrico traduxit, hujus filia Elisabetha in vacuum improlemque thalamum assumpta, ut Venus hic Marti vincula, non inani fabula, injecisse videretur. Sabaudus etiam, qui pro Hispano arma tulerat, eodem oleo delibutus, sororem regis Elisabetham praemium pacis habebat. Ita S. Quintinum et Theonisvilla priscis possessoribus restituta est. Quis pax Gallis imprimis optata fuit; cum Henricus rex eodem anno in hastiludio oculum caputque per galeam levatam transfixus occubuerit. His Philippus peractis, in Hispaniam abiit, constitutis per Belgium gubernatoribus provinciarum (ut non sine offensione ab Hispanis dominis aversi urgebant) Belgarum proceribus. In quibus praeter Petrum Ernestum comitem Mansfeldiae Luzelburgiis relictum, Lamoralium comitem Egmundanum Flandriae et Artesiae, Guilielmum Nassovium Orangiae comitem, Caroli V. gratia magnis opibus et honore fretum, Hollandiae, Zelandiae et Ultrajectinis, alios aliis provinciis impositos, plerosque parum fidos expertus est, Mansfeldio semper integro, et quamvis lubricae privatim vitae, fidei tamen Deo hominibusque debitae egregio publice defensore. His vero se absente, cum suprema potestate sororem suam ex Carolo naturalem Margaritam Parmae ducem praefecit, reique catholicae jam per Hollandiam vicinisque locis labefactatae vigilantem adhibere curam jussit, et principiis grassantis mali occurrere. Sed absente rege, deficientibusque cum vulgo proceribus, antesignano potissimum Orangio, spreta mulieris authoritas fuit, eoque sensim catholicorum fortunam regisque Philippi recidit, ut jam praeter Namurcum et Luzelburgum vix quicquam rebellium, atque ad haeresin inclinantium praedae manibusque subtractum sit. Postquam igitur Margarita, ob Hispanicam inquisitionem Belgio,

Digitized by Google

et haereticis praecipue castigandis inductam, catholicis etiam quibusdam obnitentibus, spreta esset, Ferdinandus Albae dux strenuus ex Italia miles suffectus est, qui felicibus bellorum auspiciis rebelles fregit, facile debellaturus, nisi severitate nimia in Egmondanum comitem aliosque Belgarum, humanitate non minus quam armis cohibendos animadvertisset. Accessit tributorum subinde in usus belli indictorum insolens onus, quo integrae juxta oceanum Zelandorum, Hollandorumque inclinatae ad Orangium provinciae, Albano obnuntiarunt, sectariis ex Gallia Germaniaque consilia, arma virosque ad rebellionem fovendam suppeditantibus.

Ludovicum ergo Requesenium, S. Jacobi in Castella promagistrum, in locum Albani anno 1574 Philippus destinat, qui omni humanitate, ut erat mitioris ingenii, exasperatos Belgarum animos delenire conatus est. Sed eo jam praeceps ibat haeresis, ut nec leniori nec asperiori remedio locum faceret, odiumque Hispani nominis passim conceptum, alimentum flammis suppeditaret, creditumque, Albanum citius ferro, quam oleo Requesenium hoc ulcus curaturum fuisse, qui, aut dari Belgio non debuisset, aut non aufferri, cum esset fortissimus propositorum, et invictus propemodum executor. Sub quo Mansfeldius gubernator egregie ducis partes contra Gallos juxta Belgasque rebelles explevit. Porro Requesenius, cum, Hispano jam milite auctior, confederatis metuendus evaderet, hi Elisabethae Anglorum reginae feudi titulo Belgium obtulere, praesidiario hinc ad se deducto Anglorum milite. Inter quae Requesenius fatis concedens, alteri gubernatori locum fecit.

Joannes is fuit Austriacus, naturalis Philippi frater, magnis hic terra marique adversus Turcas victoriis nobilitatus, exarchi titulo reliquis per Italiam Hispanorum ducibus praeerat, ac nuper Tunetanum in regnum Muleassem, Muleassis Caeci nepotem restituerat. Sed cum a Requesenii morte jam et ceteri Belgarum ordines Orangio defensore admisso, Hispanos exturbandos censerent, horum etiam plerique stipendiorum defectu militiam detrectarent, ex arce Antverpiana, in acceptos urbe hostes civesque magna caede grassati, locupletissimum

Digitized by Google

Antverpiae emporium exhaustum spoliis, injecto quatuor locis igne succenderunt; ut ignorares, an in hostes an amicos tam acerbe grassarentur. Haec Belgii facies, cum Joannes Austriacus domi militiaeque praefuturus subiret, et desperatae res videbantur, nisi cum Namurco Luxenburgum arcesque aliquot in fide perstitissent. Ratus tamen Joannes leniori se remedio favorem rursus populi occupaturum, plerosque ex praesidiis Hispanos in Italiam dimisit, quem haud multo post jam ipse conspirantium petitus insidiis, et vix Namurco tutus, ad sui Belgiique defensionem revocavit, neque enim ab iis, qui fidem erga Deum violant, inviolatam erga homines sperare licebit. Belgarum igitur conjurati et a regina Anglorum militares impetrant copias, et ne sibi illustre Austriacaque ex domo caput deesset, Matthiam Rudolphi imp. fratrem, regnandi cupidum, rebelliumque, ut credebatur, fautorem, pro capite arcessunt; sed legato illi Orangio ad latus addito, citra cujus nihil consilia aggrederetur ut pompae hujus quoddam ipse ferculum esse videretur. Ita rursum ad arma ventum, atroxque ad Nivellas conflictus habitus, in quo Joannes gloriosus victor, anno 1578 dena facile hostium millia cecidit, et non paucas per Brabantiam urbes ad obsequium rursus pronas habuit, quae ut privatae fortunae consulerent, publicam sequebantur. Quare confederati Matthiam tanto duci rati imparem, Flandri quidem Joannem Casimirum Palatinum ex Germania, Walones Franciscum Alensonium regis fratrem ex Gallia evocant. Visaque in conjuratorum sors verti, cum insperata morte catholicarum partium invictus propugnator Austriacus prope Namurcum in castris eodem anno sublatus est, quando et Sebastianus in Africa cadens, Philippo ad regnum Lusitaniae viam fecit.

Alexander tamen Farnesius (1579), Parmensis Octavii ducis et Margaritae Austriacae filius alter, Hispanicae militiae Hercules, solatium fulcrumque orthodoxorum erat, eidemque surrogatus est, qui magna hostes virtute adortus, profligato illorum equitatu, Trajectum fortissimum ad Mosam rebellium munimentum expugnat, aliis etiam locis in fidem Hispanorum con-

Digitized by Google

cedentibus, quod Orangius contra fidem multis datam religionem catholicam ubique proscriberet, sed et ipse publicis a rege Hispaniarum proscriptis literis, multorum vitae insidiantium telis exponitur. Franciscum igitur Alensonium regis Galliarum fratrem, qui Elisabethae Angliae nuptiarum spe lactabatur, conjurati in supremum unitarum provinciarum caput admittunt, Matthia in Germaniam remisso. Verum cum et hic inanem se tantum ducis umbram, Orangio omnia administrante, circumferre videret, Gallique et Belgae infestis Antverpiae aliisque in urbibus armis colliderentur, pertaesus et hanc provinciam Alensonius reliquit, reversusque ad Henricum fratrem in Galliam, brevi ad castrum Theodorici non sine suspicione veneni, periit, Orangio etiam sclopi ictu Delphis, a Burgundo famulo trajectus, rebellionem anno 1584 absolvit; Mauritio 18 annorum filio strenuo juvene partes desertas sustinente. Parmensis interea domi forisque rem fortissime agit. Novesium apud Ubios Truchsessianis rebellibus eripit, Antverpiam apud Belgas conjuratis. Quin et invalescenti per Galliam universam haeresi, nisi ipse suppetias tulisset, Hugonottae Parisios, sceptrumque ac coronam, profligata humana divinaque fide possedissent. Quo tamen obsequio Gallis praestito, Belgium, Hispano nudatum milite, magna rursum parte calvinistis in praedam cessit. Quae res ut summo dolori ad Belgas reverso Parmensi fuit, ita morbum, quo deinde Atrebati anno 1592 extinctus florentissima aetate est, non dubie exaucit. Dignissimus a morte heros, cui et Gallia et Belgium servatae apud hos gentes religionis aeternum statuat monumentum. Luzelburgensium deinde gubernator comes Petrus Ernestus Mansfeldius bellicae rei per Belgium praefectus est, quam cum egregia virtute per biennium suprema autoritate post regem sustinuisset, Ernestus archidux Austriacus Rudolphi ex Maximiliano II. frater, rei summam administrare coepit, annuoque cursu morte intercedente, terminavit. Cui Henricus comes Fontium tantisper suffectus Cameracum ad deditionem compulit, Galliaeque rursum subserviens, Hugonottas in Picardia ingenti praelio fundit. Interea Philippus Hispaniarum rex

Digitized by Google

filiam suam Isabellam Claram Eugeniam Alberto cardinali Austriaco, fratri Ernesti, pontificia authoritate cum dote provinciarum Belgii conjugem tradit, optato certe Belgis ad proprium principem aspirantibus, eventu, nisi steriles hae nuptiae extitissent. Hi Gallis, qui jam bellum indixerant, ne uno hoste premerentur, Caletum anno 1597 et Ardram, ordinibus Hulstum eripuit, sed anno sequenti ad Tornhutum non levem ab Hollandis in pugna victoribus cladem recepit, sed Alberto in Hispaniam ad nuptias Isabellae profecto, ubi Philippus jam ad extrema vitam componens, Vervinensi pace cum Henrico IV. Galliarum rege confecta, rerum humanarum et sortis amplissimae, qua plusquam 20 regnorum dominus effectus erat, fastidiens, pia in Escuriali morte defunctus est. Tres habuit conjuges: 1) Mariam regis Portugalliae majorem natu filiam, unde et hoc sibi regnum Albani armis occupatum vendicavit, ex hoc matrimonio Carolus ferocis indolis adolescens praematuro fato sublatus est. 2) Elisabetham Henrici II. regis Francorum filiam, ex qua natae geminae Isabella Alberto, et Catharina Emanueli Sabaudo nupta. 3) Annam Austriacam Maximiliani imp. filiam, ex qua Carolus, et Laurentius Jacobus infantes obiere, Philippus superstes vixit, cui pater moriens flagellum Caroli V. et proprii corporis sanguine cruentatum tradidit, ostensoque exangui pectore. »En,« inquit, »hic mundi fastus regnorum ac vitae finis, tu qui regna nunc adis et hac me sequeris.« Tumba mortuali juxta ante suos et adstantium liberorum oculos lacrymis manantes exhibita, quam vivus secum Caroli patris et Maximiliani proavi exemplo ad meditandum exitum circumtulerat, ne praesentia efferrent, dum considerarent futura.

32. Albertus et Isabella post mortem patris in Belgium reduces, summa omnium orthodoxorum laetitia et gratulatione incredibili passim etiam Luxenburgi magnificentia excepti sunt anno salutis 1599, qui deinde cum Hollandorum archistratego Mauritio aliquot praeliorum non omnino felicium collisione transactus est, quod nervus belli, pecunia, Albertum deficeret, milite idcirco a signis imperioque discedente, qua opportunitate usus Nassovius praeter alia loca oppidum S. Viti in agro

Digitized by Google

Luxenburgensi occupatum diripuit, ac late circum, ni pecunia se imperata redimerent, flammis omnia depopulatus est. Proximis tamen annis Ostendam difficili obsidione pressit, nonnisi anno 1604 per Ambrosium Spinolam fortem industriumque ducem interceptam. Nec interea feriatus Mauritius Cadsandam insulam, Isendicam et Sclusam in Flandria occupavit. Spinola deinde Buquoio usus comite et Mauritii ubique fregit vires et catholicorum stabilivit. Verum Albertus pacis amans, mitioribus consiliis aures dabat, cumque certis amicitia legibus coire vix posset, quod Hollandos navigatione Indica, quam feliciter tentarant, sese ab Hispanis, ut volebant, excludi non paterentur, 12 tandem annorum induciis armorum violentia suspensa est, suisque interea pars quaeque possessionibus fruita. Luxenburgensibus interea Florentium comitem Barlamontium, a Mansfeldii morte praefecit anno 1605 qui pluribus hanc provinciam annis per Alberti et Isabellae absentiam administravit. Sed pace jam terris latè florentibus, anno 1610 Henrico IV. Galliarum rege per sicarium nefario facinore sublato, Ludovicus XIII. filius novennis substituitur et Philippus III. rex Hispaniae occupata Alarchia, fortissimo Africae ex opposito Gadium munimento, Xegium Mauritaniae regem adversus Muleium fratrem restituit, totaque Hispania reliquias Maurorum ad novies centena millia ejecit. Utrique tamen principum Philippo juxta ac Alberto, felicitas regnandi diuturna non fuit. Namque annus salutis 1621 duobus hisce extremus fuit, Philippo, qui quarto et trigesimo aetatis anno fatis cessit, Philippumque filium ejus nominis IV. ex Margaretha Caroli archiducis Austriae filia, heredem reliquit, et Alberto, qui summo Belgarum dolore sine prolibus defunctus, Isabellam, novis rursum defectionibus opportunam deseruit, quanquam Spinolae egregio armorum administro utcunque niteretur. Sed hoc demum contra Palatinum, hostesque Austriacorum in Germaniam avocato, Belgarum rursum nudata Hollandis Gallisque accedentibus latera ad ictum faciliorem patuere. Isabella tamen, ut Luzelburgum, praecipuum Gallo Belgii oculum vigili cura tueretur, praestanti illum comiti

Digitized by Google

Frisiae orientalis Christophoro Embdano post Barlamontium anno 1627 tuendum commisit, qui Augustam Trevirorum urbem, voluntate quidem Philippi electoris, capitulo et civibus refragantibus, a Gallis occupatam, postulante caesare in libertatem, effractis portis asseruit, Gallosque, captivo principe, ut in annalibus docuimus, ejecit. Isabella denique inclinata ad senium, postquam praefuisset annis tribus et triginta improlis vitae et Belgio decessit, quod ex pactis dotalitiis rursum in potestatem Hispaniarum regis Philippi nepotis recidit.

33. Philippus igitur ejus nominis IV. Hispaniarum, sed V. Burgundionum et Belgii princeps, anno salutis 1634 Isabellae successit, et ad provinciarum gubernationem fratrem suum cardinalem Ferdinandum destinavit, qui postquam victorioso ad Nortlingam praelio interfuisset, egregia existimatione Belgium subiit, resque illic nutantes erexit, cum ob Arschottani et Barbansonii principum captivitatem, atque Henrici Montani comitis manifestam defectionem, marchio Aytona rebus illic moderandis praefectus, reliquos egregie proceres ac provincias in officio contineret; sed postquam illud inter duos potentissimos hostes Hollandos et Gallum non sine prudentiae et fortitudinis laude rexisset, Hollandis ad Calloum et Gallis ad Sedanum caesis, immatura aetate anno seculi 41 sublatus est. Post hunc sub diversis archistrategis, diversa sorte et plerumque Hispanis iniquiore res gesta est. Lamboyus enim anno insequenti Gallo Hassicis in agro Kempensi Rhenum inter Mosamque objectus, ingenti clade caesus est. Franciscus de Melo, a Rocroae obsidione per Condaeum Anguiensem ducem, magna Hispanorum strage profligatus est, simulque anno 1643 Theonisvilla fortissimum Luzelburgensis ducatus adversus Gallos munimentum, nequicquam obnitentibus Belgis, ab eodem expugnatum, magna cum Gallici tum Hispanici sanguinis profusione, siquidem ex mille quadringentis propugnatoribus vix sexcenti superstites Luzelburgum remissi sunt, ubi id temporis gubernator Joannes baro Beckius, vir militia clarus, ad arcendam hostium vim erat praepositus. Quadragesimus etiam sextus hujus seculi annus Belgis parum secundus illuxit, quando

Digitized by Google

post Winocibergam, Mardicumque, celeberrimum Flandriae propugnaculum portusque maritimus Dunckercae, Anglo favente, in Gallorum potestatem redactum est. Porro successere deinde, ut in Belgio sic Luzelburgi gubernatores sub Philippo varii, in quibus memorandus imprimis est Leopoldus archidux, Ferdinandi III. imp. frater, summus ordinis Teutonici magister. Bello ac pace spectatissimus princeps, moribus ac vitae sanctitate illustris, Belgarum et Germanorum amor, cujus res gestae justo scriptorum volumine circumferuntur, ad quae cupidum lectorem remitto, propositae brevitatis tenax. Luzelburgicos interea diversi quoque moderati sunt, ut ab anno saeculi 48 Philippus Franciscus Croviacus, dux Havraeus et 52 Gislenus marchio Molenganus, cui pro tempore marchio Strozius et Franciscus Sanchezius surrogati, locum tandem fecere Philippo Arenbergio principi Chimacensi, qui hodiedum inter varias Luzelburgensibus structas insidias, felix hactenus omnium discussor ab anno 1654 bello ac pace praesidet, dum interim Philippus Hispaniarum rex ereptus mortalibus, Carolum nobis alterum tenella in aetate successorem reliquit, quem et adolescere, et thoro aliquando fertili proprium sibi dare principem Belgae desiderant, ne quem moderatorem amant, nunquam videant, quos vident aliquando non ament, coactus enim amor et obsequium facile frigescit.

CAPUT VI.

APPENDIX.

Diversarum per archidioecesin Trevirorum et Luzelburgensium terras aquarum ac fontium natura ac virtus, per quam vel medica vel divina ope plures curantur.

Cum diversa Deus fragili mortalium naturae praesidia in agris Trevericis, tam divina quam humana suppeditarit, tum illud imprimis memorandum beneficium, quod in aquis salu-

berrimis possident, quarum cum alibi memoriam praetervecti simus, hic saltem meminisse, congestis in eundem locum uniusmodi naturae rebus velut in coronide operis juvabit.

Medicas hic potissimum aquas fontesque prosequar, qui certo mineralium temperamento alibi calidi, alibi frigidi, ut plerique acidique profluunt. Quorum vim operationemque paucis ex celebrium medicorum Jacobi Theodori Tabernaemontani, et Joannis Jacobi Weckeri judicio quoque, ad aliquam posteritatis utilitatem expendam.

Calidarum quidem aquarum ea celebritas copiaque non est, ut cum Aquisgranensibus in certamen venire possint. Bertricenses tamen, quae haud procul Springirsbachio infra Witlichium, hodiedum in sua visuntur scaturigine, olim frequentatae, magnificisque aedificiis cohonestatae fuere. Ubi etiamnum Agrippinatum et Moguntini praesulis hinc atque inde sub fornicibus balneorum diversis visuntur insignia. Nunc tamen collapsa aedificiorum structura, temporumque injuria neglectae, obstructis fontibus frigidaque permixtis thermae jacent, ac sua utilitate ignorantur. Caeterum alumine, ferro ac modico imbutae sulphure, iis deservire solebant, qui vel immodicis vexati flatibus, vel articulorum podagraeque doloribus, colicam, renumque frigus, stomachi et lienis imbecillitatem, tympanitem, scabiem, ulcera incurabilia, impetigenem, aut alia cutis vitia patiebantur. Sunt et aliae in Ems, media quidem Trevirorum, ad Loganum supra Lansteinium, ditione, juris tamen hoc tempore Darmstadiani, thermae calentes, quae, ut idem Weckerus tradit, sulphure, chalcantho, alumine et nitro temperantur, sensuum dolores, et asthmaticos, arthriticos, scabie, et contractione aut dissolutione membrorum laborantes curant, adversus colicam, ventriculi flatus, renum lapides, ulceraque ac pulmonis vitia prosunt, spirandi difficultatem mitigant, ac steriles subinde ventres foecundant.

Nec injucunda Liberti Fromondi est dissertatio, qua inquirit, unde hic in humidis locis calor, et frigentibus natura aquis vigor igneus? Mirumque asserit non esse, ubi alimenta caloris bitumen et sulphur inter aquas lentis aptata ignibus reperiuntur,

Digitized by Google

istic calidos medicosque scaturire fontes, aquam enim ardentia mineralia interlabentem, calorem simul virtutemque illorum trahere, tanto efficaciorem, quanto angustioribus meatibus feratur, unde pro varietate et temperamento succensorum mineralium, varia quoque thermarum vis et efficacia, quod alibi sal et nitrum, alibi vitriolum cum bitumine ac sulphure misceatur.

In frigidis ubi sulphurata et bituminosa ignium fomenta desunt, par in mineralium non varietate tantum, sed et mixtura ratio, ut quoties haec mutantur, toties quoque medicandi, purgandique vis alteretur, ut nunc aquae laxent, nunc adstringant, aliis noxiae, aliis salubres, prout habitudo temperiesque corporum humorumque in diversis diversa est, atque uno saepe eodemque corpore variatur. Non secus ac medicina eadem, non idem ubique ac semper operatur, et ejusmodi fontium, cum rara admodum in archidioecesi Treverica, et copia sit, et varietas, ac plerorumque, si opportune sciteque usurpentur, morborum aut remedium, aut lenimentum hinc propinetur, non video rem adeo memoria atque observatione dignam, posse sine aliqua historiae labe praeterire, quae opinor gratior futura est, si obiter medicorum peritorum sensu judicioque firmetur, quod siquis prolixius requirat, solidiusque, is citatos a me authores consulat.

Cum de quorundam fontium natura ingenioque, lectione audituque cognovissem, judicavi adeunda explorandaque eorum loca esse, experimentoque aliquo oculorum gustusque ad majorem certitudinem utendum. Ea igitur gratia primum, sua in arce Dodenburgica, quae Luzelburgensium fines a Witlichio transeuntibus subit, conveni illustrem dominum baronem Wolffgangum Henricum a Metternich, aulae Trevericae mareschallum, ut quae auribus ab ipso multarum rerum gnaro exceperam, oculis quoque usurparem, qui praeter integrum monocerotis cornu humana statura altius, et lapidem bezoar medicum, senas prope libras aequantem, aliaque naturae aut artis rara cimelia nobis exhibita praecipua humanitate per vicinos agros montesque ac valles deductos ad quatuor fontes stitit, quorum

Digitized by Google

tres, quod mireris, in ipso montis inter Erlebach et Munster in vertice extant, in valle ad montis pedem quartus, atque hinc maxime incolarum accommodus tritusque usibus quotidiano potui, grato salubrique gustu inservit, ex tribus qui in monte sunt, unus limpida dulcique scaturit aqua, duo alii inter angustas ovali pene figura ripas, aquas perpetuo bullientes frigidas tamen ea ratione coercent, ut copiosa licet durantique surgant ebullione, ultra angustas ripas, quarum pene labra feriunt crescentibus non efferantur aquis, quod si tamen dulcem eis quantum pileus capiat, aquam affuderis subito fons totus reductis inter terram aquis evanescit. Sed post medium horae quadrantem velut ex sepulchro redivivus rursum prosilit, seque etiam ultra ripas effundit, atque illam quam secum vehit dulcis aquae quantitatem, velut impatiens consortio ejicit, seque rursum intra ripas consueto situ tanquam ad quietam possessionem stationis pristinae componit, ut in tertio ejus generis magis celebrato fonte *Brobelborn,* haud procul a Gelbi, satrapa loci D. a Felz, de quo infra nobis sermo erit, experientiam testatum fecit. Ceterum tribus hisce fontibus, sulphure, vitriolo, alumine abundantibus turbidisque ex perpetuo frigidoque aestu, ideoque neque ad potum gratis, medicinae plures loco utuntur; cum salubres iis sint, qui viscoso stomacho vermes lumbricosque alunt, unde infantibus non raro ministrantur, verum tamen avibus et insectis caeteris mortem poti adferunt, ut vidimus plures diversasque genere, in ripis praeter alia insecta aviculas lethali exhaustu procumbentes.

Juxta pagum *Nersbach* alius reperitur, qui recenter potus nihil efficit, si noctu exhaustus in urceo perstet, mutato colore ingrescit, potuque inamoenus est.

Hinc porro in Mirlebach ad nobilem loci satrapam Lotharium a Feltz, historiarum ac medicinae (cujus beneficio multorum ejus loci afflictorum morbis gratuita opera subveniebat) apprime peritum, quem pluribus de mirabili diversorum fontium natura et operatione disserentem audire non fuit injucundum, media arx in edito Eiffliae clivo eminens, inter Himmerodensem et Prumiensem abbatiam sese offert, natura

Digitized by Google

loci et opere, sed jam caduco, egregie munita, nec procul inde fons in vulgi salutarem potum frequentatus, verum alter juxta *Bieresborn* (sic et ipse fons dictus nomen cum pago communicat) aliquanto remotior, qui inter celeberrimos Trevirorum fontes, Antonianis (de quibus postea) suppar aquis, gustu suaviore, etiam praestat, sale, sulphure, nitro, vitrioloque ac ferri minera temperatus, adversus renum calculum, obstructiones, hepatis ac lienis remedium sufficit.

Alius deinde sese offert fonticulus acidularum, ex Bieresborn in Lissingen tendentibus obvius, quem ab operatione consueta *Pŭppard* nuncupant, nam semel iterumque potus inevitabili ventrem flatu solvit, ut ignari virtutis, si aquam in aliorum consortio hauserint, infestis repente ventis affient, seque cum rubore subducere cogantur. Hoc igitur a spiritu obsessos constipatosque, alvo soluta liberat. Ceterum locis hisce crebri acidularum fontes, pagatim fere, ad usum rusticorum inveniuntur, ut cum nec vina his, nec zythum suppetat, fecundo terrarum munere potabiles aquae passim sufficiantur. Rusticus nobis in hoc itinere, quo ex Mirlebach Lissingen petebamus, in altero per viam pago dux additus, sua non ita pridem in domo pullulasse fontem memorabat, quo et ipse et vicini ad potum abunde haurirent, qua in re illud non omittendum, quod pagus ab oriente in Lissingen proficiscentibus bis mille passuum intervallo se offerat, *Wallenborn* a fontium frequentia dictus; in illo praeter fontem unum salubri scaturigine perpetuas ad potum aquas suggerentem, innumerabiles venae aliae acidulas parturiunt, sed quae brumali foecundae tempore, aestivali exhalationibus sulphureis nocent. Cellae eodem loco subterraneae sunt, quas si gallinae subeant, elanguescunt et ni removeas, etiam exspirant, tempestive tamen in alium subductae aërem reviviscunt.

Porro in Lissingen a praenobili satrapa Carolo Ludovico Zand a Merl insigni benevolentia excepti, vicina ejus regionis ipso duce ac instructore memoranda loca comprimis lustravimus. Egressi ab arce occidentem versus ad mille et amplius passus, *montem* conscendimus *Glaciferum* inter pagum Rode et fontem

Digitized by Google

Oessingae celebris istic rivi. Rem nostris ibi spectavimus dignam annalibus. Mons sensim acclivis, nudusque in vertice tamen super rupem lapidosam, quam includit, silvis arboribusque vestitus, in caput rupis per os patet aditus, sed angustus principio et ob lapidum prominentium inaequalitatem confragosus, per quem tamen, instructi luce, descendimus in cavernam, superne natura loci velut compactis inter se lapidibus, fornicatam, aquas hi lapides parturiunt hieme per stillicidia deciduas, sed calentes aut tepidas in brumali frigore, concretas ac frigidas in aestate. Hoc igitur tempore cum subis, ingentes ex fornice cavernae stirias et glacierum crusta, subtusque in fundo densam pro aquis glaciem deprehendis. Nos medio subivimus tempore, hoc est autumno, quando incipiente jam frigore fornix cavernae incalescens stirias resolutas amiserat, inferne sub pedibus glacies etiamnum densa superstes colliquescebat. Verbo aestas in hac rupe frigida est, copiosam gignens glaciem, quam ad refrigeranda vina cellasque elector Coloniensis non raro, integris hinc vasorum in aestu vehibus transferre observatus est. Hiems contra hic mollis ac tepida, aquas lento calore resolvit, naturaeque ac temporum indolem nova metamorphosi rerum convertit.

Ab hoc monte alterum versus occidentem prospeximus ad Prumiae latus boreale, quem Oudenbret nuncupant, haud procul Croneburgo Manderscheitiorum arce, ex quo tanquam Eiffliae totius supremo vertice in quatuor sese mundi plagas, totidem effundunt celebrata hisce locis flumina. *Ahra* versus orientem tendit, seque in Rhenum juxta Sinzigium haud procul Linzio effundit. *Kyla* in meridiem vergit, seque in Mosellam ad Erangium exonerat. *Rura* septentrionem spectat, per terras Juliacensium late profunditur. *Uhra* occidentem quaerit, cursuque obligocato in Suram denique effunditur. Quanquam affine huic flumen quintum rectius, occidentem subeat, Mosaeque sese immergat, ut ex unius montis partu tam largas, tumque diverso raptas impetu ferri aquas inter naturae et aquarum prodigia haud immerito censeri possit.

Digitized by

Declinavimus ex hoc monte ad *Oesingae* rivi ac pene fluminis caput, qui fonte tam uberi prosilit ex vicino pede montis, ut repente post jactum lapidis frumentarium molendinum, ac mox fabrilia aliquot ferrariarum officinarum volvat, ubi copiosum hoc metalli genus, suis eliquatum fornacibus, funditur, cuditurque. Fons iste Oesingae aemulatus ingenium memoratae supra cavernae, gelidissimas in aestate, quasque manus immersa vix sustineat, tepidas in hyeme, quae manus frigentes reficiant, aquas fundit, easque limpidas spectatuque amoenas.

Ad caput rivi hujus mons assurgit affinis illi, qui castra olim Romanorum, opportuno ad hostem quaquaversum arcendum situ complexus memoratur. Is qua viam respicit Prumiensem tanquam murus quidam ingens elatusque nativo assurgit lapide, et parte solum modica, natura an arte Romanorum incertum, pro acclive latus curribus equisque praestat aditum, facili custodia defendendum, ut si alia castrorum loca Neomagi et Saraburgi ab iisdem captata inspicias, plane hic gemina montis spatia, circumquaque pene abrupta, reperias. Et haec quidem prima existimem, quae vel Julius Caesar adversus Induciomarum Trevirorum archistrategum, aut Labienus deinde pro Caesare contra Treviros pugnans, insedit, quod iis sese locis, nec importune muniisse hostilesque devitasse insidias, atque Eburones Trevirorum auxiliares avertisse constet.

Ac quia de montibus fontium mineralium reconditoriis, sermo natus est, non omitto quem in reditu ad Lissingen montem altissimum *Kopf,* id est caput dictum, versus arcem Daun conspeximus: reconditum hic thesaurum servari, diabolo custode, asserunt in caverna subterranea, ad quam per antiquae arcis istic puteum aditus pateat. Tentarunt ante annos circiter triginta aditum hunc pastor loci vicini, piae integraeque vitae sacerdos cum agricola ductore, qui depositum aliquando scrutatus spectrorum terrore rejectus fuerat, unde sacris amuletis praesidiisque ad conjurandum daemonem instructum sacerdotem secum trahebat. Verum ut locum jam subierant, ingensque velut per aulam expositus, jam in con-

Digitized by Google

spectu auri argentique vasorum thesaurus esset, adeo terrificae daemonum sese obtulere species, ut sacerdos pene examinatus retro unde venerat, repente efferret sese, rusticus vero jam ex ante visis sine noxa animosior, scyphum argenteum manu apprehensum, ut jactatum vulgo fuit, secum extulerit, qui deinde spectatus a pluribus, desiderium injecit, tentandi saepius etiam per loci suffossiones, accessum, sed incussum assumpto semper labore, ut seu verus seu futus ille thesaurus sit diaboli appareat artibus munitum, quem sub ejusmodi excubiis, prudens nemo ambierit possidendum, malus hospes cum argento diabolus est.

Alius hac eadem regione mons latissima cavitate pervius, tutiorem longe aditum recessumque Kylae fluminis caeterisque praebet accolis, cum bellorum tempore ad vitandam militum vim atque insolentiam, pagi huc sese integri cum pecoribus et suppellectile recipiant, soloque praemunito per vallum custodiasque armatas introitu, secure hic perstent, nec ingesti per orificium ignes fumusque intra viscera montis receptis noceat, quod opportunis hinc inde spiraculis in auras emittantur ut quinque vel sex pagorum rustici, quorum cum suis familiis pecudibusque mons capax est, non raro experti testantur.

Sed ad Lissingen fontiumque, quos praecipue sectamur, scaturigines revertamur. Ad sinistram loci hujus, haud procul Gelbi flumine, septentrionem versus, acidulae promanant aquae, quas in potum ordinarium vertunt accolae, salubresque experiuntur, mineram ferri illae et salis nitri continent, vinoque affusae non secus ac Bieresbornenses et Antonianae in scyphis salientibus ebulliunt atomis, grato palatis sitientibus refrigerio.

Locus hic ut stationem hanc nostram concludam, a Romanis olim cultus non obscuris argumentis deprehenditur, cum usitata ipsis antiquitatis rudera complectatur, atque a vicinorum in monte castrorum ducibus tempore magis pacato cultus videatur, reperiuntur etiamnum sub terra praeter statuarum fragmenta et lapides aulae tales, quales ad hibernum

Digitized by Google

frigus arcendum, Treveris repertas, cum fornaculis et calefactis pavimentis docuimus, ut appareat locum hunc olim cultiorem frequentioremque extitisse. Nec dubitem, quin arx Gerolsteiniana, haud procul in aclivi colle dissita, et ad regionis inter montes explicatae prospectum aptissima, jamtum iisdem temporibus surgere colique coeperit, quanquam recentioribus nunc muris instaurata, novam faciem induerit. At hic sisto, cum, quae per hoc iter deinde spectata aut alibi exposita sint, aut suo etiam loco sese offerant exponenda. Alterum quo juxta ultraque Rhenum me protuli, per conterminas Ubiorum et Nassovicorum oras, non omnino praetermittendum, a fine Rhenum progrediendo ascendendoque exordior, ubi tamen et nuper et alias visa, quaedam etiam digna autorum fide percepta conjungam, pleraque Tabernaemontanus in novo aquarum thesauro fuse comprehendit, cui Weckerus in diversis suffragatur.

In Lacensi monasterio, quod abbatiale patrum benedictinorum est, ab Andernaco tribus horis occidentem dissitum, praeter alia historiae suis locis commissa, lacum vidimus inter montes passus facile mille in longitudine, et in latitudine quingentos complexum, magna piscium praesertim luporum copia foecundum, sed quos aegre, nisi expositis hinc inde hamis captes. Hic lacus, quod exundantibus olim aquis accolas religiosos cum suo monasterio mergeret, nova raraque industria per vicinum collem ingenti canale ductus sese effundit, adeoque paribus semper sua in sede ripis quiescit, de quo cum alibi hic pluribus non dissero. Sunt et alii lacus, Ulmenam juxta Dauniamque arcem, qui ob amplitudinem maria dicuntur, pleraque in ipsis montibus, et aliqua piscibus ingentibus fecunda. Quorum unum juxta Wimmeldkircham nobilis blasphemi cum tota arce terra dehiscente mersi, hiatum esse ferunt.

Sed fontium praecipuam curam ago. *Bassenheimensis* fons Treviros inter ac Lacum haud procul ab arce baronum de Walpott emergit, et sale nitri, sulphure, minera ferri atque alumine tingitur, unde viscosos stomachi humores discutit, viscerum obstructiones solvit, lienis et hepatis noxios humores

Digitized by Google

abstergit, scabiemque et lepram adhibita lotione curat. Nec procul hinc Rhenum versus in *Kerlich* pago, ubi cum amoenissimo horto aestivalem archiepiscopus arcem non raro incolit, fontem terra medicum parturit acore suo palatis non ingratum. Hic praeter salem nitri qualitates, ferri aluminisque trahit, potus profluvia sanguinolenta non solum narium, sed et ventris matricisque sistit: hepatis, lienis, renum et vesicae obstructiones submovet, ventris et intestinorum sedat murmura, flavae bili, et hydropi medetur, urinam et calculum tam vesicae, quam renum solvit, podagrae et arthritidis malum exsiccat, capitisque humores oculis praecipue noxios attenuat, phthisi adversatur, stomacho et digestioni comprimis favet, debilitata ex arthritide membra, si lotionem adhibeas, magnopere confirmat.

Majori propemodum virtute excellit fons *Mendigensis* regionis ejusdem, qui a perpetua ebullientis aquae velut in aheno igni adhibito commotione *Kesselborn* dictus est, et grato acidularum sapore ab accolis passim ad potum quaeritur. Ferri ille, vitrioli, salis crystallini, chalcanchanti, sulphurisque vehit mineralia, easdem quas in Kerlichensi vires censui, efficacius etiam exercet, epilepticis praeterea ac vertiginosis medetur, venenis sumptis adversatur, contractiones membrorum laxat, purgatoque sanguine melancoliam dissipat. Hebetes contractosque nervos lotione restituit, ulcerosos ac putrescentes, etiam a cancro, artus sanat, sarbuticosque, si os diluas, foetores tollit.

Porro si hinc ad rivum Broil pagumque cognominem defectas, hic gemini fontes, alter in pago, scaturigine placida, alter tumultuosa de propinqua rupe erumpens, uterque virtute par, salis, nitri, ferri, vitrioli, sulphurisque montani ac rubentis mineras transiens, obstructiones membrorum, hepatis, lienisque solvit, abstergitque humores noxios, tenacesque intestinorum et oblimati stomachi, cumque imprimis roborat, astmata et omnes capitis defluctiones flavaeque bilis, podagraeque ac hydropis humores mire exsiccat, sitique perpetua afflictos reficit.

Digitized by Google

Neque hinc longe versus S. Antonium progrediaris, cum duo alii fontes alter ad rivum Broilam, alter in patenti amoenoque prato sese ostentant: ille *Falbron,* hic dicitur, qua origine me latet, *Hickenblicker,* uterque maxime usitatus, mineralium fontium mixturis ferri, vitrioli, aluminis et salis nitri, ferro ac sale praedominante constat, et praeter ante memoratam opem medicam stomachi vires mirifice reficit, febresque ex putredine et felle exundante natas tollit.

Aquae deinde Antonianae omnium hisce locis celeberrimae, interque Lacum et Andernacum duabus a Rheno horis sitae, nobis etiam visendae sunt, licet spiritualem solum jurisdictionem Trevirorum subeant, Coloniensis archiepiscopi gladio defensae. Magis cultum frequentemque acidularum fontem nuspiam conspexi illo, qui in media visitur planitie inter montes circumquaque eminentes juxta monasterium, quod S. Antonio cum aede sacra addictum est, atque a patribus carmelitis insigni religione colitur. Olim ille a sanitate multis inde potoribus hausta, *Heilbrun,* fons sanitatis, est appellatus, ut a fratre, ejusdem loci propinquo, quem *Tillerburn* dicebant, ipsa voce distingueretur, hic stratis per circuitum lapidibus per amplos praebet gradus accessum puraque ac late exundante scaturigine salit, nec quidquam immundi sustinet, verum respuentibus, ejectantibusque repellit aquis, atque in ripas egerit, adeoque copiose fluit, ut non accolis solum advenisque magno numero sanitatis gratia affluentibus, sed remotis etiam regionibus, ad quas curru navibusque subvehitur, abunde sufficiat, perpetuoque illic per aestatem labore haurientes, vasaque obsignantes (ut dolus a translatis aquis absit) occupentur, nec tamen fons deficiat: ut vix Confluentia, aut Andernacum totum tantum vinorum, quantum fons hic unus aquarum inferiori Rheno Düsseldorpium usque suppeditet, ac mille facile domus in una Colonia ex hoc fonte vina diluant, ut taceam istic etiam sanitatis gratia potantes, quorum alii ad ternos, alii ad senos usque sestertios, quos vocant mensuras, unius matutinae diei tempore hauriendo ascendant. In vino certo illa est fontis operatio, ut affusus cum bacho, ingenti spirituum colluctatione,

Digitized by Google

dimicatione, spumaque emergente certet recreetque despumantia hae vitra haurientes, non inamoeno aestivo caloris temperamento.

Nec hujus igitur fontis ignorare virtutem, quando in hunc locum incidimus, fas fuerit, et sane expertus memini, ex itinere Eiffliaco quondam fatigatum me extreme, huc aegre languidum pertraxisse corpus, atque ut siti aestuque defeceram, in ultimo ad fontis oram sedisse gradu, largiterque hinc os stomachumque sitientem irrigasse, brevique post intervallo ceu novum surrexisse, abstersa omni aegritudine et defatigatione, hominem, ad iter tanto sociis alacrior expediorque quanto hauseram, sine aere, liberalius, ut hinc isti videar fonti, post Deum, hujus beneficii non ingratam his annalibus debere memoriam. Subtili mineralium per quae coment, condimento acuitur, utpote salis, chalcanthi, vitrioli, ferri et sulphuris spiritibus, reliquisque quo posui ordine dominantibus, unde potus in nares, cerebrumque usque subtilitate sua penetrat, non inviso tamen acore qui noxios humores dissolvat, dissipetque, iis tamen, qui vertiginoso debilique, atque epilepsiae obnoxio sunt capiti, minime suadendus, quod acrioris ejus fontis impetum haec mala non patiantur. Illis prodest, quibus lien aut hepar obstructum, exulceratum, adustumque, tum qui flavae bili, hydropisi, colicae et herniae morbis afflictantur. Tertianas, quartanasque febres expurgato corpore etiam submovet. Vitiosos humores omnes, praesertim exundantium in mulieribus defluxionum exsiccat et dissipat, totumque hominis male affecti corpus vegeto quodam habitu et colore reficit, ut quandoque ab his aquis, tanquam veteri exutos pelle, nitido florentique aquae potores illos vultu observes remeare. Quin et contractos paralyticosque artus nervosque, exulcerata ac putrescentia frigoreque aut noxiis humoribus intermortua membra reficit, integroque vigore ac sanitate donat, ut viscerum aliorumque viscoso phlegmate obsessorum curationem praeteream, cum pro pharmacopolio integro fons unus hic sufficere videatur.

Vicinus huic in eodem campo alter non longe dispari praestantia, quanquam ex alterius fama praesentiaque nomen

Digitized by

cultumque amittat, in quo eisdem pene mineralibus temperato ferruginei spiritus primatum tenent, sale ac sulphure mixti sapori magis acido potantibus gratior priori est, atque in obstructionibus, podagraeque etiam et herniae doloribus, ulcerosis laesisque externi corporis partibus curandis praestat. Scarbuticos ore saepius loto humores tollit, quodque alteri deest, capitis defluxiones, vertiginem et epilepticum malum curat, lieni, hepati, pulmonibus, bilisque etiam sedibus expurgandis facit, quae ignorare non convenit quosdam ejus fontis aspernatores.

Nec procul hinc, passibus ab Andernaco mille circiter, fons *Pönterbrun* nuncupatus, qui suo sese adventantibus ebullientis aquae prodit murmure, caetera frigidus, limpidus, et grato acidularum sapore cum primis certans, ferri, salis, nitri, vitrioli et aluminis mineris, abunde praedominante ferrugine, tinctus. Hic senilibus et oppressis lassitudine artubus reficiendis apprime idoneus, calentia et aestuantia siti membra opportune refrigerat, hepatis, lienis et renum obstructiones solvit, biliosos abstergit humores, febresque contumaces frangit, ventriculum imbecillem abstergit et roborat, ad phthisim et hydropem inclinatos sanat, rubentes faciei nariumque pustulas restringit. Nimius sim per caeteros hujus archidioecesis fontes eorumque virtutes, si narrando incedam; ipsam Confluentiam, unde hoc iter instituerat, repeto.

Trans Rhenum in opposita Confluentinis Valle Ehrenbreitsteiniana fons prosilit, cujus major in urbe quantitas aestivo tempore quam vini bibitur, ut apothecam hanc quandam esse credas communem, unde non sitis tantum, et pridiana quandoque vini ciborumque curetur ingluvies, sed et morbi in vulgo quamplures, ut vix medicus istic occupationem, lucellumque nisi tenue reperiat. Sapor tamen fontis praesertim recens hausti durior, in testis ubi pernoctavit mitior est, ferri mineralibus salis nitri, vitrioli et sulphuris pari quantitate miscetur, abstergit humores noxios cum quadam tamen adstrictione integrorum membrorum dissolutos. Capitis defluxiones exsiccat, pectus expurgat quidem. Sed et quibus angustius

Digitized by Google

est, adstringit, stomachi oblimationem tollit, innovatque appetitum, lienis, renum, hepatis et cordis viscerumque pravas affectiones dissipat, calculosque et arenas facilitata urina promovet, denique externis corporis vitiis lotos subinde absolvit.

Hinc me si Rheni jam flumine superato ad fontem Montemque Thaboris repente transferam, non injucundam podagricis arthriticisque quibusque narrationem spero ingrediar, vix locum subii, quaeque ejus loci memoranda imprimis essent sciscitatus sum, cum suum predicare fontem a singulari adversus podagricos humores virtute incoepere, quod nulla hominum memoria quisquam eo loci hoc subinde fonte utens repertus sit, quem podagra infestarit, adeoque nullum istic malum arthritico sit infrequentius, testes adhibiti in eam rem non unus, sed plures historiarum regionis illius maxime gnari. Ipse gustu exploravi fontem, mineramque in eo ferri praedominari sensi, cui salis nitri, vitrioli, sulphurisque montani commixtio, sed gradatim deficiens accedit. Obstructiones interiores hic dissolvit, humoresque peccantes dissipat, inflammationes, adustiones hepatis, lienis, stomachi et intestinorum vitia corrigit, utericum, hydropicum, podagricumque malum tollit aut infringit, dyssenteriae, colicae atque imprimis febribus ex putredine natis medetur. Versus hos nonnemo scite junxit quibus generalia complectitur:

Obstructum reserat, durum terit, humida siccat,
Debile fortificat, si tamen arte bibis.

Alii Confluentinis vicini sunt fontes, ut ad Loganum juxta Embsana balnea fons calentibus propinquus aquis, ipse tamen frigidus, bibentes calefacit, exsiccatque, noxios simul humores dissolvens expurgansque, quanquam jure Tabernaemontanus utrisque simul aquis calidis frigidisque utentes magis admiretur, quam probet. Memini ego repertos illic qui pro sanitate mortem reperirent, alternatione illa aquarum grata magis quam salutari. Alter Lahnsteinii ad ostium Logani, ac deinde tertius in superiori ad Rhenum Lahnsteinio salis nitri, ferri, vitrioli, sulphuris, mineralibus communes aquarum virtutes,

Digitized by Google

in quibus nitrum praedominatur, exprimunt, purgando imprimis cum aliqua adstrictione, quamvis singulari praeconio non sint efferendi, nec Trevericae omnes jurisdictionis, ut necesse nobis sit insistere.

Sed propriam Trevirorum metropolim ejusque viciniam non possum sine injuria negligere, quando et ipsa suis opulenta fontibus innoxie luxuriatur. Bille mille circiter infra Treviros passibus juxta *Lonquig* fons elato ex monte limpidissimis promanat aquis, oculis juxta palatoque grata acredine blandientibus, mineras ille ferri, nitrati, salis et vitrioli perluit, ferrugineo sapore praedominante, cujus fontis expurgandi, et frequentius utendi, ne situ obsolesceret, si quae cura esset, inter primos virtute sua emineret. Nam universalis pene illius, ad interna juxta externaque corporis mala persananda vis illi subest, hepatis, lienis, ventriculi, capitis, pectoris, fellis, renum, intestinorum obstructiones, oblimationes dissolvit ac disjicit, hydropi, podagrae, hernicae, febribus ex putredine imprimis et felle natis medetur, extrinseca corporis putrescentis vitia in lavantibus curat. Sed ut dictum neglectae hae saepius virtutes in fontibus extenuantur. Alter haud procul inde fons in Mettersdorff suppari mineralium eorundem mixtura prioris vires, si non prorsus in eisdem malis levandis assequitur, certe aemulatur, tertius supra S. Matthiam horae facile spatio fons ab urbe distat, a Trevericis maxime frequentatus, satis acidis fluit aquis, ferrique terrae luteae, atque aluminis qualitates trahit, hepatis, lienis, stomachique imprimis vitiis curandis opportunus, renum ac vesicae recessus purgat, cachexiam seu corporis decoloris habitudinem corrigit, exulcerata et putrescentia membra sanat, scarbutuumque oris saepius loti foetorem absergat.

Et ducatui Luxenburgico sua debetur fontium gloria tanto celebrior, quod plerique eorum a Sancto quopiam honoratum nomen trahant; obiter percensere magis lubet, quam immorari. Horum praecipuos, siquam sanandi vim habeant, non tam ex mineralium subterrestrium virtute, quam divina, quadam benedictione trahere vulgo persuasum est.

Digitized by Google

1. Fons in hortis Mansfeldicis S. Margarethae virgini martyrique dicatus febribus quondam mederi existimatus est.

2. Fons S. Quirini martyris ante portam D. Udalrici erumpens e radice montis rupisque, in quam sacellum incisum est, ad torrentem in valle, adversus scabiem usurpatur.

3. Fons S. Willibrordi Epternaci sub templo erumpens aulamque monasterii subiens, tam copiosis fluit aquis, ut perpetuo rivo manet, tum pellucidis subinde visum intuentis, et fundum esse nudum siccumque credas, quem aqua ulnari facile altitudine superluit. Hic et febrium calorem abstersisse compertus est, et multis adversus scabiem profuit.

4. In parthenone Brandenburgico a Clarofonte nuncupato, D. Bernardus claustri illius fontem benedixit, qui et febribus et phthisi medicinam praestat. Ita et in Tifferding fons Mariae cisterciensium istic monasterio nomen praebet, atque adversus febres adhibetur. Et in sylva viridi bis mille a Lutzelburgo Treviros versus passibus fons Schezelonis eremicolae, admirabili severitate vitae ad an. 1141 in annal. memorati, nomen pristinum tuetur.

5. In monasterio quoque cisterciensium virginum Bonaeviae aqua scaturit, quae post immersas S. Irminae reliquias variis medicina morbis fuit.

6. Prope Wiltzium fons S. Firmini est, in quo lavantur infantes phthisi obnoxii.

7. In Bous, Metas inter et Theonisvillam, e fundamentis templi magnifici fons B. Pancratio sacer erumpit, quem febribus adversari compertum est.

8. In monte Wolffrangi seu Wolfiliaci stylitae, qui territorii Leodiensis est, fons ab illo Sancto excitatus reperitur, magno affluxu a podagricis, qui istic medelam reperiunt, frequentatus. Afflicti sub lapide monumento angusto satis aditu penetrare solent, difficili crassioribus hominibus via. Eremicolae duo praesident loco, sed curae Aureaevallis abbati subjecti.

9. In comitatu Chinyi fons S. Theobaldi extra oppidum in clivo montis ab eodem Sancto elicitus, perquam salubris habetur.

Digitized by Google

10. Rehoni prope Longvicum in Lotharingia, quinque supra Luzelburgum horis, fontes duo, alter S. Gerardi, alter Genovefae dictus est, in hoc fonte plures morbidi lavantur, et post fusas in templo devote preces plerique sanantur.

11. In dominio de Avant haud procul a sic dicto loco fons in modum putei depressus reperitur, ad quem febrium curandarum gratia acceditur.

12. In dominio prioratus Aqualiensis (Ayvaille) prope templum parochiale fons Deiparae sacer est, contraque morborum infectionem bibitur.

Denique ad Saram juxta Frawenlautern fons est tribus Mariis sacer, ubi variis afflicti morbis levantur curanturque, juxtaque in sacello sanitatis anathemata et gratiarum dona relinquunt.

Pluribus his nolo recensendo inhaerere, aut harum, siquae sint, curationum expendere originem, naturane, an divina ope id praestent, sed medicis hanc disceptationem relinquam, mihi satis erit alibi doctorum, alibi vulgi sensum historiae more exposuisse. Inter quae si nonnulla tempore ac loco varient, neque eadem ubique virtute operentur, mirum non erit naturae mutabilis vim, qua et mineralia sensim exhauriuntur, et hominum ista curantium studia intercidunt, consideranti, ut non minus istic, ubi supra naturam opitulantur superi, illae sanitatum gratiae transferuntur, ne vel nimium fidant his possidentes, vel non possidentes se assecuturos diffidant. Interea Dei donis gratuito in hac vita oblatis ita utamur, ne excidamus illis, gloriae aeternae atque incomparabilis bonis, quae Deus praeparavit diligentibus se. Haec transitoria, illa perpetua.

FINIS.

A. M. D. G.

Digitized by Google

INDEX

RERUM PERSONARUMQUE MEMORABILIUM.

Absalon Springiersbacensis abbas, I. 27.
Adelbero, episcopus Metensis, II. 491.
Adventius, episcopus Metensis, II. 484.
S. Agnetis in Monte Angelorum monasterium Treviris, II. 251.
S. Albani carthusia Treverica, II. 315.
Alfolderbach, monasterium, II. 190.
Aldendorpius, Conradus, episcopus Azotensis, II. 448.
Altenbergense monasterium, II. 73.
Altenbergensis virgo pro patris scelere victimam expiationis Deo se offerens, II. 87.
S. Amatus, II. 561.
Andernacense monasterium franciscanorum, II. 410.
Andernacensis ecclesia, I. 287.
Angelica Porta parthenon, II. 87.
Annas d'Escars de Givry, episcopus Metensis, II. 515.
S. Antonii abbatis reliquiae, II. 14.
Antonianus carmelus, II. 450.
Archidiaconatus Cardonensis, I. 111.
Archidiaconatus Longuionensis, I. 122.
Archidiaconatus Dietkirchensis, I. 90.
Ej. descriptio, aut. Lud. Corden I. 97.
Archidiaconatus Tholeyensis, I. 128.
Archidiaconatus S. Petri, I. 83.
Archidiaconi S. Agathae, I. 167.
Archidiaconi tit. S. Castoris, I. 162.
Archidiaconi tit. S. Lubentii, I. 159.
Archidiaconi tit. S. Mauritii, I. 169.
Archidiaconi tit. S. Petri, I. 155.
Archidiaconorum primordia, I. 97.
Arenstein, abbatia, II. 2.
Arnsteinensis comes, II. 3.
S. Arnulphus, episcopus Metensis, II. 475.
S. Auctor, episcopus Metensis, II. 467.
D. Augustini eremitae, II. 440.
— — Ehrenbreitsteinii, II. 441.
— — Hildesheimii, ib.
— — Theonisvillae, ib.
— — Treviris, II. 442.
— — Walderfingen, II. 441.
Aureaevallenses, Sanctitate illustres, II. 172.
Aureaevallis abbatia, II. 161.
Bantini clerici, I. 286.
S. Barbarae monasterium Confluentinum, II. 254.
S. Beati carthusia, II. 334.
Beilsteinianus carmelus, II. 455.
Belli loci monasterium, Schönstatt, II. 255.
Benedictinorum disciplina, I. 326.
Benzerad, Carolus de — monasterii in Orval abbas et restaurator, II. 171.
Berengosus, abbas S. Maximini, I. 78. 350.

S. Bernardi miracula Confluentina, II. 241.
S. Bernardinus Senensis, II. 397.
Bertramus, episcopus Thefelicensis, II. 380.
Besselich, parthenon, II. 423.
Bethlehem, monasterium, Limburgi, II. 437.
Beurichense sacrarium, II. 405.
Beyer de Boppardia, Conradus, episcopus Metensis, II. 508.
Beyer de Boppardia, Theodoricus, episcopus Metensis, II. 507.
Binsfeldius, Petrus, I. 79. 210.
Bischofstein, ecclesia, I. 287.
Bonnevoye, Bonae Viae monasterium, II. 200.
Bootz, Robertus, abbas et historiagraphus Himmerodensis, II. 133.
Boppardiense monasterium S. Martini, II. 429.
Boppardiensis carmelus, II. 444.
Boppardiensis conventus minorum strictioris observantiae, II. 397.
Boppardiensis ecclesia S. Severi, I. 277.
Bordier, Joannes, abbatum in Wadgassen ultimus, II. 38.
Bornhofiensis conventus, II. 415.
Braunsbergiorum monumenta Rommersdorfii, II. 30.
Brunenberg, parthenon, II. 120.
S. Bruno (Leo IX.), episcopus Tullensis, II. 571.
Cambout-Coislin, Henricus Carolus de — episcopus Metensis, II. 517.
Canonicorum regularium monasteria, I. 298.
Capucinorum conventus, II. 411.
— — Bacharaci, II. 412.
— — Berncastelli, II. 414.
— — Bornhofii, II. 415.
— — Cochemii, II. 413.
— — Linzii, II. 417.
— — Treviris, II. 412.
Capucinorum conventus in Valle Ehrenbreitsteiniana, II. 413.
Cardonense monasterium virginum, II. 428.
Cardonensis archidiaconatus, I. 162.
Cardonensis ecclesia S. Castoris, I. 238.
Carmelitarum ordo, II. 442.
— — monasterium Beilsteinianum, II. 455.
— — Boppardiense, II. 444.
— — Confluentinum, II. 455.
— — Tönissteinianum, II. 450.
— — Trevericum, II. 445.
Carolus a Lotharingia, episcopus Metensis, II. 510.
Carolus a Lotharingia, episcopus Virdunensis, II. 550.
Carthusianorum monasteria, II. 315.
S. Castoris archidiaconatus, I. 162.
S. Castoris ecclesia Confluentiae, I. 229.
S. Catharinae monasterium Linzii, II. 181.
Cathedralis ecclesia, I. 141.
S. Chrodegangus, Metensis episcopus, II. 479.
Chumd, Commeda, parthenon, II. 91.
Cisterciensium translatio ad Treviros, II. 120.
Clarifontanum monasterium, Clairfontaine, II. 196.
Clarissae Epternacenses, II. 439.
Clarissae primae regulae, Treviri, II. 419.
Clausen, Clusanum monasterium, II. 207.
S. Clemens, primus Mediomatricum episcopus, II. 461.
Clericorum vivendi ratio antiquissima, I. 7.
Clusana miraculorum gratia, II. 215.
Clusanum monasterium, II. 207.
Coetus varii clericorum curionales, I. 286.

Colendal, Engelbertus, dignissimus abbas Saynensis, II. 53.
Coll, Ludovicus a, abbas in Rommersdorf, II. 28.
Collegiales ecclesiae, I. 140.
Confluentini commendatores ordinis Teutonici, I. 291.
Confluentinum collegium S. J. II. 299.
Congregatio B. Mariae Virginis, II. 352.
Conradus Aldendorpius, episcopus Azotensis, II. 448.
Conradus Beyer de Boppardia, episcopus Metensis, II. 508.
Corden, Ludovici, dictio de archidiaconatu Dietkirchensi, I. 96. 268.
Covernensis ecclesia, I. 287.
Cruciferorum monasteria, I. 345.
Cusanum hospitale, II. 232.
Cusanus, Nicolaus, I. 74. II. 208. 232.
David Himmerodensis, eximiae pietatis speculum, II. 125. 141. 154.
Decani primariae ecclesiae, I. 149.
S. Deodati episcopi, II. 590.
S. Deodati et Nanceanus episcopatus, II. 588.
Desnois, Henricus Ludovicus Renatus, episcopus Virdunensis, II. 553.
Dierstein, parthenon, I. 615.
Dietherus, archiepiscopus Trevirensis, ordinis S. Dominici, II. 373.
Dietkirchena ecclesia, I. 260.
Dietkirchensis archidiaconatus, I. 159.
Diez, ecclesia collegialis, I. 282.
Dominicanorum ordo, monasterium Confluentinum, II. 377.
— — monasterium Trevirense, II. 369.
S. Dominici ordinis monasteria virginum, Confluentiae, S. Martini, II. 388.
— — Treviris, S. Catharinae, II. 387.
S. Dominici sorores tertiae regulae, Mariae Vallis, II. 389.
— — Treviris, S. Barbarae, II. 391.
Dominicus Prutenus, carthusiae Trevericae monachus, pietate atque literis insignis, II. 320.
Dorlariense monasterium, II. 117.
Drogo, episcopus Metensis, II. 483.
S. Eberhardus Stahleckensis, II. 96.
Echbertus Schönaugiensis, I. 73. 610.
Ehrenbreitsteiniani capucini, II. 413.
— — D. Augustini eremitae, II. 441.
S. Elisabetha Schönaugiensis, I. 609.
S. Elisabetha de Thuringia, II. 74.
Eltz, Jacobus ab — elector, beneficus collegio S. J. Trevirensi, II. 269.
Id. fundator primarius collegii Confluentini, II. 299.
Engelport, parthenon, II. 87.
Enschringen, Ludolphus ab — fundator monasterii in Helenenberg, II. 345.
Epternacum, abbatia, I. 517.
Episcopatus ecclesiae metropolitanae annexi, II. 457.
Escars, Annas d' — episcopus Metensis, II. 515.
Everhardi Clusanum monasterium, II. 207.
Everhardus, parthenonis in Clausen fundator, II. 208.
Excidium S. Maximinianum, I. 378.
S. Fabiani cranium Arensteinii, II. 13.
S. Florini abbatia Schoenaugiensis, I. 607.
S. Florini ecclesia Confluentiae, I. 221.
Fourier, Petrus, autor congregationis B. M. Virginis, II. 352.
Franciscanorum ordo, II. 392.
— — Minores conventuales, II. 395.
— — — S. Germani domus Treviris, II. 396.
— — Minores strictioris observantiae, Andernaci, II. 410.
— — — Beurichii, II. 405.
— — — Boppardiae, II. 397.
— — — Confluentiae, II. 400.

Franciscanorum ordo, fratres minores strictioris observantiae, Hadamariae, II. 405.
— — — Limburgi, II. 403.
— — Primae regulae fratres in archidioecesin recepti, II. 394.
Divi Francisci sanctimoniales, Besselich, II. 423.
— — Boppardia, S. Martini, II. 429.
— — Cardona, II. 428.
— — Clarissae Epternacenses, II. 439.
— — Limburgense monasterium, II. 437.
— — Trevirense monasterium S. Joannis, II. 433.
— — Clarissae Treviris, II. 419.
— — Weiler-Bettenacum, II. 438.
Fraulautern, parthenon, I. 324.
Gemünden, ecclesia collegialis, I. 283.
S. Gerardus, episcopus Tullensis, II. 568.
S. Germani monasterium Treviris, I. 618.
S. Gertrudis Altenbergensis, II. 74.
Gibbon, Joannes, Anglus, rector collegii S. J. Treviris, II. 281.
Gnadenthal, parthenon, II. 192.
S. Goarina residentia patrum S. J. II. 314.
S. Goaris ecclesia collegialis, I. 281.
S. Goericus, episcopus Metensis, II. 476.
Gronaugia abbatia, I. 613.
Gülich, Adolfus, abbas Saynensis, II. 52.
Hadamariensis residentia patrum S. J., II. 309.
Haraucourt, Gulielmus ab — episcopus Virdunensis, II. 545.
Haraucourt, Ludovicus ab — episcopus Virdunensis, II. 544.
Helenenberg, monasterium cruciferorum, II. 345.
Helfenstein, Benigna ab, S. Bernardi hospita, II. 241.
Henricus a Rivenaco, episcopus Venicomponensis, II. 382.
Hillesheimiensis conventus, II. 441.
Himmerodenses abbates, II. 124.
Himmerodensis abbatia, II. 122.
Ejus nobilissimi alumni, II. 134.
Himmerodensium insignis sanctitas, II. 140.
Horreense monasterium, I. 556.
Idsteiniensis ecclesia collegiata, I. 285.
Illusionum daemoniacarum distinctio, I. 63.
Insulae inferioris monasterium canonicorum regularium, II. 239.
Insulae inferioris parthenon, II. 188.
Insulae superioris monasterium, I. 597.
S. Irmina, I. 556.
S. Irminae abbatia, I. 556.
Isenburgicorum monumenta Rommersdorfii, II. 30.
Ivodiensis ecclesia, I. 254.
Joannes de Monte, episcopus Azotensis, II. 380.
S. Joannis monasterium virginum Treviris, II. 433.
Juveniacense monasterium, Juvigny, I. 604.
Kalteisen, Henricus, archiepiscopus Nydrosiensis et Caesariensis, II. 381.
Kriecker, Hermannus, abbas Saynensis, scriptor indefessus, II. 48.
Kylburgensis ecclesia collegialis, I. 259.
Lacensis abbatia, I. 483.
Latomus, Bartholomaeus, I. 80.
Lehrae monasterium Confluentinum, II. 186. 244.
Limburgense monasterium puellarum, Betlehem dictum, II. 437.
Limburgense monasterium Wilhelmitarum, II. 351.
Limburgensis ecclesia collegialis, I. 256.

Löwenbrücken, monasterium, Treviris, II. 185.
Longuionensis ecclesia, I. 256.
Longwionenesis domus congregationis B. Mariae Virginis, II. 354.
Lonnigensis abbatia, I. 250.
Lotharii archiepiscopi constitutiones, I. 185.
S. Lubentius, I. 260.
Lutzelburgenses commendatores ordinis Teutonici, I. 295.
Lutzelburgensis domus congregationis B. Mariae Virginis, II. 354.
Lutzelburgensis ducatus, II. 594.
Macherense monasterium, II. 179.
B. Mariae Virginis ad Martyres abbatia, I. 448.
B. Mariae Virginis ecclesia Trevirensis, I. 197.
Mariaeburgum parthenon, I. 321.
Mariaestadana abbatia, II. 155.
Marienbergense monasterium Boppardiae, I. 576.
Marienroth, parthenon, II. 68.
Marienthal, parthenon, II. 389.
Marterthal, Martyrum monasterium, I. 322.
S. Martini abbatia Treviris, I. 438.
Mathildis, Godefridi Gibbosi Lotharingiae ducis vidua, II. 162.
S. Matthiae abbatia, I. 397.
S. Maximini abbatia, I. 335.
Mediolacensis abbatia, I. 501.
Medicae aquae acidulaeque, II. 631.
Meginensis ecclesia S. Clementis, I. 250.
Melitenses equites, I. 295.
Mendicantium monasteria, II. 366.
Merklin, Balthasar, I. 209. 273.
Metenses episcopi, II. 458.
Metropolitana ecclesia, I. 141.
Metropolitanae aedis decani, I. 149.
Metropolitanae aedis praepositi, I. 143.
Metropolitanae aedis reliquiae, I. 177.
Metropolitanae aedis species et monumenta, I. 175.
Metropolitanum capitulum ao 1669, nec non 1798, I. 172.
Metternichiorum monumenta Rommersdorfii, II. 31.
Miraculorum gratia, I. 54.
Monasterii Meinfeldensis ecclesia S. Severi, I. 243.
Monastica disciplina, I. 326.
Monrealensis ecclesia, I. 280.
Montgaillard, Bernardus de — le petit feuillant, abbas Aureaevallensis, II. 169.
Montis S. Helenae monasterium, II. 345.
Montmorency-Laval, Ludovicus Josephus de — episcopus Metensis, II. 517.
Morborum per miracula remedium, I. 58.
Müller, Augustinus, ultimus abbas in Rommersdorf, II. 29.
Münster, abbatia, Luxemburgi, I. 543.
Namedy, monasterium, II. 189.
Nanceana ecclesia primatialis, II. 589.
Nanceani episcopi, II. 589.
Nanceanus et S. Deodati episcopatus, II. 588.
Nicolaus de Arluno, episcopus Acchonensis, II. 248.
Niederwerth, monasterium canonicorum regularium, II. 239.
Niederwerth, parthenon, II. 188.
Oberwerth, monasterium, I. 597.
Olivianus, Caspar, II. 262.
Omnium Sanctorum monasterium Wesaliae, II. 183.
S. Orana, II. 40.
Ordo hierarchicus, I. 9.
Orval, Aureaevallis, abbatia, II. 161.
Palatiolana collegialis ecclesia, I. 216.
S. Paulini ecclesia collegiata Treviris, I. 199.
Pedernach, monasterium, II. 349.

Peiffer, Josephus, abbas in Seyna, II. 61.
Ejusdem consecratio, II. 62.
Pelargus, Ambrosius, ordinis S. Dominici religiosus, II. 374.
Peregrinorum et poenitentium ad Treviros accessus, I. 42.
Petra, Joannes a — elector, collegii Trevirensis S. J. primus fundator, II. 262.
S. Pirminius, corepiscopus, II. 478.
Pontis Leonini monasterium Treviris, II. 185.
Potho, Prumiensis presbyter, I. 73.
Praemonstratensium abbatiae, II. 1.
Praepositi ecclesiae metropolitanae, I. 143.
Prumiae inferioris monasterium, I. 601.
Prumiensis abbatia, I. 461.
Prumiensis ecclesia collegialis, I. 257.
Psaume, Psaulmaeus, Nicolaus, episcopus Virdunensis, II. 547.
Ravengirsburg, monasterium, II. 246.
Reliquiae metropolitanae aedis, I. 177.
Reliquiae sacelli archiepiscopalis, I. 183.
Regino Prumiensis abbas, I. 71.
Rheters, parthenon, II. 17.
Richardus, abbas Springiersbacensis, I. 302.
Ritzae, B. miracula et cultus, I. 232.
Roda, Marienroth, parthenon, II. 68.
Rode, Joannes de — carthusiae Trevericae prior, expost abbas S. Matthiae, I. 414. II. 323.
S. Romaricus, II. 562.
Rommersdorfiana abbatia, II. 16.
Rosenthal, Vallis Rosarum, parthenon, II. 184.
Rutilensis carthusia, II. 332.
Salvianus, I. 70.
Saynensis abbatia, II. 42.
Schadlandt, Joannes, episcopus Culmensis, Hildesheimiensis, Wormatiensis, II. 379.
Schoenangiensis abbatia, I. 607.
Schönstatt, Belli Loci monasterium, II. 255.
Scholerius, Ordolphus, I. 74.
Schue, P. Romanus, ultimus provinciae Rhenanae capucinorum magister provincialis, II. 418.
Seligenstad, parthenon, I. 617.
Senheim, Otto a — episcopus Azotensis, I. 210. II. 382.
S. Servatii miraculum, II. 335.
S. Simeonis ecclesia collegiata Treviris, I. 206.
Spangenberg, Georgius a — abbatiae Saynensis insignis benefactor, II. 57. 58.
Spee, P. Fridericus a — collegii Trev. S. J. decus, II. 287.
Springiersbacensis abbatia, I. 299.
Societatis Jesu collegium Confluentinum, II. 299.
Societatis Jesu collegium Trevirense, II. 262.
Societatis Jesu domus probationis Treverica, II. 289.
Societatis Jesu residentia S. Goarina, II. 314.
Societatis Jesu residentia Hadamariensis, II. 309.
Statuta archiepiscopalia pro decanis pastoribusque, I. 136.
Steinbach, monasterium, II. 17.
Stuba, parthenon, I. 322.
Supplicationum frequentia et varietas, I. 45.
Teutonici equites, I. 288.
Theodoricus Beyer a Boppardia, episcopus Metensis, II. 507.
S. Theodulphi reliquiae, II. 375.
Tholeyensis abbatia, I. 509.
Tholeyensis archidiaconatus, I. 128.
S. Thomae abbatia juxta Andernacum, I. 316.
S. Thomae Cantuariensis abbatia apud Kyllburgum, II. 176.

Thronense monasterium, II. 118. 192.
Tifferdange, monasterium, II. 202.
Tönissteiniensis carmelus, II. 450.
Treverica domus congregationis B. Mariae Virginis, II. 354. 355.
Trevericae archidioecesis partitio, I. 81.
Trevericae archidioecesis status anno Christi 1794, I. 135.
Trevericae metropolis religio ac sanctitas, I. 36.
Treverica S. J. domus probationis, II. 289.
Trevirense collegium Societatis Jesu, II. 262.
Trevirenses commendatores ordinis Melitensis, I. 297.
Trevirenses commendatores ordinis Teutonici, I. 294.
Trevirensis dioecesis antiqua extensio, I. 13.
Trevirensis Primatus, I. 21.
Trevirorum academia et viri docti, I. 69.
Trevirorum metropolitani institutio ac jurisdictio, eique subjecti episcopi, I. 26.
Trithemius, I. 78.
Tullenses episcopi, II. 554.
Vallis Rosarum, parthenon, II. 184.
S. Vedastus, II. 560.
Vianden, monasterium cruciferorum, II. 350.
Virdunenses episcopi, II. 518.
Vitae communis origo et institutum, I. 1.
S. Vitonius, episcopus Virdunensis, II. 523.
Wadgassensis abbatia, II. 32.
Waldbreidbach, Teutonicorum domus, I. 295.
Walderfingensis conventus, II. 441.
Wallersheim, parthenon, II. 180.
Walsdorf, parthenon, I. 615.
Weda, comitum de — sepulchra in Rommersdorf, II. 29.
Weilburgensis ecclesia collegiata, I. 284.
Weiler-Bettenacum, conventus puellarum, II. 438.
Wesaliense monasterium Omnium Sanctorum, II. 183.
Wesaliensis ecclesia B. M. V., I. 252.
Wesaliensis ecclesia S. Martini, I. 278.
Wetzlariensis ecclesia collegiata, I. 268.
Wilhelmitae Limburgenses, II. 351.
S. Willibrordus, I. 519.
Wimphlingii, Joannis, laus, II. 304.
Windesheimensis congregationis monasteria, II. 206.
Wülfersbergense monasterium, II. 17. 25.

Der in der Einleitung zu der Metropolis verheißene Anhang — Privilegia et documenta universitatis Trevirensis; seminarium nobilium ad S. Lambertum; seminarium archiepiscopale Clementinum; seminarium clericorum Confluentinum — konnte, da die Bogenzahl erschöpft, nicht aufgenommen werden. Das soll durch eine Zugabe ersetzt werden, welche zugleich den Conventus Cellitarum sive fratrum Alexianorum zu Trier behandelnd, beiläufig vier Druckbogen betragen wird, wenn sich anders für diese Zugabe eine hinreichende Zahl von Abnehmern findet.

Die Verlagshandlung.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google